37
33 G
9

MAG 234

Digitized by Google

Digitized by Google

# CHRONICON
## ORIENTALE.

Digitized by Google

Digitized by Google

# CHRONICON ORIENTALE PETRI RAHEBI ÆGYPTII

*Primum ex Arabico Latine redditum*

AB ABRAHAMO ECCHELLENSI

Syro Maronita e Monte Libano, Linguarum Syriacæ & Arabicæ in Alma Pariſienſium Academia Profeſſore Regio ac Interprete:

*NUNC NOVA INTERPRETATIONE DONATUM*

A JOSEPHO SIMONIO ASSEMANO

Syro Maronita Bibliothecæ Vaticanæ Secundo Cuſtode.

*Acceſſere ad ipſius Chronici illuſtrationem ejuſdem JOSEPHI SIMONIS ASSEMANI*

DISSERTATIONES IV.

VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI

# CLEMENTI
# DUODECIMO

## PONTIFICI MAXIMO

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS
Bibliothecæ Vaticanæ Secundus Cuſtos Perennem Felicitatem.

CUm primum *conſpicuo me iſto Cuſtodis Bibliothecæ Vaticanæ munere*, BEATISSIME PATER, *pro eximia tua liberalitate auxiſti, ſtatim in animum induxi, lucubrationem aliquam aggredi, eamque Sanctitati tuæ nuncupatam typis evulgare; quæ perenne eſſet tum ſingularis hujuſce tui beneficii, tum grati animi mei teſtimonium. Chronicon igitur Orientale, quod Byzantinæ hiſtoriæ Pariſiis editæ olim pars fuit, quodque nuper Typographus Venetus a viris eruditis admonitus nova interpretatione donandum cenſuit optavitque, cum Arabico Textu, qui in Vaticana Bibliotheca extat, collatum, adjectiſque neceſſariis diſſertationibus illuſtratum nomini tuo inſcribo, tuiſque pedibus advolutus offero.*

*Exiguum quidem munus, ac tanta Maje-*



Digitized by Google

*ſtate, qua in ſublimi Petri Cathedra ſedens cæteris mortalibus longe antecellis, haud ſane dignum. Verum ſive conſilii mei quas ante dixi, rationes ſpectentur; ſive tua, quam dignitati egregie conjunctam præ te fers, ſumma humanitas ac benignitas; in conſpectum tuum Auctor iſte Ægyptius, qui olim ſine nomine* [1] *in Latium pervaſerat, nunc proprio, licet barbaro, cultu ornatus venire audet. Nec audet tantum; ſed alacris etiam, ac fiducia plenus, Tibi tamquam literarum patrono atque mæcenati optimo, ſe ſiſtit. Quis enim neſcit, nullas Tibi peregrinas eſſe literas aut gentes, nullumque a Te non foveri eruditionis ſive eruditorum genus? Eam nimirum nactus es patriam, quæ* [2] *cum omni Latinarum Etruſcarumque literarum ſcientia floruit; tum etiam Hebraicas, Græcas, Syriacas, Arabicas aut prima in Latium invexit, aut ſaltem nemini ſecunda excoluit: Chriſtiani quoque nominis populos, quotquot in Oriente ſunt vel nominantur, in una fide ac religione, tamquam in communi univerſorum patria, ita conjunxit, quemadmodum maximam orbis terrarum partem, majoribus noſtris vel incognitam vel imperviam, tribus aliis ſummo cum rei catholicæ atque civilis beneficio copulaverat. In ea vero natus es nobiliſſima Corſinorum* [3] *Familia, quæ tot protulit ſcientiarum omnis generis ſtudioſos patronos, quot inde prodiere multis abhinc ſeculis Heroes, domi, militia, exacta ad*

(1) Opus Anonymum prodiit. Auctor eſt Petrus Rahebi.

(2) In Civitate Florentinorum, plurimum excultæ omnis generis, omniumque linguarum literæ. Ibi Orientales cum Romana Eccleſia conjuncti in Concilio Florentino. Inde prodiit, qui novum orbem detexit, deque ſuo nomine Americam appellavit.

(3) Corſinorum Familiæ lumina, S. Andreas: Petrus Card. Legatus ad Carolum IV. Imperatorem: Americus primus Florentinorum Ar

*Sanctitatis normam vita, ſacris infulis ac Purpura conſpicui. Sic demum præclaras hafce, Tibique hæreditario fere jure tum a patria, cum a genere tranſmiſſas laudes inſigni virtutum acceſſione locupletaſti, ut in Te uno collecta majorum tuorum decora & ornamenta conſpiciamus.*

chiepiſcopus: Nereus Card. Epiſcopus Aretinus: Nereus alter frater S. Andreæ, Epiſcopus Feſulanus: Paulus Volaterranus: Octavianus legatus ad Ludovicum XIII. Alii Epiſcopi, Senatores, Duces, Oratores ad diverſos Principes.

*Hæc igitur* SANCTISSIME PATER, *Ægyptii, hæc Syri & Arabes, hæc Orientales omnes intelligentes, & quam Tibi cordi ſit, bonas artes, ac ſacra præſertim ſtudia tueri atque provehere, ſecum animo reputantes, certatim in ipſis auſpicatiſſimi Pontificatus tui primordiis ad pedes tuos convolant, & excuſſo, in quo diu jacuerant, pulvere, ad priſtinum ſplendorem tuo patrocinio redire contendunt. Nec ſua illos fallit opinio. Rei enim literariæ, hoc eſt, Apoſtolicæ Vaticanæ Bibliothecæ, quæ veluti literarum arx eſt & culmen, eum ſtatim*[4] *Virum, commiſſo ei ſplendidiſſimo Bibliothecarii Sanctæ Romanę Eccleſię munere, pręfeciſti, qui omnigena eruditionis laude cumulatiſſime ornatus, menti tuę in promovendis ſacris doctrinis abunde reſponderet: cujus opera jam fieri videmus, ut egregius Syrorum, imo totius orbis Catholici Doctor Ephræmus e Gręcis atque Syriacis manu exaratis Codicibus Vaticanis redivivus in lucem prodeat: nec vana ſpe ducimur fore, ut proxime ſequantur cęteri nationum Orientalium Patres atque Scriptores, qui de fide orthodoxa, ſive de republica lite-*

(4) Angelus Maria Quirinus Card. Bibliothecarius

*raria egregie meruerunt. Sic enim preſſe veſtigiis majorum tuorum, ſic Anteceſſorum in Romana ſede Pontificum* (5) *exemplis inhæres, ut communem in Te Patrem, omnium patriam in urbe tua Roma gentes omnes habere ſe gaudeant. Et quemadmodum, Auguſtino* (6) *teſte, divini olim numinis conſilio providentiaque factum eſt, ut totum terrarum orbem Romani ante ſubigerent, quo informati æquiſſimis eorum legibus moribuſque populi, ad ſuſcipiendam chriſtianam veritatem facilius diſponerentur; ita noſtris temporibus in regia Orientalis Imperii Sede Conſtantinopoli contigiſſe credimus, ut Ars Typographica apud barbaras gentes publico Imperatoris Turcici, Antiſtitumque Mahometanorum decreto inveheretur, quo ſuſceptæ in Vaticana Typographia, Te annuente, librorum Orientalium editioni, ad convellendos ſuorum patrum doctorumque auctoritate Orientis errores, confirmandamque orthodoxam doctrinam, aditus pateret.*

*Excipe itaque,* BEATISSIME PATER, *qua ſoles, benignitate hoc Orientale Chronicon, quod agmen ducit cæterorum: dum interim Græca opera, Syriaca, Arabica, aliaque hujuſmodi parantur, typis quamprimum edenda: quæ cum auſpiciis tuis ſuſcepta ſint, Deum Optimum Maximum enixis precibus rogo, ut Sanctitatem tuam ad Chriſtianæ ac literariæ reipublicæ utilitatem diu ſoſpitem incolumemque ſervet.*

(5) Nuperrime Clemens XI. Typographiam Vaticanam reſtituit, ac Bibliothecam pluribus MSS. Codicibus orientalibus locupletavit.

(6) Lib. 5. de Civit. Dei cap. 12. & 15.

# JOSEPHI SIMONII
# ASSEMANI
## *PRÆFATIO*
# IN CHRONICON ORIENTALE.

CHronicon Orientale ex Arabico ſermone Latine redditum, ac Petro Seguierio Franciæ Cancellario nuncupatum, Pariſiis anno Chriſti 1651. e Typographia Regia Abrahamus Ecchellenſis, Vir optime de litteris Orientalibus meritus, edidit. Sed quod idem Interpres in Epiſtola nuncupatoria ſe vereri ait, ut vix perductum ad exitum opus exitium offenderet, niſi illud patroni dignitas & amplitudo fulciret; id plane accidit. Nam ſtatim atque in lucem emiſſum eſt, variæ fuerunt variorum de illo opiniones. Quidam enim peregrinum auctorem tam benigne excipiendum eſſe duxerunt, ut de ejus fide, calculoque hiſtorico dubium nullum moverint, quemadmodum Pagius in Critica Baronii fere ubique facit. Alii, quod Latine tantum ſine textu Arabico opus prodierit, vel illud ab Ecchellenſi confictum exiſtimarunt, vel nullius eſſe pretii, quod ſine notis, quæ ſummopere neceſſariæ eſſent, editum fuerit: ita de ipſo pronunciat Euſebius Renaudotius in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, quam Pariſiis anno 1713. promulgavit. Fuere demum qui mediam tenentes viam, nec illud prorſus rejiciendum putarunt, nec omnino probandum: etſi enim multa in eo imperite digeſta ſunt, multa continentur nimium quantum confuſa, inepta, & falſa, in ea potiſſimum parte, quæ antiquam Romanorum Græcorumque hiſtoriam, & veterum Patriarcharum Alexandrinorum ætatem ſpectat; non pauca tamen ſcitu digna occurrunt, quæ apud alios hiſtoricos minime reperiuntur, uti eſt recentiorum Patriarcharum ſeries a ſeculo quinto ad tertium decimum perducta, quam primus poſt jejunum illum Vanſlebii & Kirkerii Catalogum Joannes Baptiſta Sollerius Societatis Jeſu in Diſſertatione Tomo quinto Sanctorum Junii præfixa illuſtrandam ſuſcepit. Jam vero ex hoc vel unico capite inter Byzantinæ hiſtoriæ Scriptores id opus locum meruit. Quid enim, ſi auctor certiora Syrorum, Græcorum, Latinorumque monumenta neglexerit, aut ignoraverit? Num propterea in iis etiam, quæ ipſius tempora propius attingunt, quæque adeo accuratius ab eodem tractata ſunt tamquam ex tabulariis Eccleſiæ Alexandrinæ deprompta, fides ei deneganda erit? Aut quia in rebus Romanis Græciſve allucinatur, in Ægyptiacis quoque Arabiciſque dicamus eundem vacillare? Hoc ſi Renaudotio, Sollerio, aliiſque cenſoribus concedatur, continuo reijcienda erunt quæcumque ipſi ex lutulentis Scriptorum Ægyptiorum, Severi, inquam, Aſmonæorum Epiſcopi, Michaelis Taneos, Mauchubi Manſori, Marci Zaraæ, Abulbarcati, aliorumque fontibus in ſua Alexandrina hiſtoria collegere. Item repudiandi erunt Eutychii Alexandrini, Gregorii Abulpharagii, & Georgii Elmacini Annales, in quibus multa viri docti ſphalmata dudum obſervarunt. Michaelis denique Syncelli, Georgii Cedreni, Græcorumque aliorum Chronica reſpuenda, quæ ſuis etiam nævis non carent. Quod quum nemo ſanæ mentis affirmaverit, reliquum eſt, ut idem de hoc Chronico judicium fiat.

Salva igitur illius, non ſecus atque reliquorum hiſtoricorum, qualicumque laude, & auctoritate, ad ejuſdem illuſtrationem nobis præmittenda ſunt ſequentia Prolegomena, in quibus de operis auctore, de manu ſcripto Arabico Codice, de iis quæ eo continentur, de ratione & conſilio novæ noſtræ interpretationis,

de his demum, quæ Appendicis loco tam ab Ecchellenſi, quam a nobis ſubjuncta ſunt, breviter diſſeremus.

## CAPUT I.

### *De Chronici Orientalis Auctore, ejuſque ætate.*

Abraham Ecchellenſis in Præfatione Lectorem monet, ſe ampliſſimas in Chronicon, quod Orientale inſcripſit, notas meditatum fuiſſe; ſed per temporis anguſtias, ſuumque inſtans in Italiam, quo ex Gallia vocabatur, iter, illas exhibere nequiviſſe. Deinde ſubjungit de auctore Chronici loquens: „ Noſtrum exemplar „ anonymum eſt: at ejus auctorem fuiſſe quemdam nomine *filium monachi*, ex „ prima parte Chronici Georgii Homaidi plane colligitur. Quoties enim (quod „ paſſim facit) hunc laudat, non ſolum ſententia ſemper eadem eſt, ſed numerata quoque verba. Eum autem fuiſſe Ægyptium Cophritam, indicant ſtylus, „ numeri, ac Patriarcharum Gentis Vitæ, quorum pro Dioſcoriana ſecta labores, ac certamina celebrat. „ Idem Ecchellenſis ad calcem Eutychii vindicati, quum Indicem operum Auctorum mmſſ. quibus uſus eſt, texit, num. 16. de eodem Chronici auctore hæc habet: „ Abnarrahebus, ſeu Ben-Rahebus, hoc eſt, filius „ monachi, patria Ægyprius, religione Chriſtianus, ſecta Coptita, auctor Chronici Orientalis, quod Latinitate a nobis donatum, editum fuit Pariſiis in Typographia Regia anno 1651. una cum Supplemento Hiſtoriæ Arabum. Autographum Arabicum apud nos eſt.

Nec plura de eo Renaudotius atque Hottingerus. Hic quidem in Bibliotheca Orientali pag. 83. *Hiſtoria Ibn-Rahebi. Ex hoc auctore multa mutuavit Elmacinus in Annalibus Veteris Teſtamenti*. Renaudotius vero in Præfat. ad hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum: „ Ebn-Raheb, ſeu Ben-al-Rahebum auctorem vocatum „ fuiſſe conijcit Ecchellenſi: nam nomen in ejus Codice non extabat: illud „ ſufficit expreſſum eſſe ſatis fideliter ex majori illa quam diximus hiſtoria.

Sollerius in Diſſertatione ad Seriem Chronologicam Patriarcharum Alexandrinorum, cenſet Severum Aſmonæorum Epiſcopum vel totius Chronici, vel poſtremæ ſaltem illius partis eſſe auctorem. Sic enim ait pag. 1. de Godefrido Henſchenio loquens: „ In commentario prævio §. 2. relatis Severi ſeu Chronici Orientalis ab Ecchellenſis editi verbis, Actiſque nonnullis mſſ. in eam „ ſententiam propendet &c. Et paucis interjectis: Scriptores Ægyptios intelligo „ ab annis nondum quinquaginta Latine editos & publici juris factos, Eutychium Alexandrinum, Severum, ex quo Chronicum Orientale Ecchellenſis, „ & Abulbaracarum Vanſlebii, quorum hic XIV., Chronici Collector XIII. primi duo ſeculo decimo floruere. Pagina vero 2. §. 8. „ Chronicon Orientale „ edidit Ecchellenſis Pariſiis anno 1651. eique inſeruit Hiſtoriam Patriarcharum „ Alexandriæ, deſumptam (ut creditur) ex hiſtoria Ambæ Severi Jacobitæ Epiſcopi Iſchmunin, quem vixiſſe ait Vanſlebius anno Martyrum 970. quam „ deinde auctor Coptita neſcio quis ad uſque Seculum XIII. eodem, quo cœpta „ eſt ſtylo continuavit. Hic autem notanda multiplex Sollerii allucinatio: nam primo affirmat Chronico Orientali inſertam fuiſſe ab Ecchellenſi hiſtoriam Patriarcharum Alexandriæ, ex hiſtoria Severi, ut creditur, deſumptam; quum certum ſit, atque ex Arabico Chronici ipſius textu planum fiat, poſtremam ejus partem, quæ Patriarcharum Alexandriæ hiſtoriam complectitur, non eſſe a prioribus ejuſdem partibus diviſam, neque diverſum auctorem habere. Secundo ait Severum ex Vanſlebii teſtimonio anno Martyrum 970. vixiſſe, hoc eſt, Chriſti anno 1254. quod iis quæ ſupra idem Sollerius tradiderat repugnat: nam paulo antea dixerat, Severum & Eutychium Seculo decimo floruiſſe: idque ex Renaudotio confirmatur in vita Ephræmi Alexandrini Patriarchæ LXII. pag. 367.

Digitized by Google

ubi idem Severus Aſmonæorum Epiſcopus temporibus Moezzi claruiſſe perhibetur, cujus obitus anno Hegiræ 365. Chriſti 975. notatur. Denique ſcribit Sollerſus auctorem neſcio quem Copriam, eodem quo cœpta eſt ſtylo, hiſtoriam Patriarcharum a Severo ad annum Martyrum 970. perductam, uſque ad Seculum decimum tertium continuaſſe: id quod duplici ratione falſum eſt; primum, quia unus idemque Chronici auctor Patriarchalem hiſtoriam ex pluribus Scriptoribus deſumpram ad ſua tempora, hoc eſt, ad Seculum Chriſti tertium decimum perduxit: deinde quia intelligi nequit, quod vel quale temporis ſpatium fluxerit ab anno Martyrum 970. ad Seculum Chriſti decimum tertium, quum annus ille Martyrum reſpondeat anno Chriſti 1254. adeoque tertiodecimo Chriſtiano ſeculo comprehendatur. Sed ad Chronicon redeamus.

Auctorem Chronici ab Elmacino laudati, ex relatis ſupra Ecchellenſis verbis patet. Ego ſane priorem Elmacini partem conſului, quæ nondum edita eſt, quæque in Bibliotheca Vaticana exſtat, & ab Hottingero in Bibl. Orient. pag. 75. laudatur: differt autem ab altera parte, quam ſub nomine *Hiſtoriæ Saracenicæ* Thomas Erpenius Lugduni Batavorum anno 1625. Arabice & Latine edidit: hæc enim res geſtas complectitur ab anno primo Hegiræ ad annum 512. hoc eſt, ab anno Chriſti 622. ad annum Chriſti 1118. Illa vero ab Orbe condito ad Heraclium Imperatorem, qui ab Adamo centeſimus ſexageſimus ſextus Dynaſta numeratur, cujuſque temporibus annus primus Hegiræ Mahometicæ incepit: quemadmodum Hottingerus loc. cit. & Abr. Ecchellenſis ad calcem Eutychii vindicati num. 28. in Indice Auctorum notant. In ea igitur Hiſtoriæ parte, quæ prima Georgii Elmacini vocatur, frequentiſſimam *Ebn-Rahebi* mentionem fieri obſervavi, eademque illa, quæ ibi citantur, in noſtro Orientali Chronico reperiri. Exemplo ſunto Darius, quem Elmacinus octogeſimum primum ab Adamo Dynaſtam appellat: Darius ultimus Perſarum rex, qui Dynaſta nonageſimus primus dicitur, Ptolemæus Dynaſta XCIV. Adrianus Imperator Dynaſta CXX. Commodus Dynaſta CXXIII. Severus Dynaſta CXXVI. Decius CXXXV. Diocletianus CXLIII. Gratianus CLI. Juſtinus CLX. Heraclius denique Dynaſta CLXVI. Ex his merito infert Ecchellenſis, *Ebn-Rahebum* eſſe Chronici auctorem.

Quis vero *Ebn-Rahebus* iſte fuerit, aut quando vixerit, nec Ecchellenſis explicat, nec Hottingerus, aut Renaudotius, vel Sollerius, qui ejus verba deſcripſere. Ipſe tamen Ecchellenſis Ebn-Rahebum ſub oculis habebat, dum illum quærebat. Legatur Index Auctorum ab eodem Ecchellenſi ad calcem Eutychii ſubjunctus, eademque pagina, quæ num. 16. *Ben-Rahebum* Chronici Auctorem exhibet, plenum ejus nomen conditionemque num. 14. dabit. Is eſt *Petrus Abuſciacherus Ebnarrahebus Abilcaramus*, qui præter noſtrum Chronicon, aliud etiam opus concinnavit inſcriptum, *Liber Demonſtrationis de Canonibus, qui vigent, deque Conſtitutionibus, quæ obſoleta ſunt*. Hujus operis tria exſtant exemplaria in Bibliotheca Vaticana: Alterum, quod citat Ecchellenſis, Cod. Arab. MS. XXXII. exaratum anno Martyrum 1040. Chriſti 1324. Alterum, cujus fit mentio Tom. 1. Bibl. noſtræ Orient. pag. 626. inter Codices Arabicos num. XXXI. propria Auctoris manu exaratum anno Martyrum 998. Hegiræ 681. ideſt, Chriſti 1282. Tertium Tom. 2. Bibl. noſtr. pag. 510. num. XLII. ſcriptum anno Græcorum 1890. Chriſti 1579. *Petrus*, nomen eſt Auctoris, quod ex genio linguæ Arabicæ prænominibus ejuſdem poſtponitur. *Abu-ſciacherus*, & alicubi *Abu-Sciocrus*, ideſt, pater Sciacheri, ſeu Sciocri, prænomen Petri. *Ebn-Raheb*, ſeu, *Ben-Raheb*, vel cum articulo Arabico, *Ebn-al-Raheb*, & *Ben-al-Raheb*, ſeu *Benarrahebus*, & *Ebnarrahebus*, hoc eſt, filius Monachi, alterum Petri prænomen a patre, qui monaſticam vitam poſtea amplexus eſt, deſumptum; ita Simeon Colailus Macarimi avunculus, & Macari-

mus ipſe Georgii Elmacini avus mortuis uxoribus Monachi facti ſunr , ut ad
calcem hiſtoriæ Saracenicæ pag. 300. legitur . *Abilcaramus* , ſive *Abu-caramus* ,
hoc eſt , pater Carami , tertium Petri prænomen , quod tamen ad Rahebum
Petri ipſius patrem ſpectat: Ecchellenſis pro Abicaramo legit *Ebn-alcaramum* ,
hoc eſt filium Al-Carami ; ſed contra manuſcriptorum Codicum fidem . Addi-
tur in ejuſdem Petri autographo *Ben-al-Mohaddab* , hoc eſt , filius Mohaddabi ,
qui fuit Rahebi Abicarami pater. Petrus igitur, cognomento Abuſciacherus, fi-
lius fuit Rahebi Abicarami, filii Mohaddabi. Illud vero opus, quod *Demonſtra-
tionis Liber* inſcribitur, quodque Ecchellenſis minus recte interpretatur *de Canoni-
aus perficientibus & Præceptis neglectis* , a Petro Benrahebo compoſitum fuit anno
Martyrum 987. Hegiræ 669. ideſt, Chriſti 1271. quum eſſet Diaconus Eccleſiæ
S. Mariæ in Moallaka in Cairo vetere , quemadmodum in Præfatione ejuſdem
libri adnotatur in hæc verba: „ Scribere aggredimur librum Demonſtrationis de
„ canonibus qui vigent, deque Conſtitutionibus obſoletis, opus humilis ſervi ,
„ qui non eſt dignus vocari Diaconus in Eccleſia Sanctæ Dominæ Virginis Ma-
„ riæ, quæ Moallaka dicitur in Caſtro Scemaæ, ideſt , Ceræ in Foſtata Meſræ,
„ *ſeu Cairo vetere*, quæ ad Coptos Jacobitas Cairenſes ſpectat, Petri, inquam ,
„ Abuſciacheri Ben Rahebi Abicarami, filii Mohaddabi, compoſitum anno Mar-
„ tyrum 987. „ *Chronicon* autem noſtrum , quod *Orientale* appellamus , non ad
id, quo vivebat, tempus, ſed quoad Patriarchas quidem, ad annum Martyrum
955. Hegiræ 637. ideſt, Chriſti 1239. perduxit , quemadmodum in Præfatione
de Patriarchis Alexandrinis teſtatur: cui poſtea ipſe periocham illam adjunxit de
Athanaſio Colaili filio, Patriarcha Alexandrino LXXVI. qui anno Martyrum 967.
Chriſti 1251. poſt longum annorum ſeptem cum totidem menſibus interponti-
ficium Patriarcha inauguratus eſt: quoad Chaliphas autem , illud uſque ad an-
num Hegiræ 655. Chriſti 1257. protraxir , quo Manſores Nuradinus Ali Jobi-
darum regum tertius decimus imperium iniit.

Sed quomodo Georgius Elmacinus , qui hiſtoriam ſuam anno Hegiræ 512.
Chriſti 1118. terminavit, Benrahebi Chronicon integris 121. vel 139. annis po-
ſterius, ut quod anno 1239. vel 1257. abſolutum eſt, laudare potuit?

Ad hanc objectionem ipſa Georgii Elmacini hiſtotia reſponſum nobis ſuppe-
ditat. Sane Elmacinus annales ſuos claudit anno Hegiræ 512. qui cœpir die 24.
Aprilis anno Chriſti 1118. vel ſaltem non extendit ultra annum Martyrum 845.
Chriſti 1129. quo Macarium Alexandrinum Patriarcham obiiſſe affirmat, quemad-
modum ex pagina 297. & 298. oſtenditur. Quæ tamen Annalibus pag. 299. &
300. ſubjungitur ejuſdem Elmacini progenitorum hiſtoria planum facit, illius æta-
tem duobus fere ſeculis poſteriorem fuiſſe. Nam *Tibus* Joſephi filius, vir e Ta-
gritenſi Meſopotamiæ urbe oriundus, unde genus Elmacini trahitur, in Ægyptum
venit temporibus Ameri Chaliphæ , qui regnum Ægypti ab anno Hegiræ 495.
ad annum 524. hoc eſt, ab anno Chriſti 1101. ad annum 1129. tenuit ; mor-
tuo autem Amero, uxorem quandam Sanmutenſem duxit, ex qua filium *Carvai-
nam* ſuſcepit . Carvainas genuit *Abutibum* , Abutibus quinque habuit filios , ex
quibus quatuor ad Epiſcopatum promoti ſunt ; quintus vero *Abumecarimus* duxit
uxorem ſororem Simeonis Elmacini , filii Colaili , filii Macarii, ex qua tres liberos
ſuſcepit, *Abulphadlum Nagibum*, *Abuljaſerum Omaidum*, & *Abuzaharum Mochaleſum* ;
mortua autem uxore vitam Monaſticam egit, deceſſitque anno Hegiræ 606. Chri-
ſti 1209. Denique *Abuliaſerus Omaidus* genuit *Georgium Elmacinum* hiſtoriæ Sara-
cenicæ Auctorem ; quumque in locum avunculi ſui Simeonis Elmacini in Mini-
ſterio Notariatus bellici, poſtquam is Monaſticum inſtitutum in Cœnobio Joan-
nis Colobi amplexus fuerat , ab Adelo Abubecro Jobi filio Ægypti Rege circa
annum Hegiræ 596. Chriſti 1199. ſuffectus fuiſſet, in eo munere diu verſatus ,
obiit anno Hegiræ 636. Chriſti 1238. Etſi igitur Georgius Elmacinus Abuljaſe-
ri Omaidi filius hiſtoriam ſuam ad annum Chriſti 1129. tantum perduxit ,

Digitized by Google

vitam tamen ultra annum Chriſti 1238. quo ipſius pater diem clauſit, illum protraxiſſe conſtat: adeoque mirum non eſt, cur Benrahebi Chronicon anno Chriſti 1257. clauſum eodemque forte anno in lucem editum citaverit, quum ipſe poſt eum annum in vivis fuerit.

## CAPUT II.

*De MS. Codice Arabico Chronici Orientalis.*

Quamquam Ecchellenſis in Indice Auctorum Orientalium ad calcem Eutychii vindicati diſertis verbis affirmet *Autographum Arabicum* Chronici Orientalis *apud ſe eſſe*; de ejus tamen fide ambigere videtur Renaudotius: *ex eadem*, inquit, „ Patriarcharum hiſtoria depromſit quiquid de illis habet auctor Chronici Orientalis ab Ecchellenſi Latine tantum editi, & de quo judicare difficile eſt, cum Arabice a nemine viſus huc uſque fuerit, nec ejus titulus occurrat in ampliſſimis Catalogis: quaſi vero eruditi omnes, qui Bibliothecas Europæ rimantur, literarum Orientalium periti ſint; aut quod ipſe Renaudotius non vidit, a nemine viſum fuerit; aut demum nemo privatus ſingularem aliquem manuſcriptum Codicem poſſidere queat, qui in publicis Bibliothecis non exſtet.

Inter multos eoſque præſtantes Codices manu exaratos Syriacos, Arabicos, Perſicos, Turcicos, qui ad domeſticam ejuſdem Abrahami Ecchellenſis Bibliothecam ſpectabant, poſt ejus vero Fauſtique Naironi ſucceſſoris obitum in Apoſtolicam Vaticanam illati fuere, locum habet *Chronicon* iſtud *Arabicum*, cujus Catalogum inter Ecchellenſes libros numero VIII. Tom. 1. Bibl. noſtræ Orientalis pag. 574. exhibui. Id in folio bombycino eſt, chartas ſcriptas ſex ſupra nonaginta continens, cui ad calcem hanc temporis notam amanuenſis appoſuit: Hic „ explicit Liber, & Laus Deo ſemper. Deſcriptus eſt autem in cuſtodita a Deo „ urbe Alexandria, abſolutuſque feria ſecunda, die tertiadecima Pachon, anno „ Sanctorum Martyrum milleſimo vigeſimo tertio, qui reſpondet diei tertiæ „ menſis Dilchedæ, anno Hegiræ ſeptingenteſimo ſexto: nimirum Chriſti 1307.

Sequitur alia manu hæc adnotatio, qua Codex dicitur ad Petrum Monachum pertinere. „ Tranſiit hic liber per legitimam emtionem ad dominium Petri „ Monachi peccatoris, habitantis in Monaſterio Abbatis Joannis: illum vero „ hæreditate poſſedit ex labore filii ſui humilis Sacerdotis Abrahami, cui Deus „ ſalutem animæ concedat precibus eorum, quorum gratæ ſunt orationes. Id „ autem contigit die 19. menſis Epiphi, anno Sanctorum Martyrum 1119. quo„ rum precum benedictionem Deus nobis largiatur. Rogantur itaque quotquot „ literas haſce inſpexerint, ut pro ipſo Deum precentur, ut ei parcat, opem„ que ferat, virtutemque adverſarii conterens, ad ſalutem animæ comparandam „ illum adjuvet, precibus Sancti Magni Abbatis Joannis Colobi, ac præſertim „ Dominæ omnium noſtrum Virginis Mariæ. Kyrie eleiſon. Annus Martyrum 1119. reſpondet anno Chriſti 1403.

Ad Calcem folii 87. ubi Series Patriarcharum Alexandrinorum deſinit, alia item manu ſequentium nomina adduntur. „ LXXVII. Gabriel filius Sororis Epi„ ſcopi Tanbadi. LXXVIII. Joannes filius Abiſaidi. LXXIX. Theodorus. LXXX. „ Joannes, cujus tempore uſus Pileorum inductus eſt. LXXXI. Joannes unus e „ duobus fratribus. LXXXII. Beniaminus. LXXXIII. Petrus. LXXXIV. Marcus „ e Calliope. LXXXV. Joannes e Damaſco. LXXXVI. Gabriel Abbas mona„ ſterii Moharrak. LXXXVII. Matthæus Magnus. LXXXVIII. Gabriel e Meno„ phia majore. LXXXIX. Joannes Macheſenlis. XC. Matthæus e Said. XCI. „ Gabriel Abbas Cœnobii Arabæ, *ideſt*, *S. Antonii*. XCII. Michael e Sceme„ lora. XCIII. Joannes Niciota. XCIV. Joannes e Meſra, *ideſt*, *Cairo*. XCV. „ Gabriel, e Said, cognomento magnus, inauguratus die Dominica,

„ quarta menſis Paophi, anno Martyrum 1242. obiit menſe Paophi anno Mar-
„ tyrum 1285. ideſt, Chriſti 1569.

Subjungitur Patriarcharum nominibus Arabica duplex Eliæ Presbyteri adnotatio; altera Arabicis, Syriacis altera literis exarata, ex qua conſtat anno Chriſti 1626. hunc Codicem in Ægypto fuiſſe, & aliud ex ipſo exemplar deſcriptum. Prima inſcriptio hæc eſt: *legit hunc librum pauper ſervus Elias Presbyter Edenenſis, Maronita.* Altera: „ Legit, deſcripſitque hunc librum pauper ſervus Elias Preſ-
„ byter ex oppido Eden in monte Libano, Diœceſis Tripolis Syriæ, natione Ma-
„ ronita; idque in Meſra (*Cairo*) menſe Ab (*Auguſto*) anno Chriſti 1626. "

## C A P U T III.

*De aliis Auctoris Chronici operibus, deque ejus religione.*

Præter Chronicon, *librum* etiam *Demonſtrationis* edidit Petrus, cujus in priore capite facta eſt mentio. Dividitur autem in Quæſtiones L. quarum Epitomen habes in Bibliotheca noſtra Orientali Tom. 1. pag. 626. & Tom. 2. pag. 510.

Tertium opus concinnavit *de ſeptem Synodis*, quod Chronico ſubjunctum habetur in laudato Codice Ecchellenſi VIII. a pag. 88. uſque ad pag. 96. Illud vero Abrahamus Ecchellenſis luce indignum judicavit: & jure quidem meritoque: nam fabulas potius, quam hiſtoriam earum Synodorum continet; ac præſertim quum ſermo fit de Conciliabulo Epheſino, deque quarta Chalcedonenſi Synodo. Ubi auctor communem ſuæ ſectæ traditionem ſequutus, Dioſcoro impenſius favet, inque Orthodoxos Patriarchas Imperatoreſque calamum acuit, qui Dioſcorianam factionem hæreſimque impugnarunt. Septimam autem Synodum non illam quidem nominat, quæ Nicææ iterum adverſus Iconoclaſtas anno Chriſti 787. habita eſt; Sed alteram adverſus Sacras Imagines Conſtantinopoli celebratam anno Hegiræ centeſimo trigeſimo ſexto, hoc eſt, Chriſti 754. in qua, ut ipſe ait, Joannes Manſoris filius Damaſcenus, & Gregorius (imo Georgius) Cyprius damnati fuere. Quod tamen oſcitanter, & ex veræ hiſtoriæ ignoratione ab eo ſcribitur, non quod ſacras ipſe Imagines deteſtetur: nam in Serie Patriarcharum, quum Alexandri XLIII. res geſtas deſcribit, miraculum Imaginis Chriſti ejuſque Sanctiſſimæ Matris commemorat: nec Ægyptii Dioſcoriani in eo errore contra Sacras Imagines Leoni Iſaurico aut Conſtantino Copronymo Imperatoribus, aliiſve eorum aſſentatoribus Græcis Epiſcopis conſenſerunt, quemadmodum planum fit ex Doctorum Eccleſiæ Alexandrinæ ſcriptis, & ex continua ejuſdem praxi, quæ Sanctorum Imagines ſemper venerata eſt.

Jam vero ex iis, quæ in Tractatu de ſeptem Synodis, & in hoc Chronico paſſim Auctor inculcat, planum fit, eum Monophyſiticis erroribus, ut ſunt omnes Jacobitæ tum Syri tum Ægyptii, imbutum fuiſſe. Hinc primo, in Serie Patriarcharum Alexandrinorum poſt Dioſcorum eos tantum numerat, qui Ægyptii Monophyſitæ fuere: a Timotheo nimirum Æluro uſque ad Athanaſium Colaili. Secundo, Synodum Chalcedonenſem ejuſque orthodoxos propugnatores carpit; Dioſcorum vero, Severum, Timotheum, Theodoſium, alioſque hæreticos Patriarchas, necnon Imperatores Zenonem, Anaſtaſium, Theodoram Auguſtam, qui Catholicos vexarunt, aut errorem unius in Chriſto naturæ tutati ſunt, ſummis laudibus attollit. Tertio, hiſtoriam Latrocinii Epheſini a Dioſcoro in cauſa Eutycheris celebrari, Synodi quoque Chalcedonenſis adverſus utrumque habitæ, aliaſque res ſive ab orthodoxis, ſive a Monophyſitis in Ægypto geſtas narrans, ut qui Dioſcoritanæ factionis hominibus impenſe favet, a veritate plurimum aberrat.

In Libro Demonſtrationis, eamdem Monophyſitarum hæreſim ex profeſſo de-

fendit Quæſtione VIII. & XLII. quibus *unam eſſe Chriſti ſubſtantiam unamque operationem atque voluntatem* propugnar.

Cæterum in aliis quæſtionibus, quæ poſt Photianum Schiſma Græcos inter & Latinos exarſerunt, antiquam Eccleſiæ Alexandrinæ doctrinam Benrahebus ſequutus, Græcis Schiſmaticis repugnat, Latinis conſentit. Et ſpiritum quidem Sanctum a Patre Filioque procedere oſtendit *Quæſtione X.* Matrimonii vinculum, ſequuto etiam adulterio, diſſolvi non poſſe, *Quæſtione XV.* Poſt animæ e corpore exitum Juſtos divina beatitudine frui, Injuſtos pœnis Gehennæ plecti, etiam ante univerſalem reſurrectionem, *Quæſtione XLVI.* Fermentatum tamen Panem in Euchariſtia, non Azymum adhibendum eſſe contendit; inque eam rem *Quæſt. XVI.* producit Tractatum Joannis Bagdadenſis cognomento Abdonis filii Botlani, qui pleno nomine vocatur Mochtarus filius Haſani filii Abdonis filii Botlani, ex Urbe Regia ad Michaelem Patriarcham tranſmiſſum; in quo Joannes quum narraſſet, anno Græcorum 1365. Hegiræ 445. inter Romanum Pontificem & Patriarcham Conſtantinopolitanum, Quæſtionem de Azymo & Fermentato motam fuiſſe, ſubjungit ſuam de eadem controverſia ſententiam, Fermentatum probans, Azymo rejecto. Denique circa Triſagium hymnum, & Circumciſionem, *Quæſt. XIV. & XXVII.* obſervationem Ægyptiorum Jacobitarum propugnat, illum quidem ad Chriſtum Dominum ab Ægyptiis referri, adeoque recte dici poſſe poſt, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, appendicem illam, *Qui natus, ſeu crucifixus, ſeu mortuus es pro nobis, miſerere nobis:* Circumciſionem vero eſſe rem indifferentem, nec ante, ſed poſt Baptiſmum ab Ægyptiis adhiberi, nec tamquam ad Sacramentum neceſſariam, ſed veluti meram cæremoniam.

## CAPUT IV.

*Obſervationes in Textum Arabicum Chronici, inque Latinam Ecchellenſis Verſionem.*

Atque hæc de Chronici auctore, deque ejus manu ſcripto Codice Arabico. Nunc de ipſo Chronico loquamur.

Ampliſſimæ in illud notæ, quas facere Ecchellenſis cogitaverat, non ad rem hiſtoricam pertinebant, neque ad ea illuſtranda, quæ toto libro continentur; Sed, ut idem Ecchellenſis ait in Præfatione „ ad varia hæreticorum noſtri temporis explodenda figmenta, ac mendacia ex omnium Orientalium placitis & conſenſione. Quas vero Renaudotius in Præfatione ad hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum, ab Ecchellenſi vel ab aliis edi optabat, *ut obſcuriſſimæ hiſtoriæ magna inde lux effulgeret;* Eæ obſervationes non aliæ eſſe poſſunt, quam circa Alexandrinæ Eccleſiæ ſtatum, cujus Patriarchas Auctor Chronici admodum jejune recenſet. Nam quod ſpectat ad Sacram Veteris Teſtamenti hiſtoriam, ſive ad res Hebraicas, Græcas, & Romanas infinita propemodum de his commentaria prodiere, e quibus Lector Benrahebum in ea parte emendare poterit, in qua, ut ingenue fatear, ejus fides vacillat. De rebus etiam Arabicis Mahometanis egregie ſcripſerunt Georgius Elmacinus in hiſtoria Saracenica, & Gregorius Abulpharagius in hiſtoria Dynaſtiarum, quorum proinde labores ad hujus Chronici illuſtrationem multum juvant. Hanc vero partem, quæ minus dilucidata Renaudotio videtur, quamque ipſe in ſua Alexandrinorum Antiſtitum hiſtoria explanandam ſuſcepit, in utraque noſtra de Antiochenis & Alexandrinis Patriarchis Diſſertatione, quæ huic Chronico ſubjungitur, quoad fieri potuit, illuſtravimus.

Reſtat igitur, ut de Textu ipſo Arabico, deque ejus verſione per Ecchellenſem adornata notatiunculas adjiciamus, cauſamque novæ a nobis ſuſceptæ interpretationis aperiamus.

Ex multis, quas in Arabico Textu ſive in Latina verſione obſervavimus, allu-

cinationibus, quædam ad Auctorem Chtonici referri poſſunt, aliæ ad Amanuenſem, nonnullæ etiam ad Interpretem.

Auctoris allucinationes hæ fete ſunt. I. *In Calculo & ſupputatione annorum*. Sic pag. 6. Editionis Patiſienſis juxta verſionem Arabicam Sctipturæ Judæorum, Iſaacus poſt genitum Jacobum vixiſſe dicitur *annos centum viginti* pto annis ſexaginta duobus. Pag. 20. Aſa tex pethibetut habuiſſe vitos fottiſſimos 230. *millia*, pto millibus 130. Pag. 21. Achab regnaſſe *annis* 18. pto 22. & Oſee regnum iniiſſe *anno Achaz* 14. pto 12. ut legitur 3. Reg. 16. 29. & 4. Reg. 17. Pag. 26. cæſa de exetcitu regis Sennacherib *ducenta octoginta quinque milla virorum*, quæ 4. Reg. 19. 35. dicuntur fuiſſe contum octoginta quinque millia. Pag. 24. Achaz regnum ſuſcepiſſe anno Phacee filii Romeliæ *decimooctavo*, quem Ecchellenſis decimum ſeptimum ex 4. Reg. 16. 1. vertit. Pag. 28. indictum a Phataone tributum *centum talentorum argenti, & decem talentorum auri*, pro talento auri, 4. Reg. 23. 33. Pag. 34. completum ædificium templi *anno tertio Darii regis*, pro anno ſexto, 1. Eſdt. 6. 15. atque alia hujuſmodi. II. *In genealogia & Serie Regum*. Sic pag. 12. Samgar dicitur filius Ahod, pro Anath, Judic. 3. 31 Pag. 21. poſt Amri regem Iſrael, & ante Achabum, deſunt reges Ela, & Zambri, de quibus 3. Reg. 16. 8. & 15. Pag. 22. Jotam duxiſſe uxotem ſotorem Achab, quæ 2. Paral. 21. 6. filia Achab vocatur. Pag. 35. Eſther dicitur filia ſororis Mardochæi, quæ filia fratris ejus fuit, Eſth. 2. 7. Demum ab Auguſto Cæſare ad Conſtantinum magnum ſeries Imperatorum valde confuſa eſt ac mutila: item annorum ſumma ram quoad Solares, quam quoad Lunares, parum exacta.

III. *In propriis hominum nominibus*: ac præſertim ubi agit de Regibus Perſarum, Ægyptiorum, Macabæotum, Hetodianorum, deque Imperatotibus Romanis. Sic pag. 35. *Samardius* pto Smetde 1 pag. 37. *Saadonius* pro Sogdiano: *Achos* pro Ocho: *Aſis* pro Arſe. Pag. 41. Macabæos intetptetatur *Mærentes*. Pag. 48. de Julio Cæſare, Pompejo, Auguſto, & Antonio ineptias narrat, Senatum Romanum pro ſeniore quodam obtrudens, quem ab Auguſto interfectum aſſetit. Pag. 127. Regem Nubiæ Cyprianum vocat, quem Elmacinus, & Renaudotius in hiſt. Alexandt. pag. 221. ex emendatioribus libris *Cyriacum* appellant. Idem Auctor Chtonici pag. 121. pto Gajano Atabice ſcribit *Daeianum*, quod tamen Ecchellenſis in latina verſione emendavit.

Amanuenſis vitia ptope infinita ſunt. Puncta enim diacritica, quibus litteræ Arabicæ diſcernuntur, pletumque omittit, vel alia pto aliis ſubſtituit: litteras non rato expungit, addit, permutat: numerum denique in Calculis frequentet negligit, aut ſummam oſciranter ſubducit. Pleroſque hujuſmodi defectus in ſua verſione emendavit Ecchellenſis; nonnullos tamen non advertit. Sic pag. 3. in ſupputarione Judæorum, appoſuit ſummam *annorum* 1658. pto 1758. Pag. 12. *Hozil & Zib*, pro Oreb & Zeb: aliaque his ſimilia.

Quæ vero ipſius Ecchellenſis allueinationes ſunt, ex noſtra verſione facile intelliguntur. Sat erit hic paucas adnorare. Pag. 1. & ſeqq. Auctot Chronici laudat *Supputationem Judæorum ſecundum verſionem Abubahari Motnaſſeri*, ideſt, Chriſtiani proſelyti, quo nomine deſignat Aquilæ ſive Theoditionis verſiones in Atabicum tranſlatas, ſed quoad Pattum Antediluvianotum annos ad Hebraicum magis fontem, quam ad Græcam verſionem accedentes: ſeu potius Hebtaicum ipſum textum intelligit Arabice redditum a quodam Abubahato proſelyto Chriſtiano, cujus mentionem a nemine factam invenio: nam *Abubahar* ille cognomento Ibuulchalſon, Philoſophus, Medicus, Aſtrologus & Poeta, qui Granatæ anno Hegitæ 828. Chriſti 1450. teſte Hottingero in Bibliothecario Quadtipartito pag. 286. obiit, a noſtro proſelyto Chriſtiano diverſus eſt, quum noſtet ante annum Chriſti 1200. vixetit: ubi Ecchellenſis pto Abubaharo Motnaſſero legit Abibahtum Almontaſſerum. Pag. 33. idem Ecchellenſis ait, *Nabuchodonoſorem regnum obtinuiſſe ante captivitatem viginti ſex annos, & poſt illam novem ac decem*: at contra-

rium legitur in Textu, nimirum cum poſt Captivitatem regnaſſe annis 26. & ante illam annis 19. Pag. 65. de Hoſaino loquens, ſcribit eum interfectum *die veneris, qui eo nomine ſemper celebris habitus eſt*: ubi in Textu dicitur Hoſainus cæſus *die* 10. *Moharrami, qui in feriam ſextam incidit*. Pag. 64. de Omaro, *primuſque margaritis uſus eſt, eaſque geſtavit:* at auctor ſic habet, *primuſque geſtavit ſtrophium ex fune contortum aut nervum taurinum, quo & percutere ſolebat:* id enim ſibi vult vox Arabica *Dorra*, quam neque Erpenius Elmacini interpres intellexit. Pag. 67. de Valide, *ſuffectus parenti adhuc viventi*, pro, *ex patris ſententia inauguratus*. Pag. 68. *prohibuit Alvalidus, ut nemo illum involveret*; pro *non habuit Valides, quo cadaver ejus*, ideſt, Hiſciami, *involveret*. Pag. 71. *decima Rabii prioris*, 77. *undecima Ragebi*. 82. *vigeſimatertia Rabii prioris*; legendum ex Textu, *decimatertia Rabii prioris*, *undecima ante exitum Ragebi*, *ſeptima ante exitum Rabii poſterioris*. Pagin. 136. & 139. de Zacharia Patriarcha Alexandrino LXIV, deque Joanne LXXIV, loquens, ait eos ſepultos eſſe *in clauſtro*, quum dicere debuiſſet *in Eccleſia Abiſſinorum*. Pag. 105. de Sciagiataddorra Ægyptiorum regina hæc ſcribit: *præſtito juramento conſtituta regina a Mamaluchis, Occidentalibus, & Palatii miniſtris*: Sed pro Occidentalibus auctor habet *Baharitas*, ideſt, maritimos: ſunt autem Baharitæ mamaluchi. ſeu liberti Regis Saladini, qui Ægypto potiti ſunt, iiſque ſucceſſere *Borgitæ* item mamaluchi, a turribus ubi cuſtodiebantur ſic dicti, de quibus vide Pocockium in Præfatione ad hiſtoriam dynaſtiarum pag. 7. & 19. Multa alia utramque verſionem conferendo deprehendes.

Nomina Chalipharum, Regumque mahometanorum, ſemper cum articulo Arabico profert Ecchellenſis: prænomina autem nominibus anteponit, eaque ſæpe confundit, aut latine ita reddit, ut qui homines fuerint, vix intelligi queat: in hiſtoria ſaracenica Elmacini & quod & apud Erpenium Pocockium in hiſtoria dynaſtiarum Abulpharagii obſervare licet. Sic pag. 65. Ecchellenſis reddit *Alhaſanus*, pro Haſano: pag. 67. *Alvalidus*, pro Valide: pag. 72. *Abugiafar Abdalla*, pro Abdalla Abugiaphar: pag. 74. *Almohtaſemo Billa Abu Iſaac Abrahimus*, pro, Abrahamus Motaſemus Billa pater Iſaaci: atque ita in prænominibus omnium fere Chalipharum Abbaſidarum & Phatemidarum, Regumque Jobidarum, quos ipſe Chaliphas perperam appellat, quum ii non Chaliphæ fuerint, ſed Reges, ſeu Soltani, quibus Chaliphæ ſubfuerunt a Pocockio in Præfatione ſeu Appendice ad hiſtoriam dynaſtiarum Gregorii Abulpharagii pag. 32. enumerati. Pag. vero 100. obtrudit pro Rege Guidone *Ludovicum*, & pro Gofredo *Haſrium*. Ibidem *Henfredum* omittit. Pag. 105. pro Turanſcia, quod alii Nuranſcia legunt, ſcribit *Taranſciah*. nomina demum urbium locorumque paſſim pervertit.

## C A P U T V.

*De nova hujuſce Editionis ratione, ac methodo.*

Hæc & alia, quæ referre longum eſſet, me induxerunt, ut novam potius Chronici verſionem ederem, quam ab Ecchellenſi elaboratam emendarem. Et Arabicum quidem textum e regione apponere, atque hac in parte quæ Pariſienſi Editioni deſunt ſupplere, decreveram: ( ſic enim tota Byzantina hiſtoria Græcæ Latineque; hiſtoria etiam Saracenica Elmacini & Abulpharagii, necnon Annales Eutychii Latine & Arabicæ prodiere: ) Verum ex typorum Arabicorum defectu Latinam verſionem tantum in lucem emittere licuit. Si quis poſthac Arabicum ipſum Chronicon edere voluerit, Textus in Vaticana Bibliotheca proſtat.

Quoniam autem non leve diſcrimen inter noſtram & Ecchellenſis verſionem intercedit, quid illud tandem ſit, & quid a nobis hic præſtitum, paucis accipe. Primum, Præfationem Auctoris Chronici ex Arabico Textu translatam ini

Digitized by Google

tio libri appoſui, quam Ecchellenſis paraphraſtice alioque prorſus ordine poſt Capitum Indicem ſubjunxit. Deinde errores in numeris, & nominibus quoad fieri potuit, emendavi. Tertio articulos Arabicos e propriis hominum locorumque nominibus ſuſtuli: prænomina Regum Chalipharumque in ſuum locum reſtitui. Quarto quas Ecchellenſis voces aut male legit, aut non recte expoſuit, juxta Auctoris Chronici mentem dilucidavi.

Denique notarum loco *Diſſertationes IV.* adjunxi: quarum Prima Tabulas Chronologicas continet a Gregorio Abulpharagio Syriace concinnatas ab Orbe condito ad excidium Hieroſolymitanum; ſecunda, ac Tertia de Patriarchis Alexandrinis Ægyptiorum, atque Antiochenis Syrorum Jacobitarum; Quarta de Arabum priſcorum origine, regibus, rebus geſtis ac religione uſque ad Mahometi tempora. Et prima quidem Diſſertatio primam, ſecunda ac Tertia poſtremam hujus Chronici partem illuſtrant: Quarta autem binas partes ſupplementi hiſtoriæ Orientalis ab eodem Ecchellenſi poſt Chronicon editi.

Ut vero plena rerum Orientalium integraque hiſtoria haberetur, in animo fuerat alias Diſſertationes ſubjungere de Patriarchis Syris Melchitis, Maronitis, Neſtorianis, deque Armenis, Georgianis atque Æthiopibus Abiſſinis, necnon Seriem hiſtoriamque paulo diligentius quam in Chronico tractatam Chaliupharum Regumque Mahometanorum a Mahometi temporibus ad noſtram uſque ætatem; cui operi ad exitum perducendo multa mihi adjumento eſſe potuiſſent, ac præſertim multiplices manuſcripti Codices Syriaci & Arabici in Vaticanam Bibliothecam nuper invecti; Turcici quoque optimæ notæ paucis ante annis Conſtantinopoli impreſſi, quos in ſuam ornatiſſimam locupletiſſimamque Bibliothecam *Sanctiſſimus Pater Clemens XII.* intulit; in quibus auctores tum Chriſtiani tum Mahometani accurate tractant de Chaliphis ſive Regibus Ommiadis, Abbaſidis, Phatemidis, Jobidis, Selgiuchianis, Tartaris, Mamaluchis Turcicis atque Circaſſis, Turcomanis, Sophianis in Perſide, ac Turcis Othomanidis: hæc autem omnia ad Byzantinam hiſtoriam pertinere nemo non videt. Verum quum Typographis editionem hujus Chronici urgeat, iſtam adornandam Orientalem hiſtoriam in aliud tempus rejicio.

# INDEX

*Chronici Orientalis.*


Chronici Orientalis Auctoris Præfatio — Pag.
De Patriarchis — 1
De Judicibus filiorum Iſrael — 7
De Regibus duodecim Tribuum — 10
De Regibus Juda, & de Regibus Iſrael — 11
De Regibus poſt Captivitatem Babylonicam — 20
De Machabæis — 25
De Imperatoribus Romanis, deque Regibus Herodianis — 29
De Nativitate D. N. Jeſu Chriſti — 30
De Excidio Templi, & Urbis Hieroſolymitanæ — 33
De Moslemanorum Imperio — 40
De Chaliphis Ommiadis — 43
De Chaliphis Abbaſidis — 47
De Chaliphis Phatemidis — 58
De Regibus Jobidis — 66
De Patriarchis Alexandrinis — 73


# INDEX

*Diſſertationum Joſephi Simonii Aſſemani.*


Diſſertatio I. Gregorii Abulpharagii Barhebræi Primatis Orientis, Tabulæ Chronologicæ ab Orbe condito uſque ad Excidium Hieroſolymitanum — 103
Tabula I. ab Adamo ad Moyſen — ibid.
Tabula II. a Joſue filio Nun primo Judice, uſque ad Saul primum Regem — 108
Tabula III. Reges Juda & Iſrael — 111
Tabula IV. Reges Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum, a primo Templi Excidio uſque ad poſtremum — 115
Diſſertatio II. Patriarcharum Alexandrinorum Series, a S. Marco uſque ad præſentem diem — 120
Diſſertatio III. Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum Series, a Severo ad præſeotem diem — 160
Diſſertatio IV. De Arabum origine ac religiooe — 220
§. I. Arabiæ diviſio in Felicem, Petræam, & Deſertam — ibid.
II. Arabes indigenæ, & advenæ — 221
III. De Minæis, Nabatæis, Ituræis, Batanæis, Auranitis, Gaulanitis, Argobenis, Ammonitis, Moabitis, Madianitis, Idumæis, & Amalecitis. — 223
IV. Arabum populorum oomina apud antiquos Græcos Latinoſque Scriptores — 225
V. Arabum populi & Oppida, ex Geographis Orientalibus — 226
VI. Arabum nomina apud Sacros Scriptores — 232
VII. De Saraceoorum oomine. — 233
VIII. Homeritæ, Æthiopes, & Indi, Arabiæ felicis incolæ appellati — 235
IX. Arabum Jamaoitarum origines ex propriis ipſorum Monumentis — 236
X. Iſmaelitarum tribus ex Mahometanis Scriptoribus — 240
XI. Ab Adoano ad Mahumetum, Arabum genealogia — 242
XII. De ſeptem Arabum Poetis, qui ante Mahumeti tempora floruerunt — 247
XIII. De antiquorum Arabum religione ante Chriſtum natum — ibid.
XIV. Præcipuum Arabum numen Sol, qui Madianitis & Moabitis Chamos & Beelphegor; Ammonitis Moloch; reliquis Urotal — 248
XV. Alterum numeo Arabum Luna, ſeu Venus quæ Allat, Ozza, & Zohara. — 249
XVI. Tertium Arabum numen Saba Chuſii filius, qui & Bacchus & Duſares — 250
XVII. Delubri Meccani idola Bacchus & Allatæa: hæc Caaba & Lapis niger; Sorata Bacchus. — 251
XVIII. Fabulæ Mahometanorum de fano Mecchæ. — 252
XIX. Peregrinatio Mahometanorum ad fanum Meccanum — 254
XX. Cætera idolorum Arabicorum nomina — ibid.
XXI. Mahometanorum proteſtatio ſuperſtitioſa. — 256
XXII. Reliquæ priſcorum Arabum Sectæ — 257
XXIII. Arabum inſtituta ante Mahometiſmum — 257
XXIV. De priſcis Arabum Regibus ſub Imperio Aſſyriorum, Medorum, Perſarum & Græcorum — 260
XXV. De Regibus Arabum Palmyrenis atque Edeſſeois — 264
XXVI. De Regibus Arabum Gaſſaoitis & Lachemitis — 266
XXVII. De Regibus Arabum Homeritis — 269

# CHRONICI ORIENTALIS
## AUCTORIS PRÆFATIO.

### *In nomine Dei clementis miſericordis*

*COmplectitur hic Liber Chronologiam ab Orbe condito uſque ad præſentem diem: agiturque in eo de Adamo primo omnium parente, cæteriſque poſt ipſum Patriarchis uſque ad Abrahamum, & ab hoc ad Moyſen: tum de* Judicibus *filiorum Iſrael, deque* Regibus *Iſrael, &* Juda*, a* Saule *rege ad finem captivitatis: mox de* Regibus Romanorum*, &* Græcorum*, quorum nomina, & anni, quibus regnarunt, res etiam nonnullæ ab eis geſtæ accuratiſſime quoad fieri potuit deſcribuntur, uſque ad* Chriſti *Domini, cui laus & adoratio, adventum: & a die, quo hic natus eſt, uſque ad diem, quo crucifixus fuit, et reſurrexit. Deinde de rebus geſtis Patriarcharum, a* Marco *Apoſtolo & Evangeliſta ad* Athanaſium *Patriarcham Alexandrinum, expreſſo uniuſcujuſque Patriarchæ nomine, & quæ notatu digna diebus eorum contigere, & quot quiſque annis Patriarchalem Sedem rexit, & quo die electus eſt, & quo obiit. Tum de Chaliphis Moſulmanorum a primo ad ultimum, nemine prætermiſſo: & quid ſub unoquoque geſtum ſit, quidve ſinguli geſſerint, quot annis regnaverint, quo die inaugurati fuerint, quove deceſſerint: & quantum temporis duraverit Dynaſtia Abbaſidarum, & Phatemidarum. Demum de ſerie, geſtis, & annis* Regum*, qui in* Ægypto *regnarunt poſt Chaliphas uſque in hodiernum diem.*

*Adjecimus autem in laterculo annos Patriarcharum, qui ex Judæorum ſupputatione exciderunt: in his omnibus ſummo a nobis ſtudio adhibito, ut Lectorem pro virili noſtra juvaremus.*

# DE PATRIARCHIS.

| Numerus. | *Nomina Patrum, eorumque Ætas, ſecundum verſionem Septuaginta.* | *Anni.* | *Summa.* | *Supputatio Judæorum ſecundum verſionem Abubahari Motnaſſeri, id eſt, Chriſtiani Proſelyti.* Anni. | Summa. | Defectus. | Summa defectus. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| I. | ADAM ducentorum & triginta annorum erat, cum genuit Seth: & vixit Adam, poſtquam genuit Seth, ſeptingentis annis. Tota itaque Adæ vita fuit nongentorum ac triginta annorum. | 230<br>700<br>930 | 230 | 130<br>800<br>930 | 130 | 100 | 100 |
| II. | SETH ducentorum & quinque annorum erat, cum genuit Enos. Vixit autem poſtquam genuit Enos, ſeptingentis & ſeptem annis. Tota itaque vita Seth fuit annorum nongentorum & duodecim. | 205<br>707<br>912 | 435 | 105<br>807<br>912 | 235 | 100 | 200 |
| III. | ENOS centum & nonaginta annorum erat, cum genuit Cainan: Vixit autem, poſtquam genuit Cainan, ſeptingentis & quindecim annis. Univerſim itaque vixit Enos nongentis & quinque annis. | 190<br>715<br>905 | 625 | 90<br>815<br>905 | 325 | 100 | 300 |
| IV. | CAINAN centum & ſeptuaginta annorum erat, cum genuit Malaleel. Deinde vixit ſeptingentis & quadraginta annis. Univerſim itaque vixit nongentis decem annis. | 170<br>740<br>910 | 795 | 70<br>840<br>910 | 395 | 100 | 400 |
| V. | MALALEEL centum & ſexaginta quinque annorum erat, cum genuit Jared. Vixit autem, poſtquam genuit Jared, ſeptingentis & triginta annis. Univerſim itaque vixit Malaleel octingentis & nonaginta quinque annis. | 165<br>730<br>895 | 960 | 65<br>830<br>895 | 460 | 100 | 500 |



Digitized by Google

| Numerus. | *Nomina Patrum, eorumque Ætas, ſecundum verſionem Septuaginta.* | *Anni.* | *Summa.* | *Supputatio Judæorum ſecundum verſionem Abubahari Proſelyti.* *Anni.* | *Summa.* | *Defectus.* | *Summa defectus.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| VI. | Jared centum & ſexaginta duorum annorum erat, cum genuit Henoch. Vixit autem, poſtquam genuit Henoch, octingentis annis. Univerſim itaque vixit Jared nongentis ſexaginta duobus annis. | 162<br>800<br>962 | 1122 | 162<br>800<br>962 | 622 | ✠ | 500 |
| VII. | Henoch centum ſexaginta quinque annorum erat, cum genuit Mathuſale. Vixit autem, poſtquam genuit Mathuſale, ducentis annis. Cum igitur illum ad ſe Deus vivum ſuſtulit, erat annorum trecentorum ſexaginta quinque. | 165<br>200<br>365 | 1287 | 65<br>300<br>365 | 687 | 100 | 600 |
| VIII. | Mathuſale centum octoginta ſeptem annorum erat, cum genuit Lamech. Vixit autem, poſtquam genuit Lamech, ſeptingentis octoginta duobus annis. Univerſim itaque vixit Mathuſale nongentis ſexaginta novem annis. | 187<br>782<br>969 | 1474 | 187<br>782<br>969 | 874 | ✠ | 600 |
| IX. | Lamech centum octoginta duorum annorum erat, cum genuit Noe. Vixit autem, poſtquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis. Univerſim itaque vixit Lamech ſeptingentis ſeptuaginta ſeptem annis. | 182<br>595<br>777 | 1656 | 182<br>595<br>777 | 1056 | ✠ | 600 |
| X. | Noe quingentorum annorum erat, cum genuit Sem, Cham, & Japhet. Vixit autem uſque ad Diluvium centum annis: poſt Diluvium vero trecentis quinquaginta annis. Univerſim itaque vixit Noe nongentis quinquaginta annis. | 500<br>100<br>350<br>950 | 2256 | 500<br>100<br>350<br>950 | 1656 | ✠ | 600 |
| XI. | Sem centum, & duorum annorum erat, cum genuit Arphaxad. Vixit autem, poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis. Univerſim itaque vixit Sem ſexcentis & duobus annis. | 102<br>500<br>602 | 2258 | 102<br>500<br>602 | 1758 | ✠ | 600 |

| *Numerus.* | *Nomina Patrum , eorumque Ætas , ſecundum verſionem Septuaginta.* | *Anni.* | *Summa.* | *Supputatio Judæorum ſecundum verſionem Abubahari Proſelyti.* | | | |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| | | | | *Anni.* | *Summa.* | *Defectus.* | *Summa defectus.* |
| XII. | Arphaxad centum triginta quinque annorum erat, cum genuit Cainan. Vixit autem, poſtquam genuit Cainan, quadringentis triginta annis. Univerſim itaque vixit Arphaxad quingentis ſexaginta quinque annis. | 135<br>430<br>565 | 2393 | 35<br>403<br>438 | 1793 | 100 | 700 |
| XIII. | Cainan centum triginta novem annorum erat, cum genuit Sale, Vixit autem, poſtquam genuit Sale, trecentis triginta annis. Univerſim itaque vixit Cainan quadringentis ſexaginta novem annis. | 139<br>330<br>460 | 2532 | Judæi expunſerunt nomen Cainan ex Codicibus ſuis. | ✠ | 139 | 839 |
| XIV. | Sale centum triginta annorum erat, cum genuit Heber. Vixit autem, poſtquam genuit Heber, trecentis triginta annis. Univerſim itaque vixit Sale quadringentis ſexaginta annis. | 130<br>330<br>460 | 2662 | 30<br>430<br>460 | 1823 | 100 | 939 |
| XV. | Haber centum triginta quatuor annorum erat, cum genuit Phaleg Vixit autem, poſtquam genuit Phaleg, ducentis ſeptuaginta annis. Univerſim itaque vixit Heber quadtingentis & quatuor annis. | 134<br>270<br>404 | 2796 | 34<br>430<br>464 | 1857 | 100 | 1039 |
| XVI. | Phaleg centum triginta annorum erat, cum genuit Reu. Vixit autem, poſtquam genuit Reu, ducentis novem annis. Univerſim itaque vixit Phaleg trecentis triginta novem annis. | 130<br>209<br>339 | 2926 | 30<br>209<br>239 | 1887 | 100 | 1139 |
| XVII. | Reu centum triginta duorum annorum erat, cum genuit Sarug. Vixit autem, poſtquam genuit Sarug ducentis ſeptem annis. Univerſim itaque vixit Reu trecentis triginta novem annis. | 132<br>207<br>339 | 3058 | 32<br>207<br>239 | 1919 | 100 | 1239 |
| XVIII. | Satug centum triginta annorum erat, cum genuit Nachor. Vixit autem, poſtquam genuit Nachor, ducentis annis. Univerſim itaque vixit Satug trecentis triginta annis. | 130<br>200<br>330 | 3188 | 30<br>200<br>230 | 1949 | 100 | 1339 |



Digitized by Google

| *Numerus.* | *Nomina Patrum, eorumque Ætas, ſecundum verſionem Septuaginta.* | *Anni.* | *Summa.* | *Supputatio Judæorum ſecundum verſionem Abubabari Proſelyti.* | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | *Anni.* | *Summa.* | *Defectus.* | *Summa defectus.* |
| XIX. | Nachor ſeptuaginta novem annorum erat, cum genuit Thare. Vixit autem, poſtquam genuit Thare, centum viginti duobus annis; Univerſim itaque vixit Nachor annis ducentis, & uno. | 79<br>122<br>201 | 3267 | 29<br>119<br>148 | 1978 | 50 | 1389. |
| XX. | Thare ſeptuaginta annorum erat, cum genuit Abraham. Vixit autem, poſtquam genuit Abraham, centum triginta quinque annis; Univerſim itaque vixit Thare ducentis quinq; annis. | 70<br>135<br>205 | 3337 | 70<br>135<br>205 | 2048 | ✠ | 1389 |

## EX LIBRO GENESIS Cap. XII. verſ. 1.

DIXIT *autem Deus ad Abram: Egredere de terra tua in qua natus es, & de domo patris tui ad terram quam monſtrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & extollam te, & benedicam nomini tuo, eriſque benedictus; & benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ nationes terræ. Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Deus, & tulit ſecum Lot filium fratris ſui, & univerſa, quæ ipſorum erant, ſubſtantiam ſcilicet, & animas. Erat autem Abram tunc temporis ſeptuaginta quinque annorum, cum egreſſus eſt de Haran.*

Poſt finem itaque ſeptuaginta quinque annorum, ſumendum eſt initium quadringentorum triginta annorum, quibus completis egreſſi ſunt filii Iſrael ex Ægypto.

## GENES. Cap. XV. verſ. 13.

*Tum dixit Deus ad Abram: Certo ſcias quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra aliena, & malefacient eis, & ſervituti ſubiicient eos quadringentis annis. Ego autem judicabo populum illum, qui eos ſervituti ſubjiciet, & egredientur de medio illorum cum magna ſubſtantia: Tu vero efferéris ad patres tuos in pace, & ſepelieris in ſenectute bona, ac venerabili.*

## EX LIBRO EXODI Cap. XII. verſ. 40.

*Habitatio filiorum Iſrael in terra Ægypti fuit quadringentorum triginta annorum. Itaque poſt quadringentos & triginta annos, hoc eodem die egreſſi ſunt milites Dei de terra Ægypti. Erat autem nox illa ſervata apud Deum, ut illos educeret de terra Ægypti.*

In ea nocte completum eſt tempus quadringentorum triginta annorum, ex quo locutus eſt Deus ad Abram. Anno autem ſeptuageſimo quinto ætatis ſuæ deſcendit Abram in Ægyptum propter famem quæ acciderat. Ejus quoque diebus condita fuit Jericho a ſeptem Regibus.

| *Numerus.* | *Nomina Patrum, eorumque Ætas, ſecundum verſionem Septuaginta.* | *Anni.* | *Summa.* | *Supputatio Judæorum ſecundum verſionem Abubabari Proſelyti.* Anni. | Summa. | Defectus, | Summa defectus. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| XXI. | Abraham centum annorum erat, cum genuit Iſaac. Deinde vixit, poſtquam genuit Iſaac, ſeptuaginta quinque annis. Univerſim itaque vixit Abraham centum ſeptuaginta quinque annis. | 100<br>75<br>175 | 3437 | 100<br>75<br>175 | 2148 | ✠ | 1389 |
| XXII. | Iſaac ſexaginta annorum erat, cum genuit Jacob. Vixit autem poſtquam genuit Jacob, annis centum viginti. Univerſim itaque vixit Iſaac centum octoginta annis, | 60<br>120<br>180 | 3497 | 85<br>62<br>147 | 2233 | 25 | 1414 |
| XXIII. | Jacob octoginta quinque annorum erat, cum genuit Levi. Vixit autem, poſtquam genuit Levi, annis ſexaginta duobus, Univerſim itaque vixit Jacob centum quadraginta ſeptem annis. | 85<br>62<br>147 | 3582 | 85<br>62<br>147 | 2318 | ✠ | 1414 |
| XXIV. | Levi quadraginta annorum erat, cum genuit Caath. Vixit autem, poſtquam genuit Caath, nonaginta ſeptem annis. Univerſim itaque vixit Levi centum triginta ſeptem annis. | 40<br>97<br>137 | 3622 | 40<br>97<br>137 | 2358 | ✠ | 1414 |
| XXV. | Caath ſexaginta annorum erat, cum genuit Amran. Vixit autem, poſtquam genuit Amran, ſeptuaginta tribus annis. Univerſim itaque vixit Caath centum triginta tribus annis. | 60<br>73<br>133 | 3682 | 60<br>73<br>133 | 2418 | ✠ | 1414 |
| XXVI. | Hamran octoginta annorum erat, cum genuit Moyſen. Vixit autem, poſtquam genuit Moyſen, quinquaginta ſeptem annis. Univerſim itaque vixit Hamran cẽtum triginta ſeptem annis. | 80<br>57<br>137 | 3762 | 80<br>57<br>137 | 2498 | Atque hic deſinunt anni, quos Judæi ex Pentateucho ſuſtulere: ibidemque finem habet ipſorum ſupputatio. | 1414 |
| XXVII. | Moyſes octoginta annorum erat, cum allocutus eſt Pharaonem, eduxitque filios Iſrael de Ægypto: ex quibus quadraginta quidem annos egit in Ægypto, & alios quadraginta in Madian. | 80 | 3842 | 80 | 2578 | | 1414 |

DIES, qua præcepit Deus Moyſi, & Aaroni, ut immolarent Agnum in terra Ægypti, qua nocte egreſſi ſunt, fuit feria quarta, vigeſimatertia menſis Phatmuthi, decima-nona Adar, decima-quarta luna Niſan, quæ erat luna menſis Dilhegæ. Erat autem dies ille, quo ſol primum ingreſſus eſt ſignum Arietis, eſtque initium annorum mundi, dieſque ſolemnis, ac celeberrimus apud Ægyptios; atque ideo præcepit Deus, ut immolarentur animalia quæ ii colebant, & aſpergeretur ſanguis eorum ſuper portas filiorum Iſrael. Feria autem quinta ſummo mane exierunt filii Iſrael de Ægypto, & completi ſunt quadringenti illi ac triginta anni. Cumque compleviſſet Moyſes in deſerto quadraginta annos, dixit ei Deus: *Aſcende ad montem, & adjungere populo tuo, & aſſume Joſue filium Nun, & conſtitue illum: ipſe enim præcedet populum, donec introducat eos in terram promiſſionis, quemadmodum juravi patribus eorum Abraham, Iſaac, & Jacob.* Et mortuus eſt Moyſes, cum eſſet annorum centum viginti, anno nimirum ab Orbe condito 3882.

# DE JUDICIBUS FILIORUM ISRAEL.

| *Numerus.* | *NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, ex libro Judicum.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| XXVIII. | JOSUE filius Nun rexit populum poſt mortem Moyſis Prophetæ annis triginta & uno. Vixit autem in univerſum annis centum & decem. | 31 | 3913 |
| XXIX. | PHINEES filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, erat cum Joſue filio Nun: proptereaque non aliud ab ætate Joſue tempus ipſi aſſignatur. | ✠ | ✠ |
| XXX. | CHUSAN impius, cognomento Raſathaim, Rex Tyri & Sidonis, ſubjecit filios Iſrael annis octo, quoniam ii fecerant malum coram Domino, & coluerant Baalim & Aſtaroth idola, & connubio tradiderant filias, filioſque ſuos gentibus, & adoraverant Deos earum: ideo tradidit eos in manus Chuſan, qui eos ſervituti ſubjecit. | 8 | 3921 |
| XXXI. | OTHONIEL filius Cenez, ex Judicibus filiorum Iſrael, occidit impium Chuſan, & rexit eos. Scriptum eſt enim: *Et clamaverunt filii Iſrael ad Deum, & liberavit eos Othoniel filius fratris Chaleb, adjuvitque eum Dominus, & judicavit filios Iſrael, & occidit Chuſan, quievitque terra a bellis quadraginta annis.* | 40 | 3961 |
| XXXII. | EGLON Rex Moabitarum filiorum Lot, ſubjecit eos octodecim annis: nam poſt mortem Othonielis, reverſi ſunt filii Iſrael ad opera ſua peſſima: ideoque ſubjecit eos Dominus Egloni decem & octo annis. | 18 | 3979 |
| XXXIII. | AOD filius Gera fuit Judex. Scriptum eſt enim: Filii Iſrael clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Aod filium Gera de Tribu Beniamin, qui utraque manu pro dextera utebatur. Cumque obtuliſſet munus Egloni, & ingreſſus eſſet ad eum, percuſſit illum gladio ancipiti in ventre, & mortuus eſt: & ſecuti ſunt eum filii Iſrael, occideruntque ex Moabitis circiter decem millia virorum: & quievit terra octoginta annis. | 80 | 4059 |
| XXXIV. | SAMGAR filius Aod, Judex quoque fuit. Legitur in Textu, interfecto Eglone Judicem fuiſſe Aod poſt illum octoginta annis. | ✠ | ✠ |

Digitized by Google

| *Numerus.* | *NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, ex libro Judicum.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| XXXV. | JABIN Rex Chanaan, & Siſara Dux exercitus ejus, annis viginti. Quoniam filii Iſrael reverſi ſunt ad opera ſua peſſima coram Domino, ideo poſt mortem Aod tradidit illos Dominus in manus Jabin Regis, qui regnabat in Aſor, & nomen Ducis exercitus ejus Siſara: habebatque nongentos currus falcatos: ſubjecit autem filios Iſrael viginti annis. | 20 | 4079 |
| XXXVI. | BARAC de Tribu Nephtali, & Debbora, quadraginta annis. Scriptum eſt enim: Erat autem Debbora Propheriſſa judicans filios Iſrael in illo tempore, & miſit Barac cum decem millibus de filiis Nephtali, & occidit Siſaram. | 40 | 4119 |
| XXXVII. | MADIANITÆ, qui ſunt Arabes, Oreb, & Zeb, ſubjecerunt filios Iſrael ſeptem annis: Quoniam enim perpetraverant mala coram Domino, ideo tradidit eos in manus Madianitarum, itaut coacti ſint fugere in montes, & habitare in ſpeluncis, & in omnem regionem diſpergi. | 7 | 4126 |
| XXXVIII. | GEDEON filius Joas quadraginta annis judicavit Iſrael. Hic vidit Angelum Dei adhortantem ſe, ut ſalvaret filios Iſrael. Quamobrem aggreſſus eſt Madianitas, eoſque fugavit, & a facie filiorum Iſrael recedere coegit, ita ut poſthac numquam auſi ſint caput attollere, Quievitque terra a bello omnibus diebus Gedeonis. | 40 | 4160 |
| XXXIX. | ABIMELECH regnavit ſuper filios Iſrael tribus annis: miſitque Dominus ſpiritum peſſimum ſuper Abimelech, quoniam interfecerat ſeptuaginta fratres ſuos, & vindictam ſumpſit de illo Dominus, deque habitatoribus Neapolis, qui ipſum adjuverant, operamque ſuam ad id facinus ei præſtiterant. interfecitque illum mulier quædam fragmento molæ de muribus turris jacto capitique ejus illiſo. Qui vocavit armigerum ſuum, & ait ad eum. Evagina gladium tuum, & interfice me: ne forte dicatur: fœmina interfecit eum: qui juſſa perficiens, occidit eum. Evenerunteque mala habitatoribus Neapolis, & venit ſuper eos omnis maledictio, qua maledixit eos Joatham filius Gedeonis. | 3 | 4169 |
| XL. | THOLA filius Phua patrui Abimelech judicavit viginti & tribus annis. Erat autem ex Tribu Iſſachar, mortuuſque eſt, & ſepultus in Samir. | 23 | 4192 |
| XLI. | JAIR Galaadites filius Galaad judicavit viginti & duobus annis, habebatque triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & triginta oppida: mortuuſque eſt, ac ſepultus in Camon. | 22 | 4214 |

| *Numerus.* | *NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL,* *ex libro Judicum.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| XLII. | Philiſthiim, & Ammonitæ filii Lot ſubjecerunt eos octodecim annis. Quoniam filii Iſrael reverſi ſunt ad faciendum malum coram Domino, & coluerunt Baalim idolum & Aſtaroth, relinquentes cultum Domini; ideo accenſus eſt furor Domini contra eos, & tradidit illos in manus Philiſthiim, & filiorum Ammon: qui irruerunt in filios Iſrael, ſubjeceruntque eos, & vehementer oppreſſerunt per annos decem & octo. | 18 | 4232 |
| XLIII. | Jephte Judicavit ſex annis, immolavitque filiam ſuam Domino ob votum quod voverat. Pugnavit autem Jephte contra filios Ammon, quos tradidit Deus in manus ejus, reportavitque de illis victoriam. Et contenderunt cum illo filii Ephraim dicentes: Cur egreſſus es ad pugnandum contra filios Ammon; nos autem vocare noluiſti? igitur volumus incendere domum tuam. Et congregavit Jephte viros Galaad, & pugnavit contra filios Ephraim, percuſſitque ex illis quadraginta duo millia. | 6 | 4238 |
| XLIV. | Abeſan, qui & Nahaſſon, de Bethlehem, judicavit ſeptem annis. Habebat autem triginta filios, & triginta filias, quas maritis dedit, & introduxit triginta nurus triginta filiis ſuis, mortuuſque eſt, ac ſepultus in Bethlehem. | 7 | 4245 |
| XLV. | Allon de Tribu Zabulon, judicavit decem annis, & mortuus eſt, ac ſepultus in terra Zabulon. | 10 | 4255 |
| XLVI. | Ageton filius Helian Ephratæus, quadraginta habebat filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſupra ſeptuaginta pullos aſinarum, & judicavit filios Iſrael octo annis, mortuuſque eſt, ac ſepultus in terra Ephraim. | 8 | 4263 |
| XLVII. | Philiſthæi ſubjecerunt filios Iſrael quadraginta annis. Erat autem quidam vir de tribu Dan, nomine Manue, habens uxorem ſterilem, quæ nunquam pepererat. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit: Utique concipies, & paries filium: cave ergo ne bibas vinum, nec ſiceram, nec immundum quicquam comedas. Cum vero genueris puerum, ne radas caput ejus novacula, nec tranſeat ſuper caput ejus ferrum: erit enim gigas fortiſſimus, perque ipſum liberabit Deus filios Iſraël a Philiſthæis. Quæ concepit & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samſon. | 40 | 4303 |
| XLVIII. | Samſon, qui & Samſom, gigas, judicavit annis viginti: cæterque gigas fortiſſimus, qui maxilla aſini occidit mille viros: oppreſſo autem vehementi ſiti, erupit aqua de maxilla aſini, bibitque. Vinctus vero catenis ferreis, non ſecus eas rumpebat, ac fila relatum. Res ab eo geſtæ omnibus notæ ſunt. | 20 | 4323 |
| XLIX. | Poſt Samſonem fuerunt filii Iſrael abſque duce, & abſque Judice annis octo. | 8 | 4331 |



Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, ex libro Judicum. | Anni. | Summa. |
|---|---|---|---|
| L. | Heli ſacerdos rexit filios Iſrael quadraginta annis, Filii autem ejus perpetrabant mala coram Domino, & in ipſo templo cum mulieribus ſcelera committebant. Quamobrem dixit ad eum Deus; Locutus fueram, ut tu, & filii tui miniſtraretis in conſpectu meo uſque in ſempiternum; nunc autem abſit hoc a me. | 40 | 4371 |
| LI. | Samuel propheta rexit filios Iſrael viginti annis; & erat magnus in oculis eorum. Ipſe autem unxit Saul, & David in Reges ſuper filios Iſrael, & cognoverunt filii Iſrael a Dan ad Berſabee, quod Dominus eſſet cum Samuele propheta: cumque mortuus eſſet, congregati ſunt filii Iſrael, planxeruntque eum, & ſepelierunt eum in ſepulchro ejus in urbe Ramatha. | 20 | 4391 |
| | **DE REGIBUS FILIORUM ISRAEL. NOMINA REGUM FILIORUM ISRAEL.** | | |
| LII. | Saul filius Cis de tribu Benjamin regnavit ſuper filios Iſrael quadraginta annis; eſtque primus Rex, qui regnavit ſuper eos. Erant autem Sauli iſti filii; Jonathas, Jeſſui, Melchiſua: habebat quoque duas filias, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol: nomen autem uxoris ejus Achinoam filiæ Achimaas; & nomen principis militiæ ejus Abner filii Ner. Perpetuo autem verſatus eſt in bellis, donec occidit ſemetipſum. | 40 | 4431 |
| LIII. | David Rex filius Jeſſe, regnavit ſuper filios Iſrael quadraginta annis, ex quibus ſeptem in Hebron, & triginta tres in Hieruſalem. Ejus autem geſta notiſſima ſunt in libris Regum. Defunctus eſt in bona ſenectute, ac ſepultus in civitate David. | 40 | 4471 |
| LIV. | Salomon cum pace & quiete regnavit quadraginta annis, magnumque obtinuit regnum. Erat autem in diebus ejus aurum in manibus plebis inſtar luti, & argentum nihili habebatur. Noviſſime vero ſeduxerunt mulieres cor Salomonis, & irritavit Deum in fine vitæ ſuæ, mortuuſque eſt, ac ſepultus cum patribus ſuis. | 40 | 4511 |

# DE REGIBUS JUDA
# ET
# DE REGIBUS ISRAEL.

## DIVISIO REGNI IN REGES JUDA, ET ISRAEL.

*3. Reg. 11. & 12.*

DIVISUM eſt autem Regnum poſt mortem Salomonis in Reges Juda, & Iſrael. Nam Jeroboam filius Nabath Ephrathæus, cujus mater erat nomine Sarua, mulier vidua, ſervus Salomonis, rebellavit contra eum; & hæc eſt cauſa rebellionis. Erat Jeroboam vir fortis & potens: Cumque aliquando egrederetur de Jeruſalem, occurrit ei Ahias Silonites propheta, opertus pallio novo: apprehendenſque Ahias propheta pallium ſuum, ſcidit illud in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: Tolle ex iſtis decem partes: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro una Tribus remanebit ei, ut remaneat lucerna David ſervo meo coram me in ſempiternum in Jeruſalem. Quod cum nunciatum eſſet Salomoni, quæſivit Jeroboam, ut illum interficeret: qui e conſpectu ejus fugiens, in Ægyptum ſe contulit, & fuit in Ægypto, donec nunciata eſt ipſi mors Salomonis: tunc enim reverſus eſt in Jeruſalem. Populus autem poſt mortem Salomonis congregatus eſt ad Roboam filium ejus, & dixit ei: Salomon pater tuus ſummopere oppreſſit nos: tu itaque imminue paululum de jugo ejus graviſſimo, & erimus tibi ſervi. Quibus dixit Roboam: minimus digitus meus major eſt pollicibus patris mei: quamobrem ſi pater meus dura vos ſervitute oppreſſit, ego flagellis vos opprimam. Atque hæc ait, quoniam averſatus eum fuerat Deus. Tunc conclamavit populus: non eſt nobis pars cum David, neque hæreditas cum filio Jeſſe. Et accitum Jeroboam conſtituerunt Regem ſuper eos, nec ſecutus eſt quiſquam filium Salomonis præter tribum Juda ſolam. Et conflavit Jeroboam duos Vitulos aureos, & poſuit unum in Bethel, & alterum in Dan: conſtituitque ibi altare ad ſacrificia, & Sacerdotes de populo aſſumpſit pro vitulo, conſtituitque diem ſolemnem quintam decimam menſis octavi, ſicuti mos erat in terra Juda. Hinc poſuimus Reges Juda ex una parte, & Reges Iſrael ex altera parte e regione. Supputationem vero Chronologiæ ex annis Regum Juda confecimus; nomina autem Regum Iſrael ad eorum memoriam conſervandam dumtaxat recenſuimus.

| Numerus. | *NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.* | Anni. | Summa. |
|---|---|---|---|
| LV. | Roboam regnavit ſuper Juda , cum ageret annum ætatis quadrageſimum primum : regnavit autem ſeptemdecim annis in Hieruſalem. Filii autem Juda fecerunt malum coram Domino, ædificaveruntque altaria idolis ſuper excelſos colles, & ſubter altas arbores, & coinquinarunt ſe abominationibus gentium. Defunctuſque eſt Roboam, & abiit ad patres ſuos, ſepultuſque eſt in Civitate David. Antequam vero mortuus eſſet, congregavit ex tribu Juda, & ex tribu Benjamin centum octoginta millia virorum educentium gladium, egreſſuſque eſt, ut pugnaret adverſus decem tribus, & reduceret ſibi regnum. Factus eſt autem ſermo Domini ad Semejam, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis: non aſcenderis, neque bellabitis. | 17 | 4528 |
| LVI. | Abia filius ejus regnavit poſt eum anno decimo octavo regni Jeroboam filii Nabath. Et regnavit in Hieruſalem tribus annis, ambulavitque in omnibus viis peſſimis patris ſui. Congregavitque Abia quadringenta millia juvenum fortiſſimorum, ut pugnaret adverſus Jeroboam filium Nabath: Jeroboam autem inſtruxit e contra aciem octingentorum millium virorum bellicoſiſſimorum: ſed perterritus fugit a facie Abiæ: ædificavitque Jeroboam Sichem. Commiſſo rurſus bello, filii Juda victoriam reportarunt de filiis Iſrael, occideruntque ex eis quingenta millia virorum fortium: humiliatique ſunt filii Iſrael, & magnificati filii Juda. mortuuſque eſt Abia, & abiit ad patres ſuos. | 3 | 4531 |
| LVII. | Aſa filius ejus regnavit poſt eum quadraginta & uno anno, & recte ambulavit, fecitque bonum, ſicut David pater ejus: & eradicavit omnia idola, quæ fecerat pater ejus, & accepit idolum Maachæ matris ſuæ, quod colebat, & confregit illud, & combuſſit in torrente Cedron: eratque cor ejus perfectum coram Deo Domino ſuo: quievitque terra a bellis. Habuit autem viros ſagittarios fortiſſimos ducenta triginta millia. Egreſſuſque eſt contra eum Zara Indus cum exercitu magno decies centenorum millium, & triginta millium. Et oravit Aſa coram Domino, & perrexit obviam Indo, & fudit eum, infinita propemodum occiſa multitudine, & multos captivos duxit, multamque prædam aſportavit, quoniam Dominus confregit eos coram ipſo. Mortuuſque eſt Aſa, & ſepultus in Civitate David. | 41 | 4572 |
| LVIII. | Joſaphat filius Aſæ regnum ſuſcepit anno quarto regni Achab regis Iſrael, regnavitque viginti quinque annis in Hieruſalem, fecitque rectum coram Domino; Verumtamen non abſtulit idola, neque aras, ſuper quibus immolabant victimas extra domum Dei. Erant autem Duces exercitus ejus, Ednas, qui habebat ſub ſe trecenta millia: Johanan ſub quo ducenta octoginta millia: Amaſias ſub quo ducenta millia: Eliada ſub quo ducenta millia: Jozabad ſub quo centum octoginta millia: exceptis aliis, quos poſuerat in Oppidis. | 25 | 4597 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | *NOMINA REGUM Iſrael.* | *Anni.* |
|---|---|---|
| I. | Jeroboam primus Rex Iſrael , regnavit annis viginti duobus , & peſſime ſe geſſit : mortuuſque eſt poſtquam infinita perpetravit mala , & induxit cultum Idolorum inter filios Iſrael , abiitque ad patres ſuos. | 22 |
| II. | Nadab filius Jeroboam regnavit ſuper filios Iſrael anno ſecundo regni Aſa Regis Juda : cumque regnaſſet duobus annis, occidit eum Baaſa filius Ahiæ anno tertio Aſæ regis Juda, & regnavit poſt eum : cumque regnaſſet, percuſſit univerſam ſtirpem Jeroboam, nec quempiam ex illis reliquit juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ahiæ prophetæ adverſus Jeroboam filium Nabath, qui ſcelera peſſima perpetravit coram Domino. | 2 |
| III. | Baaſa filius Ahiæ anno tertio Aſæ Regis Juda regnavit in Therſa ſuper univerſum Iſrael viginti quatuor annis : & fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam filii Nabath, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Iſrael. Et mortuus eſt Baaſa, abiitque ad patres ſuos, & ſepultuſque eſt in Therſa. | 24 |
| IV. | Amri, trigeſimo primo anno regni Aſæ regis Juda, regnare cœpit ſuper filios Iſrael : regnavit autem duodecim annis, ex quibus ſex in Therſa ; Tum emit montem Samaran a Somer duobus talentis argenti , & ædificavit ibi civitatem , & vocavit nomen ejus Samariam. Fecit autem malum in conſpectu Domini, ambulavitque in viis Jeroboam filii Nabath . Mortuuſque eſt Amri , & abiit ad patres ſuos, ſepultuſque eſt in Samaria. | 12 |
| V. | Achab filius ejus regnavit octodecim annis : & fecit malum in conſpectu Domini pluſquam Jeroboam filius Nabath. Inſuper uxorem duxit Jezabel, quæ occidit Prophetas Domini. Coluit etiam idolum, & adoravit illud. Ædificavit urbem maledictionis Jericho. Cecidit autem Ochozias filius ejus ex cancellis cœnaculi ſui , quod habebat in Samaria & ægrotavit : miſitque Achab nuncios, ut conſulerent Beelzebul Deum Accaron de ejus infirmitate. Egreſſus vero Elias in occurſum nunciorum Achab, dixit eis : numquid non eſt Deus in Iſrael , ut eatis ad conſulendum Deum Accaron ? Propterea dicite domino veſtro ; De lectulo ſuper quem aſcendit, non deſcender. Quod cum audiſſet Achab, miſit ad Eliam principem quinquagenarium, & quinquaginta cum eo . At Elias deſcendere juſſit ignem de cœlo , & devoravit ducem & quinquaginta qui cum eo erant. Mortuus eſt autem Achab, & abiit ad patres ſuos. | 18 |
| VI. | Ochozias filius ejus regnare cœpit poſt eum ſuper filios Iſrael anno decimo ſeptimo Joſaphat Regis Juda : regnavit autem duobus annis, fecitque malum in conſpectu Domini ambulans in via Jeroboam filii Nabath, & mortuus eſt. | 2 |
| VII. | Joram frater ejus regnum ſuſcepit poſt eum anno decimo-octavo regni Joſaphat Regis Juda, regnavitque duodecim annis, & fecit malum in conſpectu Domini. Hunc ſagitta percuſſit Jehu inter ſcapulas, quæ egreſſa eſt per pectus ejus, ſtatimque corruit, & mortuus eſt. Anno octavo regni ejus ſublatus eſt Elias in cælum, manſitque populus anno uno abſque Rege. | 12 |

| *Numerus.* | *NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| LIX. | Joram filius Joſaphat regnum ſuſcepit anno quinto regni Joram filii Achab Regis Iſrael, regnavitque in Hieruſalem octo annis, ambulavitque in viis regum Iſtael, ſicut egerat Achab: Sororem quippe Achab duxit uxorem, & fecit malum in conſpectu Domini. Noluit autem Dominus diſperdere Judam propter David ſervum ſuum, cui promiſerat, ſe daturum lucernam domui ejus cunctis diebus. Mortuuſque eſt Joram, & abiit ad patres ſuos, & ſepultus eſt in Civitate David. | 8 | 4605 |
| LX. | Ochozias filius ejus ſuſcepit regnum poſt eum anno undecimo regni Joram filii Achab Regis Iſrael, regnavitque in Hieruſalem ſuper Juda anno uno, & ambulavit in via Achab, fecitque malum in conſpectu Domini, quia filius ſororis Achab erat. In hunc inſurrexit Jehu, & occidit eum. | 1 | 4606 |
| LXI. | Athalia mater Ochoziæ videns mortuum filium ſuum, interfecit omnes maſculos ſtirpis regiæ. Soror autem Ochoziæ abſcondit Joas filium ejus ſpatio ſex annorum. Poſthæc educentes filium Regis, conſtituerunt eum regem. Quod audiens Athalia, accurrit ad domum Domini, & cum vidiſſet Regem ſtantem, ſcidit veſtimenta ſua. Præcepit autem Joiadas ſacerdos, ut ad portam equorum induceretur, ibique interfecta eſt. | $6\frac{1}{2}$ | $4612\frac{1}{2}$ |
| LXII. | Joas regnavit anno ſeptimo regni Jehu, & quadraginta annis regnavit in Hieruſalem: fecitque rectum coram Domino: Verumtamen altaria & victimas eorum non abſtulit. Et vocavit Joiadam Sacerdotem & Sacerdotes, ac præcepit eis, ut inſtaurarent domum Domini & ædificarent illam: quod factum eſt anno vigeſimo-tertio regni ejus. Inſurrexerunt autem ſervi Joas in eum, & occiderunt eum: ſepultuſque eſt cum patribus ſuis. Et mortuus eſt Joiadas Sacerdos anno ætatis centeſimo trigeſimo. | 40 | $4652\frac{1}{2}$ |
| LXIII. | Amaſias filius ejus regnavit poſt eum anno ſecundo Jehu Regis Iſrael: viginti autem & novem annis regnavit in Hieruſalem, & fecit rectum coram Domino. Cumque in regno confirmatus eſſet, occidit ſervos ſuos, qui inſurrexerant in patrem ſuum & interfecerant illum. Expeditionem quoque fecit in Edom, & occidit ex illis viginti millia. Ipſe vero interfectus eſt a ſuis militibus, & ſepultus in Hieruſalem cum patribus ſuis. | 29 | $4681\frac{1}{2}$ |
| LXIV. | Ozias filius ejus regnavit poſt eum quinquaginta duobus annis in Hieruſalem: fecitque quod erat rectum coram Domino. Sed cum auſus eſſet ingredi altare Dei, cum non eſſet Sacerdos, percuſſit eum Deus lepra uſque ad diem mortis ejus, & latuit in domo ſua nec apparebat hominibus, conſtituitque filium ſuum pro ſe, ut regeret populum. Et defunctus eſt Ozias, & abiit ad patres ſuos. | 25 | $4733\frac{1}{2}$ |

| Numerus. | NOMINA REGUM *Iſrael.* | Anni. |
|---|---|---|
| VIII. | Jehu viginti octo annis regnavit in Samaria, occiditque univerſam regiam ſtirpem; interfecit quoque Jezabel conciditque eam, quam comederunt canes in agro Naboth, quemadmodum dixerat Elias propheta. Achab autem habebat ſeptuaginta filios, qui occiſi ſunt, & capita eorum miſſa ſunt in cophinis. Combuſſit inſuper Jehu idolum Baal, ejuſque aras deſtruxit: & mortuus eſt, abiitque ad patres ſuos, & ſepultus eſt in Samaria. | 28 |
| IX. | Joachaz filius Jehu regnavit poſt patrem ſuum annis ſeptemdecim, mortuuſque eſt, ac ſepultus in Samaria, fecitque malum coram Domino, & extruxit aras idolorum, & abiit ad patres ſuos. | 17 |
| X. | Joas filius ejus regnavit poſt eum anno trigeſimo-ſeptimo Joas Regis Juda. Regnavit autem ſexdecim annis ſuper Iſrael, fecitque malum coram Domino, nec declinavit a peccatis Jeroboam filii Nabath. Mortuuſque eſt Joas, & abiit ad patres ſuos. In diebus ejus obiit Eliſæus propheta. | 16 |
| XI. | Jeroboam filius Joas regnum ſuſcepit anno decimoquinto Amaſiæ Regis Juda: regnavitque in Samaria ſuper filios Iſrael quadraginta & uno anno, & fecit malum coram Domino, abiitque ad patres ſuos anno vigeſimo-ſeptimo regni Oziæ Regis Juda. Poſt ejus obitum remanſit regnum abſque Rege undecim annis. | 41 |
| XII. | Zacharias filius Jeroboam regnum ſuſcepit anno trigeſimo-octavo Oziæ filii Amaſiæ Regis Juda; regnavitque ſuper filios Iſrael in Samaria ſex menſibus, & fecit malum coram Domino, nec declinavit a peccatis Jeroboam filii Nabath, occiditque eum Sellum filius Jabes, & regnavit poſt eum. | 6. menſibus. |
| XIII. | Sellum filius Jabes anno trigeſimo-nono Oziæ Regis Juda, regnavit uno menſe, & ingreſſus eſt Manahem in Samariam, & interfecit illum, regnavitque pro eo. | 1. menſe. |
| XIV. | Manahem anno trigeſimo-nono Oziæ Regis Juda, regnavit ſuper filios Iſrael in Samaria decem annis, mortuus eſt, & abiit ad patres ſuos. | 10 |
| XV. | Phaceja filius ejus regnavit poſt eum anno quinquageſimo Oziæ Regis Juda: regnavit autem ſuper filios Iſrael in Samaria duobus annis, & interfecit illum Phacee filius Romeliæ. | 2 |
| XVI. | Phacee anno Oziæ Regis Juda regnum ſuſcepit: regnavitque in Samaria viginti annis, & interfecit illum Oſee filius Ela anno ſecundo poſt obitum Joatham filii Oziæ: & remanſit regnum abſque rege decem annis. | 20 |
| XVII. | Oſee filius Ela regnum ſuſcepit anno decimo-quarto regni Achaz Regis Juda, regnavitque ſuper filios Iſrael in Samaria novem annis, & fecit malum coram Domino. Hic eſt ultimus Regum Iſrael, nec alius poſt eum ſurrexit Rex uſque in præſentem diem. | 9 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin. | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| LXV. | Joatham filius Oziæ regnum ſuſcepit anno ſecundo Phacee Regis Iſrael: regnavitque ſuper Juda in Hieruſalem ſexdecim annis, fecitque rectum coram Domino, & pugnavit contra filios Ammon, vicitque eos, & impoſuit illis per ſingulos annos centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei. Mortuuſque eſt Joatham, & abiit ad patres ſuos. | 16 | 4749½ |
| LXVI. | Achaz filius Joatham regnum ſuſcepit anno decimo-octavo regni Phacee filii Romeliæ Regis Iſrael, regnavitque in Hieruſalem ſexdecim annis, nec fecit quod placitum erat coram Domino: Inſuper & filium ſuum conſecravit Idolis, transferens eum per ignem. Mortuuſque eſt Achaz, & ſepultus cum patribus ſuis in Civitate David. | 16 | 4765½ |
| LXVII. | Ezechias filius Achaz regnum ſuſcepit anno tertio Oſee Regis Iſrael, regnavitque ſuper Juda viginti-novem annis, & ambulavit in via David: confregitque ſtatuas idolorum, & diſſipavit aras eorum, contrivitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes propheta: quoniam filii Iſrael colebant eum, & vocabant *ſerpentem ſuſpicioſum*. Et addidit illi Deus quindecim annos vitæ: poſtea mortuus eſt, & abiit ad patres ſuos: nec fuit ſimilis illi inter Reges Juda, qui eum anteceſſere, vel ſecuti ſunt. In diebus ejus erat Eſaias propheta. | 29 | 4794½ |
| LXVIII. | Defuncto Ezechia, & ad patres ſuos recepto, regnum ſuſcepit Manaſſes filius ejus pro eo, regnavitque in Hieruſalem quinquaginta quinque annis, fecitque malum coram Domino, & coinquinatus eſt in abominationibus gentium, & ædificavit aras Idolorum, quas deſtruxerat pater ejus, & adoravit ſtellas cæli, & coluit eas. Inſuper & optimos interfecit, & ſanguinem innocentium fudit, implevitque Hieruſalem ſanguine ſanctorum. Et ea quidem perpetravit, quæ neque Amorræi fecerant. Quamobrem locutus eſt Dominus per ſervos ſuos prophetas, dicens: Quoniam prævaricatus eſt Manaſſes, fecitque opera hujuſmodi ad peccatum inducens, filios Juda, propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego inducam malum ſuper filios Juda & Hieruſalem, ut quicumque audierit illud, tinniant ambæ aures ejus præ timore: & immittam ſuper Hieruſalem, quæ immiſi ſuper Samariam, & appendam illis pondus quod appendi domui Achab, & delebo reliquias hæreditatis meæ: tradamque illos in manus inimicorum ſuorum. Mortuuſque eſt Manaſſes, & abiit ad patres ſuos. | 55 | 4849½ |

Hic

HIC eſt finis Regum Iſrael, quibuſcum deperditæ quoque ſunt decem
Tribus uſque in præſentem diem, nec remanſerunt niſi Reges Juda tan-
tum. Hujus cauſa hæc eſt. Oſee, qui poſtremus eſt Regum Iſrael, factus 4. Reg. 17.
fuerat ſervus Salmanaſaris Regis Aſſyriorum, reddebatque illi tributa. Cum-
que poſthæc idem Oſee pacem iniiſſet cum Rege Ægypti, ejuſque opem
imploraſſet, ne præſtaret tributa, & obedientiam Regi Aſſyriorum, ſicut in-
ter ipſos convenerat: aſcendit Rex Aſſyriorum, & venit in Samariam, eam-
que obſedit tribus annis. Anno autem nono Oſee cœpit Rex Aſſyriorum Sa-
mariam, & tranſtulit univerſas decem Tribus in Aſſyriam, & habitare fecit
eas in Civitatibus Medorum Halvan, & Aſpahan, nec reverſæ ſunt in ter-
ram ſuam uſque in diem hanc. Et adduxit Rex Aſſyriorum gentes de regione
Gaza, & de Hama, & de Sepharvam, & collocavit eas in Samaria, & in
civitatibus ejus; & iſti ſunt, qui nunc Samaritani vocantur. Cumque ibi pri-
mum habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: quamobrem immiſit in eos
leones, qui plures ex eis devorabant. Nunciaveruntque hoc Regi Aſſyriorum,
qui præcepit, ut mitteretur illuc unus de Sacerdotibus, qui inde captivi du-
cti fuerant, ut doceret eos cultum Dei terræ, & judicia ejus. Venit igitur
ad eos quidam de Sacerdotibus, & habitavit in Bethel, & docuit eos cultum
Domini & legem ejus; cumque Dominum adorarent, Diis quoque ſuis ſer-
viebant.

Ezechias autem Rex Juda fecit quod erat bonum coram Domino, quem- 4. Reg. 18.
admodum fecerat David pater ejus, delevitque idola, & evertit aras eorum,
confregitque Serpentem æneum, quem fecerat Moyſes propheta in deſerto:
Siquidem filii Iſrael ſeducti fuerant, & adorabant illum, appellantes nomen
ejus *ſerpentem ſuſpicioſum*. Timuitque Ezechias Dominum, & ſperavit in eo, nec
fuit in Regibus Juda ſimilis ipſi, neque ante, neque poſt eum Unde & erat
Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ferebat ei opem. Re-
bellavit quoque contra Regem Aſſyriorum, & non ſervivit ei. In fugam et-
iam vertit Philiſtæos, eorumque urbes devaſtavit. Anno decimo-quarto re-
gni Ezechiæ aſcendit Sennacherib Rex Aſſyriorum ad univerſas civitates Juda
munitas, & obſedit eas. Tunc miſit Ezechias Rex Juda ad Regem Aſſyrio-
rum nuncios, dicens: Recede a me, & ne inferas mihi malum: & omne
quod impoſueris mihi tributum, ad te feram. Indixit itaque Rex Aſſyriorum
Ezechiæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Miſitque ad illum
Ezechias quicquid repertum fuit in domo Domini eo tempore. Rurſus mi-
ſit Rex Aſſyriorum adverſus Ezechiam in Hieruſalem ingentem exercitum:
ſtetitque princeps exercitus, & exclamavit voce magna ad Judæos, dicens:
Audite verba Regis magni, Regis Aſſyriorum: hæc dicit Rex: Ne ſeducat vos
Ezechias: non enim poterit liberare vos de manu mea: neque fiduciam vo-
bis tribuat in Domino, dicens: Dominus liberabit nos, & eruet nos, nec ſi-
net hanc civitatem ſuperari a Rege Aſſyriorum. Egredimini ad me, & co-
medite unuſquiſque fructum de ficu ſua, de vinea ſua, & de oliva ſua: nec
decipiat vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit vos. Quiſnam Deorum po-
tuit eruere terram ſuam de manu mea, ut poſſit Dominus eruere Hieruſalem? 4. Reg. 19.
Quæ cum audiſſet Ezechias Rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco,
ingreſſuſque eſt domum Domini, & miſit ad Iſaiam prophetam, dicens: Dies
jejunii dies iſte. Cui reſpondit Iſaias: noli timere verba Regis Aſſyriorum:
Ecce ego immittam ei Spiritum, dicit Dominus, & revertetur in regionem
ſuam vacuus, ibique interficietur. Ingruente igitur nocte egreſſus eſt Angelus
Domini, & interfecit de exercitu Regis Aſſyriorum ducenta octoginta quin-
que millia virorum ictu oculi. Cæteri celeri fuga ad regionem ſuam reverſi
ſunt. In Regem autem Aſſyriorum inſurrexerunt filii ejus, percuſſeruntque
eum gladio, quemadmodum dixerat Iſaias propheta.

| *Numerus.* | ***NOMINA REGUM JUDA,*** *& Benjamin.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| LXIX. | Amon filius ejus regnavit pro eo duobus annis: fecitque malum juxta opera patris peſſima. inſurrexeruntque in eum ſervi ſui, & interfecerunt eum in domo ſua: congregatus autem populus occidit eos, qui Regem occiderant, Rex vero ſepultus eſt cum patribus ſuis. | 2 | $4851\frac{1}{2}$ |
| LXX. | Joſias filius ejus regnavit pro eo triginta & uno anno in Hieruſalem, fecitque bonum, & recte ambulavit coram Domino juxta omnia quæ fecit David pater ejus. In diebus ejus reperit Helcias Sacerdos Librum unum de Libris legis, quem obtulit Regi. Qui aſcendit ad domum Domini cum omni populo Juda, & lectus eſt coram eis Liber. Præcepitque Rex, ut colligerentur idola, altaria, & vaſa eorum, & combuſſit ea omnia extra Hieruſalem in convalle Cedron: occidit inſuper Sacerdotes idolorum, & eradicavit eos ex omnibus civitatibus Juda. Anno decimo-octavo regni ſui celebravit Phaſe celeberrimum Domino in Hieruſalem. Verumtamen iram ſuam non avertit Dominus a Juda, neque placatus eſt ipſis propter irritationes quibus provocaverat eum Manaſſes operibus ſuis peſſimis. Aſcendit itaque Pharao claudus, egreſſuſque eſt Joſias ad pugnandum cum illo, percuſſuſque ſagitta interiit, perlatumque cadaver, ſepelierunt ſervi ejus cum patribus ejus. | 31 | $4882\frac{1}{2}$ |
| LXXI. | Populus autem tulit Joachaz filium ejus, & conſtituerunt eum ſibi Regem pro patre ejus: qui tribus menſibus regnavit in Hieruſalem, fecitque malum coram Domino, ſicut Manaſſes: & veniens Pharao Claudus, captivum eum duxit in Ægyptum, indixitque populo terræ tributum centum talenta argenti, & decem talenta auri. Mortuuſque eſt Joachaz in Ægypto. | menſes 3 | 4882 menſes 9 |
| LXXII. | Regemque conſtituit Pharao Claudus fratrem ejus Eliacim filium Joſiæ pro eo, vocavitque nomen ejus Joakim: qui undecim annis regnavit, & fecit malum coram Domino, ac peſſime ſe geſſit ſicut Manaſſes avus ejus. In diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Hieruſalem, & præſtitit ei obedientiam Joakim tribus annis, tum rebellavit. Quamobrem reverſus Nabuchodonoſor Rex Babylonis vinxit eum catenis, & adduxit Babylonem cum omnibus vaſis Templi. | 11 | 4893 menſes 9 |

| Numerus. | *NOMINA REGUM JUDA,* *& Benjamin.* | *Anni* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| LXXIII. | Et regnavit Joachin poſt illum tribus menſibus, & fecit malum coram Domino. In tempore illo aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Hieruſalem, & obſedit eam, atque in anguſtiam redegit. Egreſſuſque eſt Joachin rex Juda ad Nabuchodonoſor cum ſervis ſuis & principibus, & duxit eum Rex Babylonis ſecum anno octavo regni ejus, & protulit ex Hieruſalem quidquid erat in ædibus regis, & in theſauris domus Domini: captivos quoque duxit omnes habitatores Hieruſalem, & univerſos duces ac fortes exercitus qui erant in ea, & tranſtulit inde decem millia virorum in captivitatem, & omnes viros fortes & bellatores, nec reliquit quempiam in terra illa, præter pauperes populi. | menſes 3 | 4894 |
| LXXIV. | Et conſtituit rex Babylonis pro Joachin Matthaniam patruum ejus, & vocavit nomen ejus Sedeciam, qui regnavit in Hieruſalem undecim annis. Rex vero Babylonis captivum duxit Joachin, & una cum illo Danielem prophetam, ac tres pueros, Ananiam, Azariam, & Miſaelem. Sedecias autem rebellavit contra Regem Babylonis, & noluit amplius præſtare ei obedientiam. Quamobrem aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis cum copiis & exercitibus ſuis in Hieruſalem, & obſedit eam anno undecimo regni Sedeciæ: quem apprehenſum duxerunt ad Regem Babylonis. Qui eruit oculos ejus, vinxitque cum catenis, & filios ejus occidit coram eo, & adduxit eum in Babylonem. Poſtea venit Nabuzardan, & ſuccendit domum Domini, & domum Regis, & reliquam urbem depopulatus eſt, captivoſque omnes duxit, relictis tantum pauperibus terræ, ut vineas agroſque colerent. Et accepit aurum, argentum, & æs, miſitque in Babylonem. Tulit quoque Sarajam ſummum Sacerdotem, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum, & miſit eos ad regem Babylonis, percuſſitque eos rex Babylonis & interfecit. Nec regnavit amplius Sedecias poſt captivitatem juxta verbum Jeremiæ Prophetæ. <br> Dies autem, qua ſuccenſa eſt domus Domini & in captivitatem ducti ſunt filii Juda, erat feria tertia, nona Lunæ menſis Ab (*Auguſti*) qui eſt menſis quintus Hebræorum; reſpondetque ſexto-decimo Meſori, anno mundi quater-milleſimo nongenteſimo-quinto, qui eſt dies nonus menſis Dilhegæ. | 11 | 4905 |

# DE REGIBUS POST CAPTIVITATEM.

| Numerus. | *NOMINA, RESQUE GESTÆ REGUM poſt Captivitatem.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| LXXV. | Scriptum eſt in fine Prophetiæ Jeremiæ Prophetæ: Et factum eſt in trigeſimo-ſeptimo anno tranſmigrationis Joachin Regis Juda, duodecimo menſe, vigeſima-quinta die menſis, elevavit Evilmerodach Rex Babylonis ipſo anno regni ſui, Joachin Regem Juda, & eduxit eum de carcere, & locutus eſt cum eo bona, & poſuit thronum ejus ſuper thronos eorum, qui ſecum erant. Et mutavit veſtimenta carceris ejus, & comedebat cum eo cibum ſemper cunctis diebus vitæ ſuæ. Fuit autem ejus tranſmigratio ante Captivitatem undecim annis; quos ſi addemus viginti-ſex annis captivitatis, quæ ſub Nabuchodonoſor contigit, ſumma erit annorum triginta-ſeptem, quibus exactis cœpit regnum Evilmerodach filii Nabuchodonoſor, atque ita vera habebitur ejus annorum ratio. Itaque Nabuchodonoſor Rex Babylonis regnavit poſt captivitatem annis viginti-ſex, & ante illam annis undeviginti. | 26 | 4931 |
| LXXVI. | Evilmerodach filius Nabuchodonoſor Regis, regnavit annis viginti-tribus. | 23 | 4954 |
| LXXVII. | Tempus regni Baltaſſaris ad verum calculum reducere nequivimus ob diverſitatem, quæ eſt inter Chronographos. Tantum habemus quod dicit Daniel propheta: nempe, Baltaſſarem Regem Babylonis, poſtquam de Dario Medo, & Cyro Perſa victoriam retuliſſet, feciſſe grande convivium optimatibus ſuis, in quo præcepit ut afferrentur vaſa domus Domini, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor avus ejus, & bibit in eis ipſe, & uxores ejus & concubinæ, ac optimates regni. Statimque apparuit manus ſcribens in muro characteres, quos nemo interpretari potuit, niſi Daniel propheta. Scriptura autem ejuſmodi erat: *Numeravit*, *Appendit*, *Diviſit*: quam ita Daniel interpretatus eſt Regi. *Numeravit*, nempe Deus numeravit regnum tuum, & complevit illud. *Appendit*, ideſt, Deus appendit te, & invenit minus habentem. *Diviſit*, hoc-eſt, diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis. Eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar, & tranſlatum eſt regnum ad Darium Medum, annos natum ſeptuaginta-duos. | 20 | 4974 |

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA RESQUE GESTÆ REGUM *poſt Captivitatem.* | Anni. | Summa. |
|---|---|---|---|
| LXXVIII. | Darius filius Aſſueri de ſtirpe Medorum, obtinuit regnum Chaldæorum anno uno. | 1 | 4975 |
| LXXIX. | Erat autem Cyrus Perſa una cum Dario Medo , quando Baltaſſar interfectus eſt: & ambo expugnaverunt Babylonem. miſſa autem ſorte obtigit Dario quidem Babylon, Cyro vero territorium ejus. Voverat autem Cyrus , ſe remiſſurum captivitatem Judæorum, eiſque Templum ædificaturum, cum primum obtineret regnum Babylonis . Defuncto itaque Dario , regnumque adepto Cyro, compleri ſunt ſeptuaginta anni. Dimiſit igitur Captivitatem anno primo regni ſui, Templumque exſtruxit. Dicit autem Eſdras Sacerdos: Anno ſecundo adventus eorum ad Domum Dei in Hieruſalem , menſe ſecundo , cœperunt Zorobabel filius Salathiel , & Joſue filius Joſedec , & fratres eorum Sacerdotes , & fundaverunt Templum Dei : completumque eſt ædificium die tertia menſis Adar , anno tertio regni Darii regis Perſarum . Solitus enim mos eſt , ut defuncto Regis Epocha ſuperſit , uti eſt Epocha Alexandri , Epocha Diocletiani, & aliorum. | 3 | 4978 |
| LXXX. | Cambyſes filius Cyri regnavit annis quinque. Ipſe eſt Nabuchodonoſor ſecundus , cujus meminit Ptolomæus in libro Almageſti, ejuſque Epocha uſus eſt. | 5 | 4983 |
| LXXXI. | De quatuor Regibus, quorum ſinguli nomen Darii gerebant, prophetavit Daniel propheta, eorumque meminit, dicens. Anno primo Darii Medi, tres Reges ſtabunt in Perſide , quibus nomen Darius , & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & cum roboratus fuerit in ſua regione, concitabit omnes adverſum Regnum Græcorum. Primus igitur eſt Darius Medus; qui regnavit in regno Chaldæorum: reliqui tres ſunt reges Perſarum. | 30 | 5013 |
| LXXXII. | Smerdis Magus, cujus diebus religio Magorum emerſit, eſtque primus Rex ex Magis: regnavit anno uno. | 1 | 5014 |
| LXXXIII. | Aſſuerus , cujus a conſiliis Aman erat , maritus Eſtheris Judææ filiæ ſororis Mardochæi , regnavit viginti annis . Aman autem Judæorum interitum molitus fuerat : ſed liberavit eos Deus per manum Eſtheris, Amano perdito. | 20 | 5034 |
| LXXXIV. | Artaxerxes filius Aſſueri, & Eſtheris Judææ , regnavit annis quadraginta . Hujus Eſdras pincerna erat. Anno autem vigeſimo regni ejus nunciatum eſt Eſdræ, portas Hieruſalem incenſas fuiſſe, & murum deſtructum. Acceptis igitur a Rege litteris & neceſſario commeatu, eo profectus eſt, eamque ædificavit, perfecitque opus anno trigeſimo-ſecundo regni Artaxerxis , duodecimo ſcilicet anno poſtquam Eſdras ædificium inchoaverat. | 40 | 5074 |



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

2. Eſdr. c.1. DIXIT Eſdras Sacerdos. Et factum eſt in menſe Casleu, & ego eram in
Suſis caſtro, venit quidam de iis, qui ſuperfuerant de captivitate Hie-
ruſalem, nomine Hanani, & dixit mihi: Qui remanſerunt in Civitate, in
afflictione magna ſunt & in opprobrio: & murus Hieruſalem diſſipatus eſt,
& portæ ejus combuſtæ ſunt igni. Cumque audiſſem verba hujuſcemodi,
ſedi, & flevi, & luxi diebus multis jejunans, & orans coram Deo cæli.
2. Eſdr. c.2. Ego autem eram pincerna Regis. Et factum eſt in menſe Niſan, anno vi-
geſimo Artaxerxis regis: & vinum erat in manibus meis, implevique cali-
cem vino, & præbui Regi, & placuit illi. Dixitque mihi Rex. Eſdra, qua-
re vultus tuus triſtis eſt præter morem, cum non ſis ægrotus? Non proce-
dit hoc, niſi ex ægritudine animi. Et timui a verbis ejus, & dixi: Vivat
Rex in æternum: quomodo non mutetur vultus meus atque alteretur, cum
mœror & triſtitia inſideant in intimo cordis mei, quia civitas, in qua ſunt
ſepulchra patrum meorum, deſerta eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni?
Et ait mihi Rex: Quid poſtulas? Et imploravi opem Dei cæli, & dixi: Si
recte videtur Regi, mittere me in Judæam, ut ædificem Civitatem, in qua
ſepulchra ſunt patrum meorum. Dixitque mihi Rex, & Regina quæ ſede-
bat ad latus ejus: Uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando rever-
teris? Et conſtitui ei tempus, & placuit apud Regem, & miſit me, dedit-
que mihi litteras, ut omnia neceſſaria ad ædificium domus mihi miniſtra-
rentur. Ingreſſuſque ſum Hieruſalem civitatem, & dixi populo: Vos videtis
afflictionem in qua verſamur. Quamobrem venite, & ædificemus muros Hie-
2. Eſdr. c.3. ruſalem, & non ſimus ultra opprobrium. Et indicavi eis manum Dei mei,
quod eſſet bona mecum, & litteras Regis. Et ſurrexit Eliaſib Sacerdos ma-
gnus, & fratres ejus Sacerdotes, & ædificaverunt portam Gregis, & Valvas
ejus, & diviſerunt civitatem, & ædificaverunt illam, ac perduximus mu-
2. Eſdr. c.4. rum uſque ad partem dimidiam. Cum autem audiſſent Sanaballat, & To-
bias, & Arabes, & Ammanitæ, quod jam excitata eſſent mœnia, & obdu-
cta cicatrix, irati ſunt valde, & decreverunt inito conſilio, ut venirent, &
pugnarent contra nos in Hieruſalem. Et factum eſt in die illa, ut quidam
noſtrum operi incumberent, & quidam parati eſſent cum armis, lanceis,
ſcuris, arcubus, & loricis, omnes viri Judæi: ædificantium unuſquiſque ar-
mis erat accinctus. Vigilabamus quoque noctu, vices excubiarum ſubeuntes:
interdiu vero una manu faciebamus opus, altera vero tenebamus gladium,
2. Eſdr. 6. donec abſoluta ſunt mœnia Civitatis, ac portæ ejus, & fores. Factum eſt
autem, cum audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Goſſem Arabs, & cæteri ini-
mici noſtri, quod ædificaſſem ego murum, & non eſſet in eo reſidua in-
terruptio (uſque ad tempus autem illud Valvas non poſueram in portis)
miſerunt Sanaballat, & Goſſem ad me dicentes: Veni, & conveniamus ſi-
mul. Ipſi autem cogitabant, ut facerent mihi malum. Miſi ergo ad eos
nuncios, dicens: Nequaquam. Qui miſerunt iterum ad me comminantes, ac
dicentes: Tu, & Judæi cogitatis, ac molimini rebellionem contra Regem,
& propterea ædificas Domum hanc, & hunc murum, ut Regem ſuper eos
te conſtituas. Verum hæc Regi deferentur.

2. Esdr. 13. Completus eſt autem murus vigeſimo-quinto die menſis Elul. Anno trigeſimo-ſecundo regni Artaxerxis veni ad Regem, & elapſo anno uno poſtulavi a Rege, & reverſus ſum in Hieruſalem.

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ REGUM poſt Captivitatem. | Anni. | Summa. |
|---|---|---|---|
| LXXXV. | Artaxerxes magnus regnavit triginta annos. | 30 | 5104 |
| LXXXVI. | Sogdianus anno uno. | 1 | 5105 |
| LXXXVII. | Darius ſecundus annis ſeptemdecim. | 17 | 5122 |
| LXXXVIII. | Artaxerxes frater Cyri Darii viginti & uno anno. | 21 | 5143 |
| LXXXIX. | Artaxerxes, qui & Ochus, viginti annis. Hic extruxit in Ægypto palatium, quod Arabes vocant *Caſr-al-Sciamaa*, id eſt, ædes ceræ. erat autem illuvioni aquarum obnoxium, donec Amrus filius Aſi expugnavit Ægyptum. Cumque ii juxta illud palatium tentoria fixiſſet, Foſtati nomen locus ille obtinuit, quod uſque in præſentem diem retinet; eſtque primum oppidum, quod Amrus ſub Imperatoribus Romæorum in Ægypto expugnavit. | 20 | 5163 |
| XC. | Arſes undecim annis. Hujus tempore Plato, & Socrates claruere. | 11 | 5174 |
| XCI. | Darius quartus ex iis, quorum meminit Daniel, ut ſupra dictum eſt, ſeptem annis. Hunc occidit Alexander, & a Perſis ad Græcos regnum translatum eſt: atque idcirco poſt ejus obitum ab Alexandro Epocham inchoamus. | 7 | 5181 |
| XCII. | Alexander Philippi filius, Græcus, qui vocatur *Bicornis*, quoniam duo ſolis cornua obtinuit, nempe ab Oriente ad occidentem; regnavit ſexdecim annis. | 16 | 5197 |
| XCIII. | Ptolomæus frater Alexandri ſeptem annis. | 7 | 5204 |

| *Numerus.* | *NOMINA, RESQUE GESTÆ REGUM* *poſt Captivitatem.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| XCIV. | Ptolemæus, qui & Alexander, viginti & uno anno. Hic advocavit ex ſenioribus Iſtael ſeptuaginta duos ſenes, e quibus duo in itinere mortui ſunt, & ſupetvixerunt ſeptuaginta, qui interpretati ſunt ei libtos Legis & Prophetarum. Ex horum numero exſtitit Eleazatus, quem occidit Antiochus, quod idolum ejus adorate noluiſſet. Ex eodem quoque numero erat Simeon Sacerdos, qui Dominum in ulnis ſuis geſtavit. | 21 | 5225 |
| XCV. | Ptolomæus cognomento Λαγὼς, ſeu Lepus, viginti-novem annis. | 29 | 5254 |
| XCVI. | Ptolomæus cognomento Philadelphus viginti-ſex annis. | 26 | 5280 |
| XCVII. | Ptolomæus cognomento Evetgetes viginti-quinque annis. | 25 | 5305 |
| XCVIII. | Ptolomæus cognomento Philopator ſeptem-decim annis. | 17 | 5322 |

HIS-

# HISTORIA MACHABÆORUM, ID EST MŒRENTIUM.

ERAT inter Judæos vir quidam nomine Mathathias filius Joannis filii Si- 1. Mach. 2.
meonis Sacerdotis ex filiis Joarib , cognomento Haſmonæus , eratque
Summus Sacerdos, & rector populi , & habebat filios quinque. In ejus die-
bus miſit Antiochus Epiphanes filius Antiochi magni Rex Antiochiæ , exer-
citum in Hieruſalem , eamque dolo cepit , & contaminavit Templum idolis 2. Mach. 6. & 7.
ſuis, coegitque filios Iſrael ad ea colenda: & occidit Eleazarum ſacerdotem,
& ſeptem fratres cum matre, quod ii induci noluiſſent, ut idola adorarent:
hoc autem contigit anno decimo-nono Ptolomæi, qui cognominatur Epipha- 1. Mach. 2.
nes. Eodem anno defunctus eſt Mathathias Sacerdos. Erat autem Mathathias
filius Joannis vir optimus, fugitque ad montes, & moratus eſt ibi cum mul-
titudine Judæorum. Cumque audiſſet afflictionem, quam ſuæ genti intulerant
Græci , ægerrime id tulit , & maximo affectus eſt dolore ac mœrore , zela-
tuſque eſt Deo , Sanctuario ejus , & Genti ſuæ. Cumque Antiochus ab Hie-
ruſalem receſſiſſet, miſit Mathathias Judam filium ſuum clam ad Civitates Ju-
da, præcipiens eis, ut Deo zelarentur. Et ſurrexerunt ex eis quotquot ſtrenui
erant, ac fortes, & religionis æmulatione incitati; convenitque ad illum po-
pulus multus . Qui cum vidiſſet aliquando Judæum quemdam immolantem
ſuem ſuper altare, quod Græci idolis Regis exſtruxerant, inſiluit Mathathias
in Judæum illum, & gladio collum ejus amputavit . Tum occidit ducem ,
qui ibi aderat . Quod videntes ſocii Mathathiæ , reſumpto animo irruerunt
in exercitum Græcorum, e quibus, Deo adjuvante, multos trucidarunt ; fu-
gientes vero inſecutus eſt Mathathias cum ſociis , eoſque ad ultimum inter-
fecerunt, defeceruntque a Grecis. His auditis multi Judæorum ad illos acceſ-
ſerunt.

Inſtante autem obitu, vocavit Mathathias quinque filios ſuos, eiſque man-
data ſuprema dedit. Eo vero defuncto, fecerunt filii ejus juxta ipſius præce-
ptum, præfeceruntque ſibi Judam fratrem ſuum. Quod cum nunciatum eſſet An- 1. Mach. 3.
tiocho, miſit illuc tres duces cum totidem fortiſſimis exercitibus, & præcepit
eis, ut Judæos penitus perderent ac delerent . His acceptis, Judas & ſeniores
Judæorum convenerunt ad Domum Dei, & jejunaverunt, & induerunt ſe ci-
liciis , & cinere ſe conſperſerunt. Perſolutis autem orationibus ac precibus ,
præcepit Judas Sacerdotibus, ut buccinis Sanctuarii occinerent: quo facto im-
petum fecerunt in eos, Deoque adjuvante trucidarunt ex illis quamplures, & 1. Mach. 4.
reliqui in fugam verſi ſunt, quos Judas & ſocii inſequentes, occiderunt, ac-
ceperuntque eorum ſpolia. Antiochum vero morbo graviſſimo percuſſit Deus,
quo mortuus eſt: & regnavit poſt illum filius ejus Eupator, qui & de no-
mine patris ſui Antiochus vocatus eſt. Judas autem filius Mathathiæ & Judæi pu-
rificaverunt Sanctuarium, & novum altare exſtruentes, impoſuerunt ſuper illud
ligna, & oblationes: tum Deum orantes precati ſunt, ut ignem ſuper altare emitteret:
apparuitque ignis , & combuſſit ligna & oblationes, manſitque in domo accenſus uſ-

que ad ſecundum Excidium. Fecerunt quoque ſolemnitatem dedicationis altaris octo diebus, ſtatutumque eſt id in ſingulos ſequentes annos. Occidit etiam Judas Nicanorem ducem Regis Demetrii: præfuitque ſeptem annis. Cui ſucceſſit Jonathas, tertius filiorum Haſmonæi. Quamobrem in una quidem pagina deſcribemus Reges Machabæorum; in altera vero e regione Reges Græcorum, a quibus tamen ſupputatio annorum ducetur.

| Numerus. | NOMINA REGUM MACHABÆORUM, *filiorum Haſmonæi, Sacerdotum Judæorum, qui regnarunt poſt captivitatem.* | *Anni.* |
|---|---|---|
| I. | Mathathias filius Joannis de filiis Joarib ſacerdotis, cognomento Haſmonæus, liberavit Judæos a jugo Antiochi, regnavitque ſuper eos, & defunctus eſt anno decimo-nono regni Ptolomæi, qui cognominatur Epiphanes, & poſt annum obtinuit regnum Judas filius ejus. | 19 |
| II. | Judas filius Haſmonæi ſacerdotis, regnavit ſeptem annis. Eo autem offerente ſacrificium, & orante deſcendit ignis, & combuſſit illud, nec extinctus eſt uſque ad ſecundum Excidium Templi. | 7 |
| III. | Jonathas frater ejus, tertius ex filiis Haſmonæi, regnavit ſex menſibus. | menſes 6. |
| IV. | Simeon frater ejus, regnavit annis octo, tum interfecit illum Ptolomæus filius Simeonis, qui & Hyrcanus, ejus gener. | 8 |
| V. | Hyrcanus regnavit triginta & uno anno. Ejus diebus Seleucus Antiochi filius deſtruxit Templum, quod Sanaballates in Samaria ædificaverat. | 31 |
| VI. | Ariſtobulus Hyrcani filius regnavit uno tantum anno. | 1 |
| VII. | Alexander ejus frater regnum obtinuit poſt illum, viginti-ſeptem annis, reliquitque duos filios, Hyrcanum ſcilicet, & Ariſtobulum. Ejus diebus in tres ſectas Judæi ſciſſi ſunt: in Phariſæos ſcilicet, Sadducæos, & Herodianos. | 27 |
| VIII. | Alexandra ejus uxor regnavit poſt illum novem annis. Cumque filii ejus adoleviſſent, conſtituit Hyrcanum quidem primogenitum ſummum ſacerdotem; Ariſtobulum vero natu minorem, ducem exercitus. | 9 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | NOMINA REGUM *Græcorum.* | *Anni.* | *Summa.* |
|---|---|---|---|
| XCIX. | Ptolomæus cognomento Epiphanes, regnavit viginti-quatuor annis. | 24 | 5346 |
| C. | Ptolomæus Philometor viginti-quinque annis. | 25 | 5371 |
| CI. | Ptolomæus Evergetes viginti-tribus annis. | 23 | 5394 |
| CII. | Ptolomæus cognomento Soter regnavit viginti annis. | 20 | 5414 |
| CIII. | Ptolomæus Philometor decem annis. | 10 | 5424 |
| CIV. | Ptolomæus Auletes octodecim diebus. | dies 18. | ✠ |
| CV. | Ptolomæus, qui & Dionyſius, regnavit viginti & uno anno. | 21 | 5445 |
| CVI. | Cleopatra Dionyſii filia regnavit triginta circiter annis. Hæc aquæductum Alexandriæ conſtruxit, & aquam dulcem ex Nilo Ægypti flumine illuc deduxit. Eadem Pharum ædificavit opera cujuſdam ſapientis hominis, qui Acacius appellabatur. Ex triginta autem annis, quibus regnavit, octodecim fuerunt ante Imperium Auguſti Cæſaris, & duodecim, poſtquam is ſecundo Imperium obtinuit. | 30 | 5475 |



Digitized by Google

| *Numerus.* | *NOMINA REGUM* <br> *Machabæorum, filiorum Haſmonæi, Sacerdotum Judæorum, qui regnarunt poſt captivitatem.* | *Anni.* |
|---|---|---|
| IX. | Ariſtobulus regnum accepit a matre, ſummum vero Sacerdotium Hyrcanus ejus frater: atque hic fuit rerum ſtatus, donec Antipater Idumæus Herodis pater diſſenſiones inter ipſos diſſeminavit, & odii ac inimicitiarum auctor fuit. Ariſtobulus itaque, poſtquam tribus annis cum dimidio regnaſſet, in vincula conjectus, obiit. | $3\frac{1}{2}$ |
| X. | Hyrcanus Ariſtobuli frater, regnavit quadraginta annis. Cum autem Romæ Imperium Cæſar Auguſtus obtinuiſſet, miſit ad illum Hyrcanus pretioſiſſima munera. At vero Antigonus Hyrcani ex fratre nepos ad Regem Perſarum profectus, auxilia petiit adverſus patruum, quem captum in vincula conjecit: manſitque Hyrcanus apud Regem Perſarum, donec ab Herode rege acceſſitus, paulo poſt ab eodem interfectus eſt. Fuit autem ultimus Regum Haſmonæorum. Judæi autem Regem ſibi conſtituerant Antigonum, qui anno uno regnavit, antequam Herodes regnum iniiſſet. | 40 |

Digitized by Google

# DE IMPERATORIBUS ROMANORUM. ET REGIBUS HERODIANIS.

| Numerus. | NOMINA CÆSARUM IMPERATORUM ROMANORUM. | Anni. | Summa. |
| --- | --- | --- | --- |
| CVII. | Auguſtus Cæſar regnavit quinquaginta-ſex annis cum dimidio, ex quibus quatuor cum dimidio una cum Senatu ante necem Pompeii Ducis, unde ſumitur initium regni ſecundi; & duodecim annis, donec Cleopatram regno ſpoliavit, & annis viginti-quinque donec Chriſtus Dominus natus eſt: poſt natum autem Chriſtum Dominum quindecim annis. | 25 | 5500 |



Digitized by Google

# NATIVITAS JESU CHRISTI

NATUS eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS, cui gloria, ea nocte, quæ præceſſit Feriam tertiam, vigeſima-nona menſis quarti Ægypriorum, qui eſt Chojac, anno ab orbe condito quinquies milleſimo quingenteſimo, die vigeſima-quinta menſis Canun prioris, Luna decima menſis Arabum Sciaabani.

Herodes autem primum ad Cleopatram in Ægyptum, inde Romam profectus, obtinuit ab Auguſto Cæſare regnum Judæorum in Hieruſalem; fuitque dies ille primus regni Herodis, qui incidit in diem decimam-ſeptimam menſis Tamuz, qui eſt dies Jejunii. Captumque Antigonum, & catenis vinctum miſit in Ægyptum ad Antonium Cleopatræ maritum, amicum ſuum, additis etiam muneribus, rogans ut Antigonum occideret; quod ille fecit anno tertio regni Herodis, qui tertius quoque erat annus regni Antonii mariti Cleopatræ. Siquidem Antonius cum Cleopatram in uxorem duxiſſet, rebellavit contra Auguſtum Cæſarem, qui cum ſuis copiis in Ægyptum trajecit, interfectiſque Antonio & Cleopatra, eorum regnum obtinuit. Anno decimo-octavo regni ſui deſtruxit Herodes Templum, illudque iterum ædificavit juxta formam, qua a Rege Salomone extructum fuerat. Natus eſt autem CHRISTUS Dominus anno vigeſimo-quinto regni ejus. Mortuus eſt verò Herodes, morbo conſumptus, quinto poſt die, quam Antipatrum filium ſuum necari juſſiſſet, ſeptuageſimo ætatis ſuæ anno: regnavitque triginta & uno anno, ex quibus ante Nativitatem quidem CHRISTI Domini viginti-quinque anni fluxere, poſt Nativitatem vero anni ſex.

At vero Auguſtus Cæſar unus erat ex ducibus Senatus, qui Romanam regebat urbem: cumque Pompejus Senatus Vicarius in Oriente moraretur, ipſe ad Occidentales plagas ſubjiciendas cum exercitu profectus eſt; expugnato autem Occidente Romam reverſus, eamdem urbem domuit, Senatu oppreſſo, & Collegis occiſis. Poſthæc nunciatum eſt Cæſari, Pompejum collectis copiis ad committendum ſecum prælium properare. Verum inito certamine, victoria Cæſari ceſſit, interfecto Pompejo. Quo facto Cæſar miſit in Ægyptum Antonium cum Antipatro, qui eam regionem Cæſari ſubegerunt. Cleopatra vero matrimonio copulata eſt Antonio duci exercitus Cæſaris, qui deſcivit a Cæſare. Quamobrem expeditione in Ægyptum facta, Auguſtus Cæſar interfecit Antonium exercitus ſui ducem, & Cleopatram, ejuſque regnum ſuſtulit: & exinde Ægyptus & Alexandria facta eſt Romanorum Provincia. Imperavit autem Auguſtus Cæſar annis quinquaginta-ſex cum dimidio: ex quibus ab oppreſſo quidem Senatu cum collegis (unde initium imperii Cæſaris ſumitur) uſque ad necem Pompeii ducis, anni fluxere quatuor cum dimidio: a nece autem Pompeii ad excidium regni Cleopatræ filiæ Dionyſii, anni duodecim: ab everſo vero Cleopatræ regno ad Nativitatem CHRISTI Domini in Bethlehem, anni viginti-quinque: a Chriſto demum nato uſque ad finem vitæ Auguſti, anni quindecim. Atque ita completi ſunt anni ab orbe condito quinquies mille, & quingenti.

Digitized by Google

| Numerus | NOMINA REGUM HERODIANORUM. *poſt Nativitatem Chriſti Domini.* | Anni. |
|---|---|---|
| XI. | Herodes poſt Nativitatem CHRISTI Domini regnavit ſex annis; ante Nativitatem vero ejus, annis triginta & uno, ex quibus ſex anni fluxere ſub regno Cleopatræ. | 6 |
| XII. | Archelaus, qui ſe Herodem quoque appellavit, paucis ab obitu uxoris ſuæ diebus, miſſo ab Auguſto Cæſare in urbem Hieruſalem duce captus eſt, & catenis vinctus, Romamque adductus, ibi obiit, cum regnaviſſet ſeptem annis. | 7 |
| XIII. | Antipas Archelai frater, qui & Herodem ſe appellavit, regnavit annis viginti & uno. Ejus diebus cruci affixus eſt CHRISTUS Dominus. Tiberius autem Cæſar miſſo duce captum Antipam in Hiſpaniam relegavit, ibique obiit. | 21 |
| XIV. | Agrippa filius Ariſtobuli, quem Herodes pater interfecerat, regnavit annis viginti-tribus. | 23 |
| XV. | Agrippa filius Agrippæ regnavit annis viginti. Ejus diebus accidit Captivitas, & Excidium Hieroſolymorum. Hic ultimus eſt Regum Judæorum, poſt quem exciſi ſunt, ad nihilum redacti, & in captivitatem abducti, Templumque eorum everſum uſque in præſentem diem. | 20 |
| | | |

Digitized by Google

| *Numerus.* | *NOMINA CÆSARUM* *Imperatorum Romanorum.* | *Anni.* | *Summa* |
|---|---|---|---|
| CVII. | Auguſtus Cæſar poſt Nativitatem CHRISTI Domini imperavit quindecim annis. | 15 | 5515 |
| CVIII. | Tiberius Cæſar ejus filius viginti-tribus annis. Anno autem imperii ejus decimo-quinto baptizatus eſt CHRISTUS Dominus, anno vero decimo-nono cruci affixus. | 23 | 5538 |
| CIX. | Cajus Cæſar quatuor annis. | 4 | 5542 |
| CX. | Claudius Cæſar quatuordecim annis. Ejus diebus ſcripſit Matthæus Evangelium. | 14 | 5556 |
| CXI. | Nero Cæſar tredecim annis. Hic occidit Petrum & Paulum. | 13 | 5569 |
| CXII. | Galba Cæſar ſeptem menſibus. | menſes 7. | ✠ |
| CXIII. | Octo Cæſar tribus menſibus. | menſes 3. | ✠ |
| CXIV. | Vitellius Cæſar octo menſibus. | menſes 8. | 5571 |
| CXV. | Veſpaſianus Cæſar novem annis cum dimidio. | $9\frac{1}{2}$ | $5580\frac{1}{2}$ |

# DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANO.

EXcidium Templi Hieroſolymitani contigit Feria tertia, die nona menſis Ab (*Auguſti*) quæ eſt vigeſima-quinta Epiphi, luna nona Ragebi, anno ab Orbe condito quinquies milleſimo ſeptuageſimo-ſeptimo : in quem diem inciderat primum ejuſdem Templi excidium, quod Nabuchodonoſor rex combuſſit. Cum enim ſeditiones ac tumultus in regione Judæorum in dies magis magiſque creviſſent, eo profectus Veſpaſianus dux exercitus Romanorum Imperatoris, Hieroſolymam obſedit uſque ad mortem Neronis : qua comperta Romam reverſus, Imperium quidem ſuſcepit; Titum vero filium ibi reliquit, ut Urbem obſidione urgeret. Quam cum Titus expugnaſſet, Templum combuſſit, gentemque Judæorum in captivitatem abduxit. Reſcientes autem Judæi, qui in Urbe remanſerant, Sancta Sanctorum jam incenſa fuiſſe, combuſſere ſimul omnia Civitatis palatia, pulcherrimas quaſque ædes, regiaſque porticus, cum omnibus qui in eis erant, theſauris, armis, & ſupellectilibus. Poſtridie autem diei, qua Sanctuarium incenſum eſt, emerſit quidam Judæus in Urbe, qui ſe Prophetam prædicabat, dicebatque : Hæc Domus ædificabitur abſque humanis manibus, virtute ſcilicet Dei Optimi Maximi, ſicut antea fuerat. Fortiter igitur Romanis reſiſtire, eorumque jugum ſubire nolite. Quod audientes qui ſuperfuerant ex Judæis, convenerunt ſimul & pugnaverunt adverſus Romanos, qui eos ſuperarunt, & ad ultimum trucidarunt: multos quoque ex Judæorum plebe occiderunt, quibus antea miſerti fuerant Romani, ac benefecerant.

Egreſſuſque eſt Oſeas ſacerdos ad Titum, habens duo candelabra, binas menſas aureas, & ingentem ſummam vaſorum Sanctuarii ex auro puriſſimo, quam Tito obtulit. At ille hominem comprehendi juſſit, multumque affligi, ut quos haberet theſauros proderet: cui Oſeas tradidit copioſum theſaurum auri, argenti, gemmarum, pretioſiſſimarum veſtium ſacerdotalium, & aromata multa: quibus acceptis, interfecit illum. Poſthæc receſſit Titus ab Hieruſalem, Romam petens, adduxitque ſecum ſpolia, & manubias regionis Judæorum, captivoſque, quos inde abduxerat.

*De numero eorum, qui mortui ſunt ex Judæis tempore obſidionis, necnon eorum, qui cæſi ſunt & in Captivitatem ducti, præter eos, quos Titus liberos dimiſit.*

REFERT Manahem unus cuſtodum portæ Civitatis, ſe numeraſſe mortuos, qui elati ſunt ex porta, cui ipſe præerat, eorumque numerum deprehendiſſe centum viginti-quinque millium, & octingentorum. Referunt quoque Principes Judæorum, qui ad Romanos accepta fide tranſierant, ſe calculos ſubduxiſſe mortuorum, qui tempore obſidionis ex omnibus portis elati ſunt, ut ſepelirentur, fueruntque ſexcenta millia, præter eos, qui in puteos projecti ſunt, & in plateis, vicis, ac ædibus periere, nec habuere qui eos ſepulturæ traderent. Ex iis etiam multi ad Romanos exierunt, quos hi trucidarunt.

Demum Joſeph Gorionis filius refert, ſe recenſuiſse eos, quos Romani in bello interfecerunt; quoſque ſeditioſi tempore obſidionis in Urbe occiderant, eorumque ſummam collegiſſe decies centenorum millium, & centum: quos autem captivos duxit Titus, fuiſse nonaginta-novem millia hominum. Ubicumque autem Titus caſtra metabatur, quos ſecum habebat, leonibus illos objiciebat, donec ad ultimum eos conſumpſit, nec vel unum ex eis ſuperſtitem reliquit.

| Numerus. | NOMINA CÆSARUM *Imperatorum Romanorum.* | Anni. | Summa |
|---|---|---|---|
| CXVI. | Titus Cæſar Veſpaſiani filius, qui Templum Hieroſolymitanum ſecundo exeidit, imperavit quatuor annis. | 4 | 5584$\frac{1}{2}$ |
| CXVII. | Domitianus Cæſar, Titi frater, imperavit quindecim annis. Hic Chriſtianos ſummopere afflixit. | 15 | 5599$\frac{1}{2}$ |
| CXVIII. | Nerva Cæſar uno imperavit anno. | 1 | 5600$\frac{1}{2}$ |
| CXIX. | Trajanus Cæſar imperavit undeviginti annis. Hic occidit Ignatium Patriarcham Antiochenum; item Simeonem Cleophæ filium Epiſcopum Hieruſalem, annum agentem centeſimum vigeſimum, poſtquam Epiſcopatum rexiſſet quadraginta duobus annis, e quibus decem fluxere ante exeidium Hieruſalem, & reliqui poſt exeidium. Ejus tempore ſuum conſcripſit Evangelium Joannes. | 19 | 5619$\frac{1}{2}$ |
| CXX. | Ælius Adrianus Cæſar imperavit viginti & uno anno. Hic columnam, ſeu titulum erexit ſuper portam Hieruſalem, cum hac inſcriptione: *Urbs Ælia*; Columna autem illa nunc dicitur, *Sacellum David*. Foſſam quoque ex flumine Ægypti ad mare Clyſmatis (*Rubrum*) effodiendam curavit, eoque dulcem aquam deduxit. | 21 | 5640$\frac{1}{2}$ |
| CXXI. | Antoninus Cæſar imperavit viginti-duobus annis. | 22 | 5662$\frac{1}{2}$ |
| CXXII. | Aurelius Cæſar imperavit undeviginti annis. | 19 | 5681$\frac{1}{2}$ |
| CXXIII. | Commodus Antonini filius imperavit duodecim annis. Ejus diebus exortum eſt Imperium Perſarum auctore Ardaſciro filio Babechi, filii Saſani, ex urbe Aſtachar, qui regni Perſici initium dedit, regnavitque in terra Babylonis, Amidæ, & Perſidis. Ejus quoque temporibus claruit Galenus medicus, auctor artis medicæ. | 12 | 5693$\frac{1}{2}$ |
| CXXIV. | Pertinax Cæſar imperavit tribus menſibus. | menſes 3. | ✠ |

| *Numerus.* | NOMINA CÆSARUM *Imperatorum Romanorum.* | *Anni.* | *Summa* |
|---|---|---|---|
| CXXV. | Julianus Cæſar imperavit duobus menſibus. | menſes 2. | ✠ |
| CXXVI. | Severus Cæſar imperavit tredecim annis. | 13 | 5706½ |
| CXXVII. | Antonius Cæſar ejus filius, imperavit ſex annis. | 6 | 5712½ |
| CXXVIII. | Macrinus Cæſar imperavit uno anno. | 1 | 5713½ |
| CXXIX. | Antonius Cæſar imperavit tribus annis. | 3 | 5716½ |
| CXXX. | Alexander Cæſar imperavit tredecim annis. Anno Imperii ejus nono regnavit Ardaſcirus filius Babechi filii Saſani. | 13 | 5729½ |
| CXXXI. | Maximinus Cæſar imperavit tribus annis. Sub eo martyrium paſſi ſunt Sergius & Bacchus. | 3 | 5732½ |
| CXXXII. | Pupienus Cæſar imperavit tribus menſibus. | menſes 3. | ✠ |
| CXXXIII. | Gordianus Cæſar imperavit quatuor annis. Sub eo emerſit Manes auctor hæreſis Manichæorum : floruit quoque Gregorius Thaumaturgus Neocæſareæ. | 4 | 5736½ |
| CXXXIV. | Philippus Cæſar imperavit ſeptem annis. Primo Imperii ejus anno regnavit in Perſide Sapores Ardaſciri filius. | 7 | 5743½ |
| CXXXV. | Decius Cæſar uno imperavit anno. Ejus diebus fugerunt ſeptem illi Adoleſcentes, & latuerunt in antro urbis Epheſi. Sub eo martyrium quoque ſubiit ſanctus Mercurius. | 1 | 5744½ |

*Abrah. Ecchell.*

| *Numerus.* | N O M I N A C Æ S A R U M. *Imperatorum Romanorum.* | *Anni.* | *Summa* |
|---|---|---|---|
| CXXXVI. | Gallus Cæſar duobus imperavit annis. | 2 | 5746½ |
| CXXXVII. | Valerianus Cæſar imperavit quatuordecim annis. Ejus diebus martyrium ſubiere Coſmas, & Damianus, fratreſque ac mater eorum. Sub eodem innotuit Paulus Samoſatenus. | 14 | 5760½ |
| CXXXVIII. | Claudius Cæſar uno imperavit anno. Sub eo Paulus Patriarcha Antiochenus ſectæ Paulicianorum auctor fuit. | 1 | 5761½ |
| CXXXIX. | Aurelianus Cæſar imperavit ſex annis. Anno Imperii ejus ſexto natus eſt Conſtantinus Imperator. | 6 | 5767½ |
| CXL. | Tacitus Cæſar imperavit ſex menſibus. | menſes 6. | 5768 |
| CXLI. | Probus Cæſar imperavit ſex annis. | 6 | 5774 |
| CXLII. | Carus Cæſar imperavit duobus annis. | 2 | 5776 |
| CXLIII. | Diocletianus Cæſar imperavit viginti & uno anno. Ejus tempore quadrifariam diviſum erat Imperium, Diocletianus quidem Antiochiæ degebat, Maximianus vero filius ejus in Oriente, Maxentius Romæ, & Conſtantinus Conſtantii filius in Aſia: quibus tamen omnibus præerat Diocletianus. Quoniam autem Ægyptii & Alexandrini contra illum rebellaverant, anno decimo-nono ſui Imperii miſit Alexandriam edictum, ut clauderentur Eccleſiæ Chriſtianorum, & reſerarentur Idolorum fana, & quotquot thus Idolis offerre nollent, morti addicerentur. Hinc plurimi martyres necati ſunt. Interfecit quoque Petrum Patriarcham Alexandrinum: exilio etiam multavit filios Regum & Principum, Claudium ſcilicet, Victorem, & Baſilidem, quos in Ægyptum relegavit. Poſtremo cæcitate percuſſus fuit a Deo, ita ut eleemoſynam peteret ad portas urbis Antiochiæ; & morte peſſima periit. | 21 | 5797 |

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum. | Anni. | Summa |
|---|---|---|---|
| CXLIV. | Maximianus ejus filius, poſt patrem imperavit anno uno, multoque majora, & atrociora mala perpetravit, quam pater ejus. Sub eo martyrium ſubiit Barbara, & alii Martyres. | 1 | 5798 |
| CXLV. | Conſtantinus Magnus imperavit triginta duobus annis. Hunc poſt Diocletiani mortem conatus eſt Maximianus ejus filius Imperio ſpoliare. Anno autem decimo-ſeptimo Imperii Conſtantini, apparuit ei in ſomnis ſignum Crucis, audivitque vocem ſibi dicentem: *Ferto hoc ſignum, & vinces hoſtes tuos*. Qua de re cum inquiſiviſſet, a Sacerdotibus Chriſtianis de Crucis myſterio edoctus fuit. Statimque tulit Conſtantinus ſignum Crucis, initoque contra Maximianum bello, profligatis copiis fugit Maximianus, Romamque contendens, ſubmerſus eſt in flumine cum ſuo exercitu: & Romanum obtinuit Imperium Conſtantinus ab ortu uſque ad occaſum. Anno decimo-nono Imperii ſui credidit, & baptizatus eſt. Helena vero ejus mater Hieroſolymam profecta, detexit pretioſiſſimum lignum Crucis, & Sepulcrum, & ædificavit Templum Reſurrectionis, & Golgothæ. Anno autem poſt ejus converſionem ad fidem decimo-nono coegit ſanctum illud Concilium Nicææ trecentorum octodecim Epiſcoporum, qui anathemate percuſſerunt Arium, omneſque ejus ſectatores, & compoſuerunt vulgatiſſimum illud Symbolum. Summa Imperii ejus fuit annorum quinquaginta, e quibus ante ſuſceptam fidem ſub obedientia Diocletiani fluxere anni octodecim; poſt ſuſceptam vero fidem anni triginta-duo. | 32 | 5830 |
| CXLVI. | Conſtantius Conſtantini filius imperavit annis viginti quatuor. Sub eo floruit Cyrillus Hieroſolymitanus, qui ſcripſit ad illum in hæc verba: In diebus religioſiſſimi patris tui Conſtantini apparuit in Hieruſalem lignum ſalutiferæ Crucis, & detecta ſunt Sancta Loca. At in diebus tuis, Imperator, apparuerunt miracula, non quidem e terra, ſed ex cælo; ſiquidem viſa eſt in Hieruſalem ſupra Sepulcrum hora tertia ſolemnitatis Pentecoſtes Crux lucida & ſplendida; idque non uni, aut duobus, ſed omnibus ſimul civibus, qui ſpatio trium horarum illam viderunt. Is vero ſplendor ejus erat, ut Solis ſplendorem ſuperaret obſcuraretque. Ob id miraculum multa hominum millia ad cognitionem Dei adducta ſunt, multique Chriſtianam fidem ſuſceperunt. | 24 | 5854 |



Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum. | Anni. | Summa |
|---|---|---|---|
| CXLVII. | Julianus apoſtata. Sub eo claruit Antonius Abbas, qui omnium primus Ægypti ſolitudinem incoluit, & Monaſteria extruxit. In Syria quoque floruit Hylarion Abbas, qui primus omnium incoluit ſolitudinem Jordanis, ibique Monaſteria ædificavit. Quod autem hic Imperator Baſilium Cæſareæ Epiſcopum in vincula conjeciſſet, a Sancto Mercurio martyre lancea confoſſus interiit. | 2 | 5856 |
| CXLVIII. | Jovianus uno imperavit anno. | 1 | 5857 |
| CXLIX. | Valentinianus imperavit duodecim annis. | 12 | 5869 |
| CL. | Valens poſt Valentinianum imperavit duobus annis. | 2 | 5871 |
| CLI. | Gratianus imperavit uno anno. | 1 | 5872 |
| CLII. | Theodoſius Magnus, Imperator fidelis, imperavit ſeptemdecim annis. Anno primo Imperii ejus celebratum fuit Concilium ſecundum Conſtantinopoli centum quinquaginta Epiſcoporum, qui anathemate percuſſerunt Macedonium Spiritus Sancti hoſtem, & Sabellium qui dicebat: *Pater Filius Spiritus Sanctus*, conſtituens in una Divina natura unam perſonam, rejecta particula *&*. Damnarunt quoque Apollinarem, qui ajebat: *Magnus*, *Major*, *Maximus*: Vocabat enim Spiritum Sanctum *Magnum*; Filium vero *Majorem*; & Patrem *Maximum*. Anno octavo Imperii ejus apparuerunt ſeptem illi Adoleſcentes, qui fugientes ſeſe abſconderant a Decio impio Imperatore. Unde ſpatium, quo dormiere, colligitur annorum centum triginta-ſex. Hic vero Imperator Theodoſius ædificavit Eccleſiam Gethſemani. | 17 | 5889 |
| CLIII. | Arcadius ejus filius imperavit tredecim annis. Hic ædificavit monaſterium Koſairi in monte Mokattabo apud Phoſtatum Ægypti, quod Sancto Arſenio nuncupatum eſt. Sub eodem floruit Joannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus. | 13 | 5902 |

| Numerus | NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum. | Anni. | Summa |
|---|---|---|---|
| CLIV. | Theodoſius minor, Arcadii filius, imperavit quadraginta-duobus annis. Anno vigeſimo-primo Imperii ejus celebratum eſt Tertium Concilium Epheſi ducentorum Epiſcoporum, qui damnarunt Neſtorium ejuſque ſectarios, præſidente Cyrillo magno Patriarcha Alexandrino. | 42 | 5944 |
| CLV. | Marcianus Imperator imperavit ſex annis. Anno primo Imperii ejus celebratum eſt quartum Concilium Chalcedone ſexcentorum triginta Epiſcoporum. Hic autem Imperator ſententiam Neſtorii ſequebatur, quem idcirco ab exilio revocari juſſit: ſed hominem jam interiiſſe nuncius invenit; Deus enim illum morte præripuerat. Cum vero Marcianus Pulcheriam Theodoſii ſororem poſt ejus obitum uxorem duxiſſet, Imperiumque ſimul ab ea accepiſſet, Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, quod ſibi reſtitiſſet, ſede ſua pulſum in exilium miſit, ibique mortuus eſt. Qui autem Imperatori morem geſſere ejuſque ſententiam amplexi ſunt, dicti fuere *Melchitæ*, hoc eſt, *Regii*, ſeu *Imperiales*. | 6 | 5950 |
| CLVI. | Leo Magnus imperavit ſexdecim annis. | 16 | 5966 |
| CLVII. | Leo pater Zenonis Jacobita, anno uno. | 1 | 5967 |
| CLVIII. | Zeno filius ejus Jacobita, fidei propugnator, imperavit ſeptemdecim annis. | 17 | 5984 |
| CLIX. | Anaſtaſius Jacobita, Eliam Patriarcham Hieroſolymitanum in Ailam relegavit; ſed & Flavianum Patriarcham Antiochenum, quod opinioni Melchitarum addicti eſſent, conſtituitque pro Flaviano Sanctum Severum. Severus autem habebat diſcipulum quemdam nomine Jacobum, qui defuncto Imperatore clam adibat fideles eoſque confirmabat juſſu Timothei Patriarchæ Alexandrini. | 27 | 6011 |
| CLX. | Juſtinus Chalcedonenſis inſectatus eſt Jacobitas, & in exilium miſit Sanctum Severum Patriarcham Antiochenum. Imperavit novem annis. | 9 | 6020 |
| CLXI. | Juſtinianus Imperator, imperavit triginta-novem annis. Sub eo celebrata eſt Quinta Synodus Conſtantinopoli centum ſexaginta-quatuor Epiſcoporum, qui damnarunt Origenem, ejuſque ſectarios. | 39 | 6059 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | NOMINA CÆSARUM *Imperatorum Romanorum.* | *Anni.* | *Summa* |
|---|---|---|---|
| CLXII. | Juſtinus Imperator tredecim annis. | 13 | 6072 |
| CLXIII. | Tiberius Imperator tribus annis. | 3 | 6075 |
| CLXIV. | Mauritius Imperator, quem Phocas interfecit, viginti annis. | 20 | 6095 |
| CLXV. | Phocas Imperator, quem Heraclius interfecit, octo annis. | 8 | 6103 |
| CLXVI. | Heraclius Imperator imperavit triginta & uno anno, ac menſibus quinque: ab anno ſcilicet Alexandri Bicornis nongenteſimo vigeſimo-ſecundo. Obiit die Dominica, nona Februarii, quæ reſpondet decimæ-quintæ menſis Mechir, anni Alexandri nongenteſimi quinquageſimi-quarti. Ejus tempore initium habuit Imperium Moslemanorum. Imperavit autem Heraclius ante Moslemanorum quidem Imperium undecim annis, poſt illud vero annis viginti. Quamobrem ex ejus annis in hac tabula undecim tantum recenſebimus, cum reliqui viginti anni in ſumma annorum Moslemanorum comprehendantur. | 11 | 6114 |

# DE MOSLEMANORUM IMPERIO.

FUIT initium Imperii Moslemanorum feria quinta, die prima Moharrami, quæ eſt decima quinta Tamuz (*Julii*) & vigeſima prima Epiphi, anno Alexandri nongenteſimo trigeſimo-tertio. Contigit quippe Hegira eo anno, quo Heraclius Phoca occiſo obtinuit Imperium, nempe anno primo ejus Imperii. Rejecimus autem poſteriores Heraclii annos, quod nihil nobis de Romanorum Imperatorum hiſtoria reliquum ſit, niſi uſque ad Heraclium: annos vero Hegiræ ſecuti ſumus, quod proximiores nobis ſint, adeoque per illos facilius annorum ratio ad noſtram uſque ætatem ſubducitur. Cumque anni Hegiræ Lunares ſint, eo quidem ut ſe habent modo illos deſcribimus; ſed mox eoſdem ad annos Solares reducimus, ut quam ab Adamo inchoavimus, ad noſtra uſque tempora eamdem Chronologiæ rationem perducamus. Binas autem Tabulas damus: quarum prior continet nomina Calipharum Moslemanorum, Regumque eorum in Ægypto & Bagdado, a Mahomero uſque in præſentem diem: Caliipharum, inquam, Abbaſidarum, Phatemidarum, & Regum Jobidarum, aliorumque: quorum anni in dies diſtributi ſunt, & ad Solares annos reducti. Altera vero Tabula in quatuor Laterculos diviſa eſt, quarum prima comprehendit annos Lunares uniuſcujuſque Caliphæ; altera ſummam eorumdem annorum; tertia reductionem eorumdem in annos Solares; quarta deniq; ſummam ab Orbe condito.



Digitized by Google

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum.* | *Anni Caliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| I. | Mahometus Abulcaſemus filius Abdallæ filii Abdalmotalebi, natus eſt in planitie Mechæ circa auroram feriæ ſecundæ, duodecima Rabii prioris anno Elephantis. Epocha autem Hegiræ initium habuit feria quinta, prima anni illius, quo Mahometus hegiram, ſeu fugam cepit a Meccha urbe ad Medinam: obiit vero feria ſecunda, die duodecima Rabii prioris, annum ætatis agens ſexageſimum tertium, e quibus decem Medinæ fluxerunt. | anni 10<br>dies 71 | anni 10<br>dies 71 | anni 9<br>dies 329 | anni 6123<br>dies 320 |
| II. | Abubacrus Juſtus filius Abikahaphæ, creatus eſt Chalipha feria ſecunda, qua Mahometus obiit: mortuus eſt autem ex phriſi. Erat procerus, macilentus, levis ac raræ barbæ, contemptor rerum humanarum, pius, abſtinens a mundanis deliciis: quippe qui ex publico ærario tres dumtaxat denarios ſingulis diebus accipiebat. Eſtque primus omnium, qui Alcoranum collegit. | anni 2<br>dies 100 | anni 12<br>dies 171 | anni 2<br>dies 76 | anni 6125<br>dies 360 |
| III. | Omarus filius Alchettabi, cognomento Abu-Hophſus, creatus eſt eodem die, qua Abubacrus obiit. Ipſe cepit Ægyptum deditione a Mecaucaſo; Alexandriam vero vi expugnavit. Pugione percuſſit eum Abululua puer Mogairæ, & poſt tres dies obiit. Erat autem valde fuſcus, & calvus. Primus omnium appellatus eſt *Emir-al-mumenin*, hoc eſt, *Imperator fidelium*: primuſque geſtavit Srrophium ex fune contortum, aut nervum taurinum, quo & percutere ſolebat. Ipſe cepit Damaſcum, Emeſsam, Kenneſrinum, Baſan, Jeruſalem, & Madainam Choſroæ regiam, ideſt, Seleuciam & Cteſiphontem, ex qua eam retulit divitiarum ſummam, quæ vix exprimi poteſt. Expugnavit quoque Aderbigianam, Rakam, Niſibin, & alias urbes. | anni 10<br>dies 178 | anni 22<br>dies 349 | anni 10<br>dies 70 | anni 6136<br>dies 65 |
| | Quinque Interregni dies uſque ad Othmani regnum, annorum ſummæ adjiciendi ſunt. | | | | |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum.* | *Anni Caliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| IV. | Othmanus Aſſani filius inauguratus eſt prima Mohattami, & interfectus die Paſchatis a Mahometo Abubacri filio, cum annum ætatis octogeſimum ſecundum ageret. Quo autem obiit anno, præcepit Valides Akabæ filius, ut Codices Alcorani dilaceratentur & aceto lavarentur, quod magna de Alcorano diſſenſio orta eſſet, Siquidem reverſus Hadipha ex bello Armenico, dixit ei: conſule populis, antequam diſſentiant diſſenſione Judæorum & Judæorum. Qui ait: Quid eſt hoc? Reſpondit Hadipha: Expugnavi Atmeniam, Arakam, & Syriam; ubi comperi Arakenſes pro infidelibus habere Syros, eorumque librum repudiare; contra Syros pro infidelibus habere Arakenſes. Tunc præcepit Zaido Thabeti filio, qui deſcripſit Codicem, contulitque eum eum Codice, qui erat apud Haphidam, combuſſitque Codices ab illo diſſentientes. | anni 11<br>dies 544 | anni 34<br>dies 344 | anni 11<br>dies 223 | anni 6147<br>dies 293 |
| V. | Ali filius Abutalebi Chalipha creatus eſt eodem die, qua Othmanus cæſus. Erat autem rerum mundanarum contemptor, elargiendis eleemoſynis deditus, & religionis ſuæ propugnator acerrimus. | anni 4<br>dies 262 | anni 40<br>✠ | anni 4<br>dies 219 | anni 6152<br>dies 147 |
| VI. | Haſanus filius Ali, creatus eſt Calipha Cuphæ eadem die, qua pater ejus obiit. Anno quadrageſimo primo venit Cupham Moavias, Abiſophiani filius, cui occurrens Haſoenus, inita pace, imperii jura ceſſit. Ejus tempore interfectus eſt Hoſainus die decima Moharrami, qui in feriam ſextam incidit, annum ætatis agens quinquageſimum-nonum: cæſique ſunt cum illo novem millia equitum. | ✠<br>dies 182 | anni 40<br>dies 80 | ✠<br>dies 182 | anni 6152<br>dies 239 |
| | Quatuor dies interregni addantur ſummæ. | | | | |

# DE CALIPHIS OMMIADIS.

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Ommiadarum.* | *Anni Caliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| VII. | Moavias Abiſofiani filius inauguratus eſt Chalipha, obiitque Damaſci, annum ætatis agens ſeptuageſimum-octavum. Erat candidus, procerus, extantibus oculis, prolixa barba, lato pectore, protuberante ventre, magnæ apud homines majeſtatis & auctoritatis. | anni<br>19<br>dies<br>94 | anni<br>59<br>dies<br>178 | anni<br>18<br>dies<br>253 | anni<br>6171<br>dies<br>221 |
| VIII. | Jazidus Moaviæ filius Chalipha creatus eſt qua pater obiit die, cum annum ætatis ageret trigeſimum-nonum. Ipſe interfecit Hoſeinum. Fuit valde fuſcus, magno capite, varorum veſtigiis in vultu notatus, brevibus digitis. Miſſo exercitu Bocharam obſedit, cujus regnum mulier quædam nomine Charona tenebat, quæ contra Moslemanos opem imploravit Regis Sogdianorum, eique ſe illi nupturam promiſit. Qui opem illi tulit cum centum-viginti millibus, multaque utrinque commiſſa ſunt prælia, cædeſque ſecutæ. Jazidus autem miſſis copiis Meccam obſedit, portamque Caabæ cum trabibus combuſſit, unde murus nigredinem contraxit. Medinam quoque obſedit, expugnavitque, & effuſo civium ſanguine urbem depopulatus eſt. | anni<br>3<br>dies<br>249 | anni<br>63<br>dies<br>73 | anni<br>3<br>dies<br>226 | anni<br>6175<br>dies<br>72 |
| IX. | Moavias filius Jazidi filii Moaviæ, Chalipha inauguratus eſt qua die pater obiit, nempe 15. Rabii prioris. Caliphatu ſe abdicavit, poſtquam illum diebus 45. tenuiſſet: obiitque quadrageſimo poſt imperii abdicationem die, annum ætatis agens vigeſimum tertium, & ſepultus eſt juxta patrem ſuum, nulla relicta prole. | ✠<br>dies<br>45 | anni<br>63<br>dies<br>118 | ✠<br>dies<br>45 | anni<br>6175<br>dies<br>117 |
| | Nonaginta-novem interregni dies, qui ad Chaliphatum Abdallæ filii Zobairi fluxere, annorum ſummæ adduntur. | | | | |
| X. | Abdalla filius Zobairi inauguratus eſt Mecchæ vigeſima-prima Ragebi. Cumque imperium obtinuiſſet Abdalmalechus filius Meruani, miſit Hagiagium, qui eum patibulo affixum interfecit, anno ætatis ejus ſeptuageſimo ſecundo. | ✠<br>dies<br>128 | anni<br>63<br>dies<br>325 | ✠<br>dies<br>128 | anni<br>6175<br>dies<br>344 |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Ommiadarum.* | Anni Caliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XI. | Meruanus filius Hachemi inauguratus eſt Giainæ menſe Ragebi. Sub ejus Chaliphatu Cufenſes quidam turbas excitarunt ad vindicandam Hoſaini cædem, præfeceruntque ſibi Solimanum filium Saradi: & numerus quidem eorum, qui ei ſe adjunxere, ſexdecim erat millium. | ✠ dies 198 | anni 64 dies 266 | ✠ dies 295 | anni 6176 dies 254 |
| XII. | Abdalmalechus filius Meruani, & pater Validis, inauguratus eſt Chalipha in Syria menſe Ramadano, anno ætatis ſexageſimo. Erat forma quadratus, albus, hiante ore, dentibus intricatis, & obtuſis naribus; Cognominabatur autem Abazabbam: Eaque erat avaritia, ut appellaretur *Sudor*, ſeu *Diſtillatio ſaxi*. | anni 21 dies 15 | anni 85 dies 281 | anni 20 dies 152 | anni 6197 dies 41 |
| XIII. | Valides filius Abdalmalechi filii Meruani filii Hachemi inauguratus eſt ex patris ſententia feria quinta, die decima-quinta menſis Scevali, obiitque quadrageſimum-octavum agens annum, cum aliquot menſibus. Erat fortiſſimo ac robuſto corpore, ducendiſque ac dimittendis uxoribus deditus: tres enim ac ſexaginta uxores duxit. Ipſe conſtruxit Delubrum Damaſci, deſtructamque proximam Sancti Joannis Eccleſiam ei adjecit. In eo autem extruendo duodecim mille latomi occupati fuere, inque ejus ſtructuram quinquies decies centena millia, & ſexcenta millia aureorum inſumpta, erantque in eo ſexcentæ catenæ aureæ. | anni 9 dies 236 | anni 95 dies 113 | anni 9 dies 138 | anni 6206 dies 179 |
| XIV. | Solimanus filius Abdalmalechi filii Meruani inauguratus eſt Chalipha qua Valides frater obiit die, nempe Sabbato die 15. menſis Gemadi poſterioris, defunctus eſt autem morbo laterum, anno ætatis quadrageſimo quinto. Erat procerus, pulcher, eloquens, diſertus, abhorrens ab effuſione ſanguinis, helluo, luxurioſus, comedebatque ſingulis diebus centum circiter libras. | anni 2 dies 242 | anni 98 dies 50 | anni 2 dies 221 | anni 6209 dies 34 |
| XV. | Omarus filius Abdalazizi filii Meruani filii Hachemi inauguratus eſt Chalipha qua Solimanus patruus obiit die, nempe feria ſexta, vigeſima menſis Saphari. Maximopere deditus erat contemptui rerum, juſtitiæ, & religioni, cui res mundanas poſthabuit. | anni 2 dies 222 | anni 100 dies 202 | anni 2 dies 130 | anni 6211 dies 164 |

Digitized by Google

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Ommiadarum.* | Anni Caliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XVI. | Jazidus filius Abdalmalechi filii Mervani filii Hachemi, inauguratus eſt Chalipha, qua die patruus Omarus filius Abdalizizi obiit, nempe feria ſexta, vigeſima-quinta Ragebi; obiitque anno ætatis vigeſimo-nono. Erat magno corpore, addictus muſicæ & ludis: eo autem puellam quamdam dilexit, ut cum vita exceſſiſſet, luxerit eam luctu maximo, ejuſque cadaver triduo apud ſe ſervarit, donec fœteret. | anni 4 dies 29 | anni 104 dies 231 | anni 3 dies 350 | anni 6215 dies 149 |
| XVII. | Hiſciamus filius Abdalmalechi filii Hachemi inauguratus eſt Chalipha qua frater ejus obiit die, nempe vigeſima-quinta Sciabani. Erat luſcus, candidus quidem, ſed colore tamen vergente ad flavedinem; politiæ & regiminis peritus, ſed ſummopere avarus & invidus. Veſtimentorum adeo amator erat, ut hujuſmodi ejus ſupellectili aſportandæ ſexcenti cameli deſtinati eſſent. Reliquit duodecim mille interulas. Cum autem vita exceſſiſſet, non habuit Valides quo cadaver ejus involveret; adeoque involvit illud famulus ejus. | anni 19 dies 219 | anni 124 dies 95 | anni 19 dies 13 | anni 6234 dies 162 |
| XVIII. | Valides Abulabbaſus filius Jazidi filii Abdalmalechi, filii Meruani, filii Hachemi, inauguratus eſt Chalipha qua Hiſciamus patruus obiit die, nempe menſe Rabii poſterioris. Interfecerunt eum milites Jazidi filii patrui ejus, abſciſſumque caput circumtulerunt per urbem Damaſcenam. Annum ætatis agebat quadrageſimum ſecundum. Cauſa ejus necis fuit propter nequitiam ejus, & manifeſtam infidelitatem atque impietatem, quodque Sadducæorum hæreſi infectus eſſet. Inaugurarunt itaque Damaſceni cives filium patrui ejus Jazidum, qui confirmato Imperio dixit: Qui caput Validis attulerit, centum millibus aureorum donabitur. Interfecerunt igitur eum, attuleruntque caput ejus ad Jazidum. | anni 1 dies 81 | anni 125 dies 176 | anni 1 dies 69 | anni 6235 dies 231 |
| XIX. | Jazidus filius patrui Validis, filius Abdalmalechi filii Meruani, filii Hachemi, inauguratus eſt vigeſima-octava Gemadi poſterioris, periitque peſte in feſto Paſchatis, anno ætatis quadrageſimo. Propenſus fuit ad ſectam Cadraitarum, qui omnia Fato adſcribunt: adeoque cum Meruanus cognomento Hemarus Imperium obtinuiſſet, effoſſo ejus ſepulchro, cadaver patibulo affixit. Quoniam vero militum ſtipendia diminuit, *Nakes*, hoc eſt, diminutor, cognominatus fuit. | anni ✠ dies 160 | anni 125 dies 336 | anni ✠ dies 160 | anni 6236 dies 26 |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Ommiadarum.* | *Anni Caliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XX. | Ibrahimus filius Validis filii Abdalmalechi filii Meruani, filii Hachemi, inauguratus eſt qua Jazidus frater obiit die, menſe ſcilicet Dilhege. Hic cum omnia perturbata vidiſſet, abdicaro imperio, ſummam rerum tradidit Meruano filio Mahometi Giadii, qui paulo poſt interfecit eum & patibulo affixit. Ratis erat myſtacibus, impotens & ineptus ad regimen. Subditi ejus aliquando ſalutabant eum ut Chalipham, aliquando ut Emirum, ſeu Ducem, aliquando ſine ullo titulo. | anni ✠ dies 69 | anni 126 dies 50 | anni ✠ dies 69 | anni 6236 dies 95 |
| XXI. | Meruanus filius Mahometi Giadii inauguratus eſt Chalipha menſe Sapharo, quem interfecir Salechus patruus Saphachi Abulabbaſi in quodam oppido Ægypti ſuperioris, quod Buſirin appellanr. Hic eſt ultimus Calipharum Ommiadarum, qui fuere quatuordecim, quorum primus fuit Moavias filius Abiſophiani, & iſte poſtremus. Erat autem prudens, ſtrenuus, optimi conſilii & regiminis. ſed adverſa fortuna, & ſtaturo tempore elapſo, nihil prodeſt conſilium, neque numerus aut apparatus copiarum: converſa enim fortuna, capillo ducitur, adverſa vero catenas diſrumpit. | anni 5 dies 23 | anni 131 dies 73 | anni 4 dies 330 | anni 6241 dies 63 |

# DE CALIPHIS ABBASIDIS.

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum.* | *Anni Caliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXII. | Abdalla Sacpphachus Abulabbaſus filius Mahometi, filii Ali, filii Abbaſi, inauguratus eſt Chalipha Cuphæ, feria ſexta, tertia decima Rabii prioris: obiitque morbo varorum in Haſcemia, annum ætatis agens trigeſimum-ſecundum cum dimidio. Erat candidus, venuſta facie, liberalis, & optimis moribus. Hic convocavit homines familiæ Ommiadarum, qui erant circiter octoginta viri, interfecitque eos uſque ad ultimum. Nam ſingulis eorum ſingulos e militibus ſuis manu clavam tenentes juſſit aſſiſtere: cumque eorum quidam dixiſser: *Abdoſemſus pater tuus, idem quoque pater noſter eſt, nec ſumus a te alieni*: ſimul atque manus ſuas comploſit Abdalla, ſinguli ſibi commiſſum clava percuſſerunt: tum præcepit Abdalla, ut eos traherent & ordine diſponerent, & expanſo ſuper cadavera tapeto, cum ſuis ei inſedit: atque ita cibum afferri juſſit: cumque comederent, gemitus eorum audiebatur, donec expirarunt. Tum miſit Abulabbaſus patruum ſuum Damaſcum, qui eam vi cepit, & Valide interfecto, urbem triduo diripuit, ejuſque muros minutim diruit, & effoſſis Ommiadarum ſepulcris, oſsa eorum igni combuſſit. | anni 4<br>dies 266 | anni 135<br>dies 339 | anni 4<br>dies 222 | anni 6245<br>dies 285 |
| XXXIII. | Abdalla Abugiapharus Manſores filius Mabometi filii Abbaſi, inauguratus eſt Chalipha, qua frater ejus obiit die, dum eſſet in itinere Meccano: & defunctus eſt apud puteum Maimonis in Mecca, anno ætatis ſexageſimo-tertio. Ipſe conſtruxit Bagdadum, eamque urbem incoluit anno centeſimo quadrageſimo-quinto. Tanta fuit morum probitate, prudentia, rectitudine conſilii, & ſuavitate converſationis, ut dici non poſſit: magnanimus quoque, & multo rerum uſu exercitatus: terribilis, ſola ſuſpicione homines prehendens, & ex ſola calumnia interficiens. Cæterum ſumme avarus, unde *Viſcoſi* cognomen accepit. Numerus eorum, quos interfecit, fuit ſexcentorum millium. | anni 21<br>dies 348 | anni 157<br>dies 332 | anni 21<br>dies 119 | anni 6267<br>dies 32 |

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chaliphatum Abbaſidarum. | Anni Caliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XXIV. | Mahometus Mohadius filius Abdallæ filii Mahometi, inauguratus eſt Calipha qua die defunctus eſt pater ejus Mecchæ, cum ipſe eſſet Bagdadi, Sabbato ſexta menſis Dilhegæ : obiitque in quodam Oppido Maſabdani, vigeſima ſecunda Moharrami, anno ætatis quadrageſimo-ſecundo cum dimidio. Erat colore pallido, habens in oculo dextero maculam albedinis. | anni 10<br>dies 45 | anni 168<br>dies 22 | anni 9<br>dies 301 | anni 6276<br>dies 340 |
| XXV. | Moſes Hadius filius Mahometi, inauguratus eſt Calipha qua die pater ejus obiit, & defunctus eſt Bagdadi feria ſexta, die decimaquarta Rabii prioris, anno ætatis vigeſimo-quarto. Jam decreverat abdicare fratrem ſuum Raſcidum a ſucceſſione Imperii, & inaugurare filium ſuum; ſed ſubita mors interceſſit, ejuſque propoſitum interrupit. Erat ſtrenuus, magnanimus, liberalis, & difficilis acceſſu. | anni 1<br>dies 52 | anni 169<br>dies 64 | anni 1<br>dies 43 | anni 6278<br>dies 18. |
| XXVI. | Aaron Raſcidus filius Mohadii, pater Mahometi, inauguratus eſt, qua nocte frater ejus obiit, eademque Mamones natus eſt. Defunctus eſt autem nocte Sabbati, tertia Gemadi poſterioris, anno ætatis quadrageſimo-ſeptimo cum aliquot menſibus. Habebat a ſecretis Giapharum filium Chaledi filii Barmachi. Erat pulcher, corpulentus, & pinguis. Omnium Chalipharum fuit liberaliſſimus & munificentiſſimus, optimis carminibus componendis deditus : nec non ſtrenuus, bellicoſus, & peregrinationibus addictus, itaut octies, dum Chaliphatum tenuit, peregrinationem Meccanam ſuſceperit. Occidit autem Giapharum, qui ipſi a ſecretis erat ; nec de cauſa ejus cædis conveniunt Scriptores. Nam quidam ajunt, Raſcidum cum abſentiam Giaphari, ſororiſque ſuæ Abbaſæ Mohadii filiæ ferre non poſſet, matrimonio illos copulaſſe, ut ſibi illam videre liceret : ſed vetuiſſe, ne Giaphatus eam attingeret : qui tamen cum ea concubuit, gravidamque reddidit ; illa vero cum puerum peperiſſet, miſit illum Meccam, Raſcidum verita : idque ubi Raſcidus reſcivit, Giapharum occidit. Sed hoc longe diſtat a veritate. Alii ferunt, Giapharum ampliſſimas ædes ædificaſſe, viginti millibus millium aureorum impenſis : Raſcido vero per villas hortoſque tranſeunti ubique dictum fuiſſe; hæc ſunt Giaphari : atque idcirco illum interfeciſſe. Alii denique veroſimilius ajunt, Raſcidum faſtidium Giaphari cepiſſe. cumque removere eum non poſſet, quod ſecreta ejus cognoſceret, & ne- | anni 23<br>dies 78 | anni 192<br>dies 152 | anni 22<br>dies 190 | anni 6300<br>dies 210 |

quid

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | quid mali ab eo ptoficiſceretur metueret, miſiſſe Maſrurum noctu, qui illum ad ædes Raſcidi adduceret, eique præcepiſſe, ut caput ejus ſibi afferret; Cumque Maſrurus bis pro eo rogaturus reverteretur, a Raſcido reptehenſum & objurgatum fuiſſe: Quare is abſciſſum ejus caput Raſcido attulit. Annum ætatis agebat Giapharus trigeſimum-ſeptimum. Simul etiam prehendit filium ejus Phadlum, omneſque eorum liberos, miniſtros, & ſervos, eoſque in carcerem conjecit, bonis fiſco addictis. | | | | |
| XXVII. | Mahometus Aminus filius Raſcidi filii Mohadii inauguratus eſt Chalipha Tuſæ die inſequente noctem, qua pater ejus obiit, dum ipſe Aminus Bagdadi moraretur, ſeptima nimirum Gemadi poſterioris. Erat autem prodigæ liberalitatis; ſed peſſimis moribus, & effundendo ſanguini deditus. Tandem interfectus eſt, & amputatum illius caput. | anni 4 dies 228 | anni 197 dies 25 | anni 4 dies 185 | anni 6305 dies 28. |
| XXVIII. | Mamones filius Aaronis Raſcidi filii Mohadii, inauguratus eſt Chalipha die inſequente noctem qua frater ejus Aminus interfectus eſt, feria nimirum quarta, decima-octava Ragebi, anno ætatis quadrageſimo-octavo. Ejus temporibus obiit antiſtes Mahometus Adriſi filius Seiaphæus in Ægypto anno ætatis quinquageſimo quarto. | anni 20. dies 161 | anni 217 dies 186 | anni 19 dies 308 | anni 6324 dies 336 |
| XXIX. | Mahometus Motaſemus Billa, Iſaaci pater, filius Aaronis Raſeidi, inauguratus eſt Chalipha Tarſi qua die frater ejus Mamones obiit: adiitque Bagdadum Sabbato, incunte menſe Ramadano: deceſſit autem Sarmanrajæ feria quinta, duodecimo die ante exitum menſis Rabii prioris, anno ætatis quadrageſimo ſexto. | anni 8 dies 246 | anni 226 dies 77 | anni 8 dies 159 | anni 6333 dies 130 |
| XXX. | Aaron Vatekus Billa, Giaphari pater, filius Motaſemi filii Raſeidi inauguratus eſt Calipha Sarmantajæ qua die pater ejus Metaſemus obiit: deceſſitque anno ætatis trigeſimo-ſexto. Erat candidus, in dextero oculo maculam albuginis habens, amplo pectore, prolixa barba. Ferunt, hunc ob nimium coitum morbo hydropiſis laboraſſe, eoque periiſſe. | anni 5 dies 271 | anni 231 dies 348 | anni 5 dies 117 | anni 6338 dies 341 |
| | Giapharus Motuacchelus, pater Phadli Giaphari, filius Motaſemi patris Iſaaci, inauguratus eſt Sarmanrajæ qua die frater ejus Vatekus objit, ſabbato nimirum, die ſexta ante exitum menſis Dilhegæ; & interfectus eſt feria quarta, die tertia Scevali. Siquidem Montanſerus ipſius fi- | | | | |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum.* | *Anni Chalipha-tus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXI. | lius ſubmiſir pueros ſuos pet portam, quæ ripam fluminis reſpicit: qui ingreſſi interfecerunr eum in ædibus ſuis, & in fruſtá conciderunt. Eo Chalipha acciderunt horribiles terræmotus Cumæ, & in ejus pagis, adeout qui ædificiorum tuinis inreriere, quadraginta millia, & nonaginra ſex numerari fuerinr. Idem conrigit in Perſide, Choraſana, Sytia, & Jamana, ſeu Arabia Felice: audiebanrurque e turbinibus voces horrendæ ac terribiles: collapſæque ſunt arces, ædes, & pontes. Item terræmotu concuſſæ ſunr urbes Madalna, Baleſa, Raka, Haran, Rbeſaina, Emeſſa, Damaſcus, Edeſſa, Tarſus, Mopſueſtia, Laodicæa, & ora maritima Syriæ; iraut omnia pene hujus ædificia corruerint, nec niſi pauci habirarores evaſerint. Anriochiæ vero cecidere ex eodem terræmoru mille quingentæ ædes, nec non ex ejuſdem mœnibus ſupra nonaginra turres, monſque ejus divulſus cecidir in mare, rremuitque mare, & aſcendir ex eo fumus niger & male olens. | anni 14<br>dies 275 | anni 240<br>dies 269 | anni 14<br>dies 122 | anni 6353<br>dies 104 |
| XXXII. | Mahometus Montaſerus Billa, filius Giaephari Moruaccheli inaugurarus eſt Chalipha qua die interfectus eſt Moruacchelus ejus parer, feria nimirum quarta, die quarta Scevali: obiit in Tigri Sabbato, die tertia Rabii poſterioris, anno ætaris vigeſimo-quinro. Magnis erar oculis, naſo obtuſo, brevi ſtatura, candidus, quadrarus, & ſumma præditus majeſtate. | ✠<br>dies 178 | anni 247<br>dies 93 | ✠<br>dies 178 | anni 6355<br>dies 282 |
| XXXIII. | Achmetes Moſtainus Billa, parer Abbaſi, inauguratus eſt feria ſecunda, die quarta menſis Rabii poſterioris: & interfectus eſt ineunte feria ſecunda ad Veſperam, die ſexra Rabii poſterioris, allatumque eſt caput ejus ad Moatazzum. | anni 3<br>dies 266 | anni 251<br>dies 204 | anni 3<br>dies 233 | anni 6355<br>dies 150 |
| XXXIV. | Mahometus Moatazzus Billa, parer Abdallæ Zobeiri, filius Moruaccheli, inaugurarus eſt Chalipha Bagdadi, quarra Moharrami: & invitus ſeſe abdicavir feria ſecunda, die terria Ragebi. Nam Cubicularius ejus Salechus Vaſiphi filius adiir eum cum quibuſdam aliis: cumque vocarent eum, ut aperirer, reſpondiſſetque ſe porionem ſumpſiſſe, & illi urgerent, præcepit, ut nonnulli eorum ingrederenrur: qui cum ingreſſi fuiſſent, traxerunt eum pedibus uſque ad portam Lapidis nigri, expoſueruntque eum Soli, qui modo unum, modo alrerum pedem attollebat, & | anni 3 | anni 254 | anni 3 | anni 6360 |

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Abbaſidarum.* | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | demittebat. Illum autem colaphis cædebant, dicentes. Depone Chaliphatum: donec ſe abdicavit Chaliphatu: & reliquerunt eum ſine cibo, & ſine potu tribus diebus: tum immiſerunt eum in caveam, cujus portam gypſo oblitam clauſerunt. qui ſequente die inventus eſt mortuus, anno ætatis vigeſimo-tertio. | dies 200 | dies 204 | dies 167 | dies 315 |
| XXXV. | Mahometus Mohatadius Billa pater Abdallæ, filius Vatechi, inauguratus eſt poſtrema die Ragebi, ipſique omnium primus Moatazzus ſuffragium dedit. Interfectus eſt feria tertia, die decima-quarta Ragebi: traditus eſt enim in manus cujuſdam, qui teſticulos ejus conculcavit, donec obiit, anno ætatis trigeſimo-ſeptimo. Sunt qui dicunt, quemdam pugione illum confodiſſe, & de ſanguine ejus bibiſſe. | ✠ dies 344 | anni 250 dies 194 | ✠ dies 344 | anni 6361 dies 296 |
| XXXVI. | Achmetes Moatamedus Alalla, pater Abbaſi, inauguratus eſt Chalipha qua die patruus ejus Mohatadius cæſus fuit, quatta-decima ſcilicet Ragebi: obiitque feria ſecunda ineunte, die undecima ante exitum Ragebi, anno ætatis quinquageſimo cum aliquot menſibus. Anno ducenteſimo ſeptuageſimo obiit Achmetus filius Tolonis. | anni 23 dies 4 | anni 272 dies 198 | anni 22 dies 119 | anni 6384 dies 49 |
| XXXVII. | Achmetes Moatadedus Billa, pater Abbaſi, filius Talehæ, inauguratus eſt Chalipha Bagdadi qua die patruus ejus Moatamedus obiit, undecima ante exitum Ragebi: Defunctus eſt Bagdedi feria ſecunda, ſeptima ante exitum Rabii poſterioris, anno ætatis quadrageſimo-ſexto. Ferunt eum veneno ſublatum fuiſſe. | anni 9 dies 269 | anni 288 dies 212 | anni 6 dies 271 | anni 6393 dies 220 |
| XXXVIII. | Ali Moctacphius Billa, pater Mahometi, inauguratus Chalipha qua die pater ejus Moatadedus obiit, ſeptima ante exitum Rabii poſterioris: Defunctus eſt anno ætatis trigeſimo-primo cum aliquot menſibus. Erat religioſus, abhorrens a ſanguinis effuſione, liberalis, ac multum dives. | anni 6 dies 196 | anni 294 dies 308 | anni 6 dies 130 | anni 6399 dies 350 |

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXIX. | Giapharus Mokraderus Billa pater Phadli, inauguratus Chalipha Bagdadi qua die Moctaephius frater obiit tertia-decima Dilchedæ: bis imperio depoſitus fuit, totidemque vicibus reſtitutus. Tandem interfecit eum quidam ex Satellitibus Moanneſi Modaeppheri, attulitque caput ejus ad ipſum Moanneſum; idque feria quarta, tertia ante exitum Scevali, anno ætatis ejus trigeſimo octavo, uno menſe, & quinto die. | anni 24<br>dies 340 | anni 319<br>dies 293 | anni 24<br>dies 79 | anni 6424<br>dies 64 |
| XL. | Mahometus Kaherus Billa pater Manſoris, inauguratus Chalipha Bagdadi feria quinta, ſecunda ante exitum Scevali: tum depoſitus eſt, oculiſque orbatus feria quarta, ſexta Gemadi prioris, obiitque, poſtquam eleemoſynam ad Templi fores petiiſſet, dicebat autem: Fui ego nuper Imperator veſter, nunc vero ſum unus pauperum veſtrorum: eleemoſynam mihi date. Adſtans autem ei filius Abumuſæ Haſcemius, dedit ei mille ſtateres. Ejus tempore obiit Othmanus filius Apphani in Ægypto anno trecenteſimo vigeſimo-primo. Eodem anno Kaherus prehendi juſſit Achmetem nepotem ſuum, filium Moctaephii, qui in domum quandam detruſus lateribus & gypſo obſtructam, præ dolore expiravit. Eodem quoque anno obiit mater Mokraderi. Kaherus enim cum pecuniam ab ea peteret, neque ipſa ei indicaret, niſi centum ac triginta denariorum millia, eam percuſſit, multiſque tormentis afflixit, & ſuſpendit capite in terram demiſſo, itaut urina ejus totum corpus perfunderet. Quæ ei dicebat: nonne mater tua ſum, tu vero his me ſuppliciis afficis? & poſt hæc obiit. | anni 1<br>dies 185 | anni 321<br>dies 124 | anni 1<br>dies 174 | anni 6425<br>dies 238 |
| XLI. | Mahometus Radius Billa, pater Abbaſi, inauguratus feria quarta, ſexta Gemadi prioris, qua patruus ejus Kaherus defunctus eſt. obiit hydropiſis morbo, nocte Sabbati, decima-ſexta Rabii poſterioris, anno ætatis trigeſimo ſecundo cum aliquot menſibus. Erat munificus, liberalis, Poeta diſertiſſimus, & Rhetor eloquentiſſimus, plurimumque delectabatur converſatione doctorum virorum, eorumque familiaritate; multis demum virtutibus præcellebat. | anni 6<br>dies 306 | anni 328<br>dies 75 | anni 6<br>dies 240 | anni 6432<br>dies 113 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Abbaſidarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XLII. | Ibrahimus Motrakius Billa, pater Iſaaci, filius Moktaderi, inauguratus Chalipha qua die frater Radius obiit, feria quarta, decima ante exitum Rabiî prioris. Imperio dejectus fuit a Tuzuno, Sabbato, die decima ante exitum Saphari, oculiſque orbatus: Vixitque poſthæc annos viginti-quatuor, & obiit. | anni 3<br>dies 330 | anni 332<br>dies 50 | anni 3<br>dies 297 | anni 6436<br>dies 45 |
| XLIII. | Abdalla Moſtachephius Billa pater Kaſemi, inauguratus Chalipha qua die patruus Motrakius Chaliphatu depoſitus eſt, decima ante exitum Saphari. Illum imperio dejecit Moazzaddaules filius Bujæ hoc pacto. Ingreſſus ad illum aliquando Moazzaddaules, & procidens in terram, manus ejus oſculatus eſt; tum poſita ſede, ſedit. Deinde ingreſſi duo Dailamitæ, manus ſuas extenderunt ad Moſtachephium: qui cum putaret illos manum ſuam oſculati velle, eam illis porrexit. Sed illi arrepta manu, traxerunt eum de lecto, & faſciam ejus collo imponentes, duxerunt eum peditem ad ædes Moazzaddaulæ: qui oculis eum orbavit, & in vinculá conjecit. Ædes vero Chaliphæ direptæ ſunt, itaut nihil in eis reliquum fuerit. | anni 1<br>dies 120 | anni 333<br>dies 170 | anni 1<br>dies 197 | anni 6437<br>dies 154 |
| XLIV. | Phadlus Motius Lilla, pater Abbaſi, inauguratus Chalipha qua die depoſitus eſt patruus Moſtachephius, octava ante exitum Gemadi poſterioris. Tum ſponte imperium abdicavit, tradiditque Chaliphatum filio ſuo Abdalcarimo, quem Tajeum Lilla appellavit. Ejus tempore obiit Abubecrus Achſcidus Ægypti dominus, cui ſucceſſit Caphurus Achſcidus: hoc autem defuncto, Ægyptum ingreſſus eſt Moezzus, qui Caheram (vulgo Cairum) ædificavit, eſtque primus Chalipharum Pharemidarum. | anni 29<br>dies 138 | anni 362<br>dies 308 | anni 28<br>dies 188 | anni 6465<br>dies 342 |
| XLV. | Abdalcarimus Tajeus Lilla, pater Becri, filius Motii, inauguratus Chalipha qua die Motius pater Chaliphatu ſe abdicavit, feria quarta tertia-decima Dilchedæ. Depoſuit illum Bahaddaules Bujæ filius, & in vincula conjecit, Ædeſque Chalipharus direptæ ſunt, Sabbato, duodecima ante exitum Sciabani, alteramque ejus aurium amputavit. | anni 17<br>dies 272 | anni 380<br>dies 226 | anni 17<br>dies 86 | anni 6483<br>dies 63 |

| *Numerus* | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Abbaſidarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XLVI. | Achmetes Kaderus Billa, pater Abbaſi, inauguratus nona ante exitum Sciaabani; obiit undecima Dilhegiæ. Erat religioſus, juſtus, eleemoſynis erogandis deditus, & grati animi nota inſignis. | anni 41 dies 110 | anni 421 dies 336 | anni 40 dies 29 | anni 6523 dies 92 |
| XLVII. | Abdalla Kajemus Bamrilla, pater Giaphari, inauguratus Chalipha qua die Kaderus pater obiit, undecima Dilhegæ: deceſſit tertia-decima Sciaabani. Depoſuit illum Baſaſirus, ejuſque loco Chalipham Bagdadi proclamavit Moſtanſerum dominum Ægypti, ceſſatumque eſt proclamari nomen Chalipharum Abbaſidarum integro anno: tum reſtitutus eſt Chaliphatui Kajemus, & iterum nomen Abbaſidarum proclamatum. Nam ingreſſus Baſaſirus Bagdadum cum Vexillis Ægyptiacis, Moſtanſerum dominum Ægypti proclamavit Chalipham; deinde prehendit Principem principum, eumque vinculis conſtrinxit, mutatiſque ejus veſtibus, juſſit eum per Bagdadum circumduci, pone eum exiſtente quodam, qui verberibus illum impelleret: ac recenti tauri cuti inſui, cornibus ejus capiti impoſitis, & maxilla ad uncos ſuſpendi, donec animam efflavit. Tum Ædes Chaliphæ direptæ ſunt, indeque infinitæ propemodum divitiæ ablatæ, & Abbaſidarum nomen anno integro ſublatum eſt. | anni 44 dies 138 | anni 466 dies 220 | anni 43 dies 125 | anni 6566 dies 217 |
| XLVIII. | Abdalla Moktadius Billa, pater Kaſemi, filius Mahometi Dachitæ, filii Abdallæ Kajemi, inauguratus Calipha qua die avus ejus Kajemus obiit: deceſſitque decima-quinta Moharrami, anno ætatis trigeſimo-octavo cum aliquot menſibus. | anni 19 dies 149 | anni 486 dies 15 | anni 18 dies 307 | anni 6585 dies 159 |
| | Achmetes Moſtaderus Billa, pater Abbaſi, filius Abdallæ. Moktadii, inauguratus Chalipha qua die pater obiit, decima-quinta Moharrami. Ejus tempore Joppen gladio obtinuere Franci, & Arſopham pactionibus pacis, ſubjugaruntque majorem partem regionis maritimæ. Anno quadringenteſimo nonageſimo-quinto Tripolim arctiſſima obſidione circumdederunt Franci. Cumque eo accurriſſent præſidiarii milites ex Damaſco, Emeſſa, & Alepo; victoria tamen Francis ceſſit, inque turpiſſimam fugam converſi ſunt Moſlema- | anni 25 | anni 115 | anni 24 | anni 6609 |

Digitized by Google

| Numerus | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XLIX. | ni, Franciſque urbem tradiderunt pactionibus pacis poſt ſeptem annorum obſidionem. Poſthæc Antiochia egreſſi, profecti ſunt Hieroſolymam, quam & ceperunt, Judæoſque omnes Hieroſolymæ in quadam Synagoga congregatos cremarunt; Moslemanorum autem ſupra ſeptuaginta millia mactarunt. Præterea diripuerunt clibanum argenteum quadraginta librarum Damaſcenarum, & ſupra viginti lampades argenteas. Hieroſolymæ imperium tenuere uſque ad tempora Saladini, nempe annis nonaginta & uno. Poſtquam autem Tripolim expugnaſſent, quæ ampla urbs erat, Moslemanis frequens, doctiſque viris referta, Accon, ſeu Ptolemaidem petiere, quam terra marique obſederunt, adhibitis ſupra nonaginta navibus. Francorum rex erat Balduinus Hieroſolymorum princeps: atque ita obſeſſam urbem gladio tandem expugnarunt, cui tunc temporis præerat Zahataddaules filius Geuſæi, qui timore perculſus fugit. Poſtea ſubjugarunt Franci Berytum & Sidonem poſt arctam obſidionem, eorumque res in Syria totoque maritimo tractu feliciter proceſſerunt: Tyrum quoque ſuæ addiderunt ditioni, cujus urbis gubernator Abdalmalechus fertur illam Francis vendidiſſe: Demum Paneadem vi ab Iſmaelitis obtinuerunt. Omnia hæc geſta ſunt diebus Chaliphæ Moſtaderi. | anni 25<br>dies 97 | anni 511<br>dies 182 | anni 24<br>dies 190 | anni 6609<br>dies 349 |
| L. | Phadlus Moſtarſedus Billa, filius Moſtaderi, Chalipha inauguratus poſt obitum patris, ſeptima ante exitum Rabii poſterioris. Hunc facta conſpiratione Batanitæ interfecerunt feria quinta, tertia-decima ante exitum Dilchedæ, anno ætatis quadrageſimo-quinto cum aliquos menſibus. Ejus diebus obſederunt Franci Alepum, copias ſuas iis adjungente Saifaddaule Dobaiſo Sadakæ filio: cumque urbem jamjam eſſent capturi, accidit paulo poſt meridiem ingens aquarum alluvies, quæ Francorum tentoria corripuit, plurimoſque eorum ſubmerſit, magnamque bonorum vim devaſtavit. Nocte vero ingruente Ak-Sankor Barſakæus Alepum contendit, Franciſque inde expulſis, imperium urbis obtinuit, tum Azazum obſedit: ſed Franci inde egreſſi, commiſſo cum eo prælio, multiſque ex illius copiis cæſis, obſidionem ſolverunt. | anni 17<br>dies 202 | anni 528<br>dies 314 | anni 17<br>dies 17 | anni 6627<br>dies ⊕ |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa Annorum Mundi.* |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| LI. | Manſores Raſcedus Billa, pater Giaphari, filius Moſtarſedi, Chalipha inauguratus Bagdadi, decima ante exitum Dilchedæ. Hunc Chaliphatu depoſuit Maſudus Soltanus quarta-decima Dilchedæ. Arrepta itaque fuga, Moſulum periit, ibique aliquandiu conſedit; mox Aſpahanum contendit, ubi a Batanitis cæſus fuit. | anni ⊕ dies 352 | anni 527 dies 311 | anni ⊕ dies 352 | anni 6627 dies 352 |
| LII. | Mahometus Moktaphius Bamrilla, filius Moſtadheri, inauguratus Chalipha, qua die nepos ejus Raſcedus depoſitus fuit menſe Dilchedæ: obiit ineunte Rabio priore. Hic majeſtatem Chaliphis Abbaſidis reſtituit, ſublata Soltanorum tyrannide. Tempore Moktaphii accidit ingens terræmotus, quo tredecim urbes corruerunt, nempe Apamea, Alepum, Maarra, Scizara, Caphartaba, Euphemia, Emeſſa, Telaraba, Arx Cordæorum, Arca, Laodicæa, Tripolis, Antiochia; ſed omnium vehementiſſime afflicta fuit Apamæa, ubi ingens hominum numerus ſub ruinis periit, vix paucis elapſis. | anni 24 dies 105 | anni 554 dies 61 | anni 23 dies 207 | anni 6651 dies 196 |
| LIII. | Joſeph Moſtangedus Billa, pater Modappheri, inauguratus Chalipha ſecunda Rabii prioris, una poſt obitum Moktaphii patris die. Ejus tempore accidit terræmotus ille magnus, qui dictus fuit terræmotus Alepi. Feruntur autem ſub ruinis periiſſe quindecim hominum millia. Ejus quoque diebus initium habuit Dynaſtia Jobidarum, nimirum anno 558. Eodem anno invaſerunt Franci Ægyptum, ceperuntque urbem Belbeis (*Peluſium*), & quotquot in ea invenerunt, gladio peremerunt. Inde Cairum cum numeroſiſſimo exercitu profecti ſunt: quamobrem Sciaurus eorum timore perculſus, urbem igni incendit. Quo facto legatos miſit ad eorum Regem, pacem petens; oblatis decies centenis millibus denariorum cui acquievit ille, & inde receſſit. Hoc etiam anno regnum Ægypti occupavit Saladinus, habebatque a ſecretioribus conſiliis judicem Padelum. Is occidit ex Nigritis quinquaginta millia, eorumque regionem igne conſumpſit. Anno autem 565. Damiatam Franci invaſere: ſed poſt diem unum ſupra quinquaginta obſidionis, inde receſſere. | anni 11 dies 27 | anni 565 dies 88 | anni 10 dies 273 | anni 6662 dies 104 |

Haſa-

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Chalipharum Abbaſidarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| LIV. | Haſanus Moſtadius Benutalla, pater Mahometi, inauguratus Chalipha, qua die pater ejus Moſtangedus obiit ex ejuſdem teſtamento, menſe Rabio priore: Deceſſit ineunte Dilchedæ. Eodem regnum ineunte finem habuit Dynaſtia Pharemidarum, nempe eorum qui ex Ali in Ægypto genus ducebant, quorum poſtremus fuit Adedus: & reſtituta fuit in Ægypto Dynaſtia Abbaſidarum; poſtquam interrupta fuerat annis pluſquam ducentis. Occupavit autem Saladinus ædes Regias, potituſque eſt omnium divitiarum ac theſaurorum, qui in iis erant, quorum numerus pretiumque vix exprimi poteſt. Cepit quoque filios uxoreſque Adedi, quos in vincula conjectos, uno eodemque loco incluſit. Tum Damaſcum profectus, eam urbem obtinuit; expugnavit quoque Emeſſam, Apamæam, & Baalbech (*Heliopolim*): Alepum vero pactionibus cepit. Anno vero 572. ædificavit muros Cairi, juſſitque extrui Arcem montis Mokattami: excitavit etiam monumentum Sciaphæi. Anno poſt commiſſum fuit prælium apud Ramalam (*Arimatheam*) ad flumen, quod Telſaphiam vocant. | anni 9<br>dies 208 | anni 574<br>dies 276 | anni 9<br>dies 109 | anni 6671<br>dies 243 |
| LV. | Achmetes Nazerus Ledinalla, pater Abbaſi, inauguratus Chalipha Bagdadi, qua Moſtadius pater obiit die, nempe prima Dilchedæ. Deceſſit nocte Feſti Paſchatis, anno ætatis ſeptuageſimo. Ejus diebus erumpere cœperunt Tartari. | anni 46<br>dies 324 | anni 621<br>dies 266 | anni 45<br>dies 189 | anni 6727<br>dies 37 |
| LVI. | Mahometus Daherus Bamrilla, pater Naſri, inauguratus Chalipha, qua die Naſerus pater obiit, ex ejuſdem teſtamento, qui illum quidem olim in vincula conjecerat; ſed paulo antequam e vivis excederet, liberum dimiſerat. Deceſſit quarta-decima Ragebi, anno ætatis quinquageſimo. | ✠<br>✠ | anni 622 | ✠<br>✠ | anni 6727 |
| LVII. | Manſores Moſtanſerus Billa, pater Giaphari, inauguratus eſt Chalipha, qua die Daherus pater obiit, anno ætatis vigeſimo. | ✠<br>✠ | ✠<br>✠ | ✠<br>✠ | ✠<br>✠ |
| LVIII. | Abdalla Moſtaſemus Billa, poſt Manſoris patris obitum Chalipha inauguratus eſt. Anno ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto, decima-octava Moharrami, invaſerunt Tartari Bagdadum urbem, eamque obſederunt, ceperuntque feria ſecunda, duodecima Saphari, quæ reſpondet tertiæ Mechiri, anno martyrum nongenteſimo ſeptuageſimo-quarto: & occiderunt omnes milites cum civibus, nec niſi pauci cædem evaſerunt. | ✠<br>✠ | anni 655<br>dies 42 | ✠<br>✠ | anni 6749<br>dies 152 |

# DE CHALIPHIS
## P H A T E M I D I S
### QUI IN AFRICA, ET ÆGYPTO REGNARUNT.

| *Numerus.* | *NOMINA, RESQUE GESTÆ Chalipharum Phatemidarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| I. | Abdalla Mohadius, pater Mahometi, Chaliphatum iniit anno ducenteſimo nonageſimo-octavo Salgiamaſæ in provincia Cyrenenſi, quæ eſt in Africa, ubi Emir-al-munemin, hoc eſt, Imperator fidelium, ſalutatus eſt feria ſecunda, ſeptima menſis Dilhegæ. Exſtruxit Mohadiam, ibique ſedem fixit. Deinde Africam occupavit, necnon Siciliam, & regiones Occidentis. Ægyptum quoque peragravit, mercatoris habitu indutus; inde in Africam rediit. Tenuit autem Imperium uſque ad annum 322. quo obiit, die decima Rabii prioris. | anni 25 dies 92 | anni 321 dies 69 | anni 24 dies 184 | anni 6425 dies 183 |
| II. | Mahometus Kajemus Bamrilla, pater Kaſemi, filius Mohadii, Dominus Cyrenenſium, inauguratus poſt patris obitum, die decima Rabii prioris. obiit in Africa feria prima, tertia-decima menſis Scevali. | anni 12 dies 210 | anni 333 dies 279 | anni 12 dies 99 | anni 6437 dies 262 |
| III. | Iſmael Manſores Billa, pater Daheri, filius Mahometi, filii Mohadii, inauguratus poſt patris obitum feria ſecunda, decima-quarta Scevali: deceſſit feria ſexta, die ultima Scevali, anno 341., ætatis 37. Natus fuit Mohadiæ. | anni 7 dies 16 | anni 340 dies 295 | anni 6 dies 305 | anni 6444 dies 202 |
| IV. | Maadus Moezzus Ledinalla, filius Iſmaelis Manſoris, filii Mahometi, filii Mohadii, inauguratus Chalipha, qua die pater obiit in Africa, nempe feria ſexta. Copias ſuas ex Africa miſit in Ægyptum duce Gevaro, feria prima, ſexta die ante exitum Rabii prioris, anno 358. Ingreſſus eſt autem Gevarus cum copiis ſuis in Ægyptum, feria tertia, ſeptimadecima Sciabani, & proclamatum | anni 23 | anni 364 | anni 22 | anni 6467 |

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Chalipharum Phatemitarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | eſt nomen Moezzi, ſublato nomine Abbaſidatum. Is excitavit Ædes Chaliphatus in Cairo, præcepitque ſuis, ut unuſquiſque ſibi ædes extrueret: atque ita Cairum ædificavit, ibique regni Sedem fixit, obiitque in eadem urbe die undecima Rabii prioris, anno 365., ætatis 45. cum dimidio, Nazaro Azizo imperium ex teſtamento relinquens. | dies 152 | dies 92 | dies 266 | dies 103 |
| V. | Nazarus Azizus Billa, pater Manſotis, filius Moezzi, Chalipha inauguratus qua die pater obiit, feria ſexta, tertia Rabii poſterioris: deceſſit feria tertia, vigeſima-tertia Ramadani in Balneo Peluſii, anno ætatis 42. cum aliquot menſibus. Inter cætera, quæ de Moezzi patris Azizi juſtitia referuntur, hoc unum eſt. Uxor Achſcidi cadente ejus gentis fortuna, depoſuerat apud Judæum quemdam muliebrem veſtem unionibus variiſque gemmis diſtinctam: cumque illam paulo poſt a Judæo repetiiſſet, & ille reddere noluiſſet, obtulit illa homini manicam, qui abnuit: tum eo devenit, ut totam ei veſtem offerret, ſolam ſibi manicam reſervans: ſed Judæus ille omnino negavit ſe quidquam ab ipſa accepiſſe: Quamobrem mulier ad Moezzi ædes ſe contulit, & obtenta alloquendi Chalipham facultate, quæ ſibi cum Judæo acciderant expoſuit. At Chalipha cum Judæum acceſſiſſet, neque is ſponte, neque adhibitis immanibus ſuppliciis fateri voluiſſet, miſit qui domum ejus everterent, cujus in muro abſconditam veſtem invenerunt, quam Moezzus videns, pulchritudine ejus captus eſt: Eam tamen mulieri tradidit. Illa vero Chalipham rogavit, ut veſtem vel muneris loco vel ſoluto pretio acciperet. Ajebat enim: Hæc quidem veſtis, Domine, conveniebat mihi, cum Ægypti Domina eſſem: in hoc autem ſtatu nequaquam convenit. Ille tamen accipere noluit. Quamobrem mulier accepta veſte abiit. | anni 21<br>dies 172 | anni 385<br>dies 264 | anni 20<br>dies 308 | anni 6488<br>dies 46 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Chalipharum Phatemitarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa Annorum Mundi. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| VII. | Manſores Hachemus Bamrilla, pater Ali, filius Nazari, inauguratus Chalipha qua pater obiit die, feria tertia, vigeſima-tertia menſis Ramadani, anno trecenteſimo octogeſimo-ſexto, ætatis decimo cum ſex menſibus, totidemque diebus. Egreſſus aliquando ex ædibus, amplius non eſt reverſus, quia interfectus fuit. Cauſa autem ejus necis hæc eſt. Miſit aliquando ad ſororem ſuam Settalmolcham, dicens; Tu admittis ad te viros ob hoc, & hoc negotium. Quæ itara, præcepit cuidam ex optimatibus, ut duos mitteret ad montem Mocattabum, qui ibi inſidias ei tenderent. Cumque is ad montem cum puero equite aſcendiſſet, interfecerunt eum, nullo necis relicto veſtigio, cadaver autem ad ſororem clam attulerunt, quod illa in ædibus ſuis ſepelivit: Tum convocatis Principibus, regnum filio Manſoris deferendum curavit, omneſque interfecit, quibus arcanum ſuum aperuerat. Porro Manſores annum ætatis agebat trigeſimum-ſextum cum aliquot menſibus. Erat autem peſſimis moribus, demens, inſanæ mentis, ac in rebus agendis inconſtans. Nam negotia quædam ſummo imperio aliquando urgebat, & mox in contraria eodem impetu ferebatur. Noctu per vicos diſcurrebat, ut ſubditorum ſtatum cognoſceret, Vetulas prætetea emittebat, quæ quod viderent & audirent in urbe, ſibi referrent: Mulieres quamplurimas Balneis occluſas, calore & fœtore interfecit. Eo autem tyrannidis in ſubiectos populos devenit, ut nulla ejus majeſtatis habita ratione, obſignatas ei ſchedulas conviciis in eum ejuſque progenitores plenas offerrent. Ex papyro compactum aliquando ſimulacrum mulieris, calceamentis veliſque ornatum, in via collocarunt, ſchedulam obſignatam manu habentis, quæ turpiſſima in eum convicia continebat. Cumque Hachemus inde pertranſiret, Schedulamque accipiens, legenſque, ægerrime id tulit; quamobrem comprehendi mulierem juſſit. Sed ex compacta papyro illam eſſe videns, Caitum urbem incendi præcepit, omneſque ejus cives gladio interfici. Incenſa eſt itaque quarta pars Cairi, & dimidia prædæ tradita, captæque mulieres ac venditæ. Ægyptii vero pro ſe ſuiſque fortiter pugnabant, itaut ea tantum loca a militibus incenderentur, quæ a dominis ſuis defendi non poſſent. Hachemus autem, ut abſtinerent ab incen- | anni 25<br>dies 31 | anni 410<br>dies 295 | anni 24<br>dies 124 | anni 6512<br>dies 170 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Phatemitarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | dio, palam quidem militibus ſerviſque ſuis præcipiebat, clam vero illos hortabatur urgebatque, ut inſtitutum proſequerentur. Quare Cairenſes in ædes regias invadere decreverunt, Quod veritus Hachemus, conſcenſo aſino, ſuos ab inferendo incendio avertit. Nihilominus fuere ex plebe nonnulli dementes, qui Hachemum Deum eſſe crederent, atque adeo ante illum exclamabant: *O creator noſter, o creator noſter. O qui vivificas, & mortificas*. Chriſtianos autem & Judæos ſummopere afflixit, Eccleſias eorum deſtruxit, Præſules occidit, tormentiſque ſubjecit, itaut ingens eorum numerus ad Mahometicam religionem tranſire coactus fuerit. Sed pœnitentia ductis permiſit, ut ad ſuam religionem reverterentur, ſuaſque inſtaurarent Eccleſias. Ferunt eum dixiſſe aliquando præconi ſuo: *Quot ſunt in tua lancea?* Qui reſpondit: Sexdecim hominum millia credunt te eſſe Deum. Egreſſus eſt autem contra Hachemum quidam ex Ommiadis de filiis Hiſciami, Valides nomine, qui multa cum Hachemo bella commiſit: ſed victoria tandem Hachemo ceſſit, captumque Validem juſſit per urbem Cairum circumduci, tum interfici. | | | | |
| VII. | Ali Daherus Leazazi Dinalla, filius Hachemi, pater Haſani, inauguratus Chalipha, cum interfectus eſt Hachemus ejus pater, feria tertia, exeunte Scevalo, anno 411., ætatis ſuæ 16. cum aliquot menſibus. Obiit Cairi die decima-quinta Sciaabani, anno 427. ætatis 31. cum aliquot menſibus. | anni 15 dies 282 | anni 426 dies 222 | anni 15 dies 119 | anni 6527 dies 289 |
| VIII. | Maadus Moſtanſerus Billa, filius Daheri, filii Hachemi, pater Tamimi, inauguratus Chalipha Cairi qua die pater ejus Daherus obiit, feria prima, die 15. Sciaabani anno 427. Deceſſit nocte feriæ quintæ, die decima-octava Dilhegæ anno 487. Ejus tempore Baſaſiræus Bagdadum ingreſſus eſt cum vexillis Ægyptiacis, in quibus ſcriptum erat: *Maadus Moſtanſerus pater Tamimi Antiſtes*. Et proclamatum eſt nomen Moſtanſeri in Delubro Manſoris Bagdadi, & in reliquis ejus urbis delubris, ſublato Abbaſidarum nomine: captuſque eſt Calipha Bagdadi, & vinculis conſtrictus in urbe Ana. | anni 60 dies 121 | anni 486 dies 343 | anni 58 dies 198 | anni 6586 dies 122 |

| Numerus. | *NOMINA, RESQUE GESTÆ Chalipharum Phatemitarum.* | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| IX. | Achmetes Moſtaalius Billa, filius Moſtanſeri, filii Hachemi, pater Caſemi, inauguratus eſt qua die obiit pater ejus Moſtanſerus, undecima ante exitum Dilhegæ, anno 487. ætatis 15. cum undecim menſibus. Deceſſit nocte decima-tertia ante exitum Saphari, anno 495. Ejus tempore Chaipham vi expugnaverunt Franci, Arſopham pactionibus receperunt, majoremque partem regionis maritimæ ſubjugarunt. | anni 7<br>dies 59 | anni 494<br>dies 47 | anni 6<br>dies 349 | anni 6593<br>dies 104 |
| X. | Manſores Amerus Behecamilla, Moſtaali filius, pater Ali inauguratus eſt Chalipha qua die obiit pater ejus Moſtaalius, decima-tertia ante exitum Saphari, anno 495. Regni ſummam ſub eo adminiſtrabat Aphdalus militiæ præfectus. Cæſus eſt autem in vico Sajuphino in Cairo ad locum qui rhronus pontis dicitur. Princeps vero eorum, qui Manſores interfecerunt, erat Mamluchus quidam Armenius, qui eo cæſo imperium Cairi obtinuit, divitiis copiiſque per urbem diſtributis. At nonnulli facinus deteſtati, ab illo defecerunt ad militiæ præfectum Aphdalum, rogantes eum, ut devicto Armenio, imperium urbis ſuſciperet, ſuam ei operam pollliciti. Qui Cairum veniens, arctiſſime urbem obſedit, expugnatamque, militibus diripiendam triduo permiſit, captumque Armenium interfecit. Quo facto regiam ſibi poteſtatem aſſumpſit, militiæque præfecit Mamonem quemdam filium Batajechenſis, qui prima ætate coquinariam exercuerat, viſuſque fuerat adhuc puer aquam Cairi aſpergere inter utraſque ædes. | anni 29<br>dies 251 | anni 523<br>dies 298 | anni 28<br>dies 301 | anni 6622<br>dies 40 |
| XI. | Haphedus Ledinalla, pater Mamonis, filius Moſtaalii, inauguratus eſt cum conditione expectandi partum, qui in utero matris erat, die tertia Dilchedæ, anno 524. Tum abſolute inauguratus eſt die decima-quinta Mohartami anno 525. Rerum ſummam apud illum adminiſtrabat Achmetes Aphdali filius, militiæ præfectus, qui paulo poſt captum Haphedum vinculis conſtrinxit, incluſitque in carcerem, ubi manſit uſque ad necem Aphdali filii Aphdali, | anni 19<br>dies 209 | anni 543<br>dies 153 | anni 19<br>dies 2 | anni 6641<br>dies 42 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Chalipharum Phatemidarum. | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | militiæ præfecti, quæ contigit Cairi feria tertia, die decima-ſexta Moharrami, anno 526. Aphdali caput a pueris domeſticis amputatum, in ædes regias illatum eſt, & Haphedus ab iiſdem e carcere eductus, & Caliphatui reſtitutus. Deceſſit Haphedus ineunte feria prima, die quinta Gemadi poſterioris, anno 544. | | | | |
| XII. | Dapherus Bamrilla, pater Manſoris, filius Haphedi, inauguratus eſt Chalipha qua die pater ejus obiit, feria prima, die quinta Gemadi poſterioris anno 544. Interfecerunt eum Abbaſus Tamimi filius, ejuſque filius Nazarus, nullo relicto necis veſtigio: idque contigit ineunte feria quinta, exeunte menſe Mohatramo, anno 549. Quod cum ad domeſticos ejus perlatum eſſet, ſcripſerunt Talæo Razili filio, qui tunc in Ægypto ſuperiori erat, miſſis ad ipſum mulierum capillis. Qui atris veſtibus aſſumptis, ingentem coegit exercitum, Cairum petens, ſollicitantibus & auxilia promittentibus ejuſdem urbis optimatibus, ut ſanguinem Chaliphæ vendicarent. Quod ubi Abbaſus ejuſque filius Nazarus audierunt, fuga ſibi conſuluerunt, facultates ſuas ſimul auferentes, quæ multæ nimis erant. Sed Franci illos adorti, Abbaſum quidem interfecerunt, Nazarum vero captivum detinuere. | anni 4<br>dies 232 | anni 548<br>dies 30 | anni 4<br>dies 188 | anni 6645<br>dies 230 |
| XIII. | Phajezus Benaſtalla, filius Dapheri, pater Caſemi, inauguratus Chalipha qua die pater ejus Dapherus cæſus eſt, feria quinta, ultima Moharrami, anno 545., ætatis quatro cum diebus decem. Cum autem Talæus Razili filius Cairum veniſſet, conſtitutus eſt a civibus Præfectus Regni, & appellatus Rex Salechus, rebuſque ſuis confirmatis, regimini imperii operam navavit. Tum miſit ad Francos, ut ſibi traderent Nazarum Abbaſi filium, ingentem pro eo ſummam auri pollicitus: cumque illum legatus Salechi accepiſſet, incluſumque ferrea cavea in urbem Cairum adduxiſſet, Rex Salechus mulieribus hominem tradidit, quæ diu illum calopodiis & calceis percuſſerunt, abſciſſiſque propriis carnibus | anni 6 | anni 554 | anni 6 | anni 6651 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Phatemidarum.* | Anni Chaliphatus. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | cibarunt: mox in publicum productus, lanceiſque confoſſus interiit: cadaver in crucem actum ad portam Zovailam, demum igni combuſtum. Rex autem Salechus regnum Phajezi diu adminiſtravit. Scripſit vero Moktaphius Chalipha, Adelo Zanchi filio præcipiens, ut in Ægyptum proficiſceretur eamque occuparet, ſcripto Chirographo tradens ipſi Syriam, Ægyptum, & regionem maritimam. Eodem anno recuperavit exercitus Ægypti Gazam, Francis inde ejectis. Eodem quoque contigit terræmotus ille magnus, qui Apameæ terræmotus dicitur. | dies 164 | dies 194 | dies 98 | dies 328 |
| XIV. | Adedus Ledinalla, filius Haphedi, pater Mahometis, inauguratus Chalipha qua die filius patrui ſui Phajezus obiit, decima ante exitum Ragebi, anno 555. ætatis undecimo. Uxorem duxit filiam Regis Salechi filii Razili præfecti militiæ, qui abſolutam in Adedum poteſtatem exercuit, & Ægypti ſuperioris adminiſtrationem dedit Sciavero Arabi. Hoc anno interfectus eſt Rex Salechus Razili filius, quod ſtipendia militum miniſtrorumque Palatii diminuiſſet: adeoque conjuratione facta, impetum in eum fecere ſeptem ſervi, illumque trucidarunt. Eo occiſo, officium Viziratus (ideſt, Præfecturæ) collatum eſt ejuſdem filio, qui Rex Adelus appellatus eſt. Hic autem confirmato in militiam imperio, juſtitiam populis adminiſtravit, amovitque Sciaverum ſua provincia, & ad ſe illum arceſſivit. Is vero ſibi timens, Arabum coegit exercitum, acceptoque ab illis juramento, contendit Cairum. Quod ubi Adelus Razili filius accepit, fuga ſibi conſuluit: ſed captus tandem & catenis conſtrictus, Sciavero oblatus eſt. Cairum igitur ingreſſus Sciaverus, Adedum Chalipham ſalutavit, qui ipſum veſte pretioſa donatum, militiæ præfecit, ſuumque Vizirum conſtituit. Confirmatus in regno Sciaverus, ſtipendia militum diminuit, eoſque peſſime habuit. Hinc nonnulli, quos inter Dargamus erat, facta conſpiratione illum invaſere. At Sciaverus mature ſibi conſulens, e manibus eorum evaſit, profectuſque ad Nutaddinum, Ægypti arcana regnique infirmum ſtatum ei aperuit, expugnationem ejus in ſe reci- | anni 22 | anni 588 | anni 21 | anni 6684 |

piens.

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ *Chalipharum Phatemidarum.* | *Anni Chaliphatus.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XV. | piens. Reverſum in Ægyptum Dargamum, Adedus muneribus cumulavit, ſuumque Vizirum inſtituit, regis Manſoris nomine ei impoſito. Nuraddinus autem regi Adelo magnum coegit exercitum; cui regem Manſorem Siraconi filium præfecit, ad expugnandum Ægyptum contendens, Sciavero illos comitante. Quod audiens Dargamus, in fugam ſe dedit: ſed a militibus Sciaveri comprehenſus, & occiſus eſt. Adedus Sciaverum dignitati Viziratus reſtituit, qui cum eam obtinuiſſet, Aſadaddino inſidias tendere cœpit, implorata adverſus eum Francorum ope. At Aſaddinus Alexandriam occupavit, eique tributum impoſuit. Anno 564. irruptione in Ægyptum facta, Franci Belbeiſum ( *Peluſium* ) expugnarunt: inde Cairum profecti, urbem obſidione cinxere. Sciaverus igitur igne Cairum combuſſit, ne a Francis caperetur. Tum miſſa ad Regem Francorum legatione pacem petiit, oblatis decies centenis millibus denariorum: qui ipſi acquievit. At Sciaverus centum millia tantum ſolvit, reliquorum ſolutione in poſterum prorogata. Quamobrem Adedus caput Sciaveri amputari juſſit. Anno 567. adhuc vivente Adedo, Rex Joſeph Naſerus Saladinus filius Jobi, die prima menſis Moharrami oravit in Ægypto, proclamato nomine Moſtadii Chaliphæ Imperatoris fidelium ex familia Abbaſidarum. Adedus vero obiit die decima Moharrami, fuitque ultimus Chalipha Ægypti: cœptumque eſt pro Abbaſidis orari in Ægypto, ducentis & amplius annis poſtquam eorum mentio ibi fieri deſierat. Rex vero Naſerus occupatis Chaliphæ ædibus, potitus eſt omnium theſaurorum, qui in iis erant: numerum autem fidemque narrantis excedunt. Cepit quoque filios Adedi, uxoreſque ejus, ac in carcere detinuit in ipſis ædibus, ut nullum poſthac eorum veſtigium aut memoria apparuerit. | dies 47. | dies 57 | dies 173 | dies 287 |

# DE REGIBUS
## JOBIDIS.

| Numerus. | *NOMINA, RESQUE GESTÆ Regum Jobidarum.* | Anni Regni. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Primus Regum Jobidarum fuit Rex Joſeph Naſerus Saladinus, filius Principis Jobi Nagemaddini filii Sadi, obtinuitque regnum Ægypti qua die Adedus obiit, decima Moharrami anno 567. Deceſſit Crachæ feria quarta, die tertia ante exitum menſis Saphari, anno 589. ætatis 56. cum aliquot menſibus. Anno 570. Damaſcum profectus, eam occupavit, nemine reſiſtente. Inde petiit Emeſſam, cujus arcem expugnare non potuit. Quamobrem Apameam contendit, eamque expugnavit. Quo facto Emeſſam reverſus, cepit illam poſt obſtinatiſſimam pugnam. Inde Baalbecum (*Heliopolim*) perrexit, & expugnavit: tum arcem Barin (*Raphaneam*) poſt diuturnam obſidionem obtinuit: expugnavit quoque Manbegium (*Hierapolim*.) Anno 572. mœnia Cairi excitari juſſit, ab arce exorſus. Anno 573. fuit prælium Ramlæ. Inde Aſcalonem profectus, ingentem Francorum numerum in captivitatem abduxit, multaque capta præda in Ægyptum rediit. Anno 575. in Margiun (*pratis fontium*) commiſit bellum cum Francis, qui ipſi occurrerunt cum mille equitibus, & decem millibus peditum; eos tamen fudit, multis captivis abductis. Anno 577. miſit fratrem ſuum Tohairadinum in Arabiam felicem, quam & ſubjugavit. Anno 579. Baiſan (*Scythopolim*) ac Tiberiadem profectus, multa cum Francis prælia commiſit. Tum expugnavit Edeſſam, Rakam (*Callinicum*,) Niſibin, Singaram, Amidam, Alepum, & Majapharekinum. Anno 583. prælium cum Francis iterum apud Sephoriam commiſit, eoſque fudit, & ingentem captivorum numerum duxit. Eodem anno Tiberiadem cepit. Eodem fuit prælium Ethini, ubi ſalva manu cepit eos, & captivum duxit Regem Guidonem, & fratrem ejus Gofredum, & dominum Giobaili (*Byblit*,) & Henfredum, & Principem, necnon Arnatum | anni 22 | anni 588 | anni 21 | anni 6684 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | NOMINA, RESQUE GESTÆ<br>*Regum Jobidarum.* | *Anni Regni.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | ( *Rinaldum* ) dominum Chrachæ, quem ſua ma-manu inrerfecit, cepitque ab illis Lignum Crucis. Accidit id prælium Sabbato, nec niſi pauci ex Francis evaſere. Poſthæc Accon expugnavit, necnon Magdalum, Caipham, Joppen, Nazareth, Sephoriam, Cæſaream, & Neapolim: & immenſam propemodum prædam reporravit. Deinde condirionibus pacis obtinuit Berirum, Sidonem, Tobainum ( *Toronum* ) Byblum, & Aſcalonem. Hinc Hieroſolymam petiit, eamque obſidione cinxit feria prima. Erant autem in urbe ſexaginta millia pugnatorum: ſed tandem conditionibus pacis eam cepit; indictis decem denariis ſingulis viris Francis, quinque vero mulieribus, & duobus utriuſque ſexus parvulis. Imperium Hieroſolymæ tenuerant Franci annis nonaginta & uno. Tum Tyrum obſedit: ſed loci fortiſſimi difficultas ſpem omnem ipſi ademit, ideoque inde receſſit. Expugnavit quoque Huninum, & Antaradum, omneſque ejus cives gladio peremit. Gabala condirionibus pacis obtinuit, Laodiceam quoque, arcem Crachæ, Sciaubecam, & Caucabam. Anno quingentefimo octuageſimo-ſeptimo Franci recuperarunt Accon poſt crudeliſſimam pugnam: inde profecti ſunt Aſcalonem, quam Saladinus demolitus eſt. Idem tamen Hieroſolymæ mœnia munivit, & altius excitavit. Anno quingenteſimo octuageſimo-nono, obiit Rex Naſerus Saladinus, & ſuffectus eſt ei in regno filius ipſius Aphdalus Nuradinus. | dies<br>47 | dies<br>57 | dies<br>173 | dies<br>187 |
| II. | Rex Orhmanus Azizus Amadadinus filius Joſephi filii Jobi, Regnum Ægypti obtinuit qua die pater ejus mortuus eſt, feria quarta, die tertia ante exitum Saphari, anno quingenteſimo octuageſimo-nono. Cumque venatum egreſſus eſſet ad urbem Phajumenſem, cecidit ex equo, & Cairum deportatus, ibi deceſſit nocte feriæ primæ, die vigeſimaprima Moharrami anno 594. | anni<br>4<br>dies<br>317 | anni<br>593<br>dies<br>21 | anni<br>4<br>dies<br>275 | anni<br>6689<br>dies<br>97 |
| III. | Rex Mahometus Manſores filius Othmani filii Joſephi, filii Jobi, ſedit in throno regni Ægypti qua die pater ejus obiit, nempe vigeſimaprima Moharrami, anno quingenteſimo nonageſimo quarto. Tum Cairum venit patruus ejus Rex Ali Aphdalus Nuradinus, filius Saladini, regnoque ita potitus eſt, ut Regi Manſori nihil præter nudum nomen remanſerit. | ✠<br>dies<br>46 | anni<br>593<br>dies<br>67 | ✠<br>dies<br>46 | anni<br>668<br>dies<br>14 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Regum Jobidarum. | Anni Regni. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| IV. | Rex Ali Aphdalus Nuradinus filius Regis Joſephi Naſeri Saladini, filii Jobi, cum Cairum venit, oblatum ſibi a Principibus Imperium accepit. Tum Damaſcum petiit, obſeditque: ſed Mahomero Camelo Rege ſuppetias ferente, Adelus Rex Aphdalum inde expulit, inſecutuſque eſt per ſingulas ſtationes, donec utriuſque copiæ apud Sajecham manum conſeruere; fuſo autem Aphdali Regis exercitu, hic fuga arrepta, in lacu per octo dies deliruit, tum demum Cairum repetiit die tertiadecima ante exitum Rabii prioris, anno 596. | anni 2<br>dies 38 | anni 595<br>dies 105 | anni 2<br>dies 16 | anni 6691<br>dies 159 |
| V. | Rex Adelus Abu-becrus filius Jobi, filii Siraconi, ingreſſus eſt Cairum, obtinuit Imperium Ægypti, Damaſci, ſubjectarumque provinciarum, die tertiadecima ante exitum Rabii poſterioris, anno quingenteſimo nonageſimo-ſexto. Obiit juxta Damaſcum in loco quem caſtrum latronum vocant ſexta Gemadi poſterioris, anno ſexcenteſimo decimo-quinto, ætatis ſeptuageſimo-tertio, cum aliquot menſibus. Rerum ſummam Damaſci adminiſtrabat pro eo filius ejuſdem Rex Iſa Moaddamus. Anno ſexcenteſimo decimo-tertio accidit Tartarorum irruptio, qui planitiem Sinarum conterminam, quam Cin-Macin vocant, incolebant: auctis deinde viribus, cum infinita multitudine terras Moslemanorum aggreſſi ſunt, totamque Arachenſium ( *Babyloniorum* ) provinciam occuparunt. | anni 19<br>dies 49 | anni 614<br>dies 154 | anni 18<br>dies 207 | anni 6710<br>dies 1 |
| VI. | Rex Mahometus Camelus filius Regis Adeli Abubecri, regno Ægypti potitus eſt qua die pater ejus obiit, ſexta Gemadi poſterioris, anno ſexcenteſimo decimo-quinto. Quo anno, cum adhuc Rex Adelus in vivis eſſet, Damiatam Franci aggreſſi ſunt, & caſtra metati ex parte Gizæ tribus menſibus, & quatuor diebus, terra marique eam premebant. Quibus Rex Camelus occurrens, ex altera Damiatæ parte e regione eorum caſtra metatus eſt, Nilo flumine utrumque exercitum dirimente. At Franci magis magiſque urbem urgebant; quod videns Rex Camelus, inde cum ſuis noctu ſe recepit in Aſmomam. Sequente die Moslemanorum tentoria de- | anni 20 | anni 634 | anni 19 | anni 6429 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Regum Jobidarum. | Anni Regni. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | populati ſunt Franci, & Damiatam cominus aggreſſi. Cumque multum temporis in ea obſidione conſumpſiſſent, jamque annona defeciſſet, peſtilque ingruere cœpiſſet, poſtremos conatus experiri, urbem expugnarunt, eaque potiti, cives omnes captivos duxerunt. Contigit id feria tertia, die quinta ante exitum Sciaabani, anno 616. poſt obſidionem ſexdecim menſium, & viginti duorum dierum. Expugnata a Francis Damiata, contulit ſe Camelus ad Giaugeram, ibique urbem condidit, cui Manſoræ nomen impoſitum eſt. Egreſſi autem Franci, Regem apud Manſoram obſederunt, cum Aſmomæ fluvius inter utrumque exercitum eſſet. Tunc ruptio a Rege Camelo rivorum Nili retinaculis, aquarum alluvione Francos undequaque oppreſſit. Cumque fuga ſe Damiatam recipere voluiſſent, minime potuerunt, hoſtium exercitu vias occludente. Quamobrem ſecuritatem & pacem ſibi a Rege depopoſcerunt, quam iis cum hac conditione conceſſit, ut Damiatam Moslemanis redderent. Initæ igitur inter eos induciæ ad octennium. Damiatam tenuere Franci anno, & decem menſibus, & vigintiquatuor diebus. Anno 624. obiit Rex Iſa Moaddamus. Anno vero 625. Accon venit Imperator cum omnibus Francis, & Hieroſolymam conditionibus pacis recepit. Eodem anno Rex Aſtaphus a Camelo Rege imperium Damaſci obtinuit. | dies 45 | dies 199 | dies 193 | dies 194 |
| VII. | Rex Adelus Abubecrus filius Regis Mahometi Cameli, filii Regis Adeli, imperium obtinuit qua die pater ejus obiit, quarta nimirum feria, die nona ante exitum menſis Ragebi, anno 635. Hunc Scebladdaules Chaphurus, Scemſalchavas Maſrurus, & Sephius Gevarus Nubienſis, ſervi patris ejus, cum nonnullis Palatinis extra Belbeiſum (*Peluſium*) ceperunt, & in carcerem detruſerunt feria ſexta, die nona menſis Scevabi, anno 637. miſſiſque nunciis ad Jobum Salechum Nogemadinum, regni gubernacula ei detulere; qui Cairum ingreſſus, ibi regem Adelum in vincula conjecit; Mox Crachana duci juſſit, ut ibidem detineretur. Sed cum ille obſtinato animo renue- | anni 2 | anni 636 | anni 2 | anni 6731 |

| *Numerus.* | *NOMINA, RESQUE GESTÆ Regum Jobitarum.* | *Anni Regni.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | ret, miſſus ad eum Mochſanus cum aliis decem ſervis, verberibus peſſime acceptum ſuffocarunt, necatumque eduxerunt, ac ſepelierunt. | dies<br>78 | ✠ | dies<br>55 | ✠ |
| VIII. | Rex Jobus Salechus Nagemadinus filius Regis Mahometi Cameli, regnum obtinuit feria ſexta, die vigeſima-octava menſis Scevali, anno 637. Deceſſit Manſoræ nocte feriæ quintæ, die decimaoctava Sciaabani, anno 647. quo tempore Francorum Rex Damiatæ erat. Siquidem cum ſuis copiis Damiatam appulit & caſtra metatus eſt in Giza feria ſexta, die vigeſimaprima Saphari ejuſdem anni: & occupavit Damiatam feria quinta, ſecunda obſidionis die: ibique manſit uſque ad obitum Regis Salechi: quo e vivis erepto, egreſſus Damiata Rex Francorum cum ſuo exercitu, caſtrameratus eſt e regione Manſoræ, ibique ſedem fixit. | anni<br>9<br><br>dies<br>302 | anni<br>646<br><br>dies<br>225 | anni<br>9<br><br>dies<br>205 | anni<br>6741<br><br>dies<br>89 |
| IX. | Emirus Fachredinus filius Sceichi a Rege Salecho, antequam decederet, conſtitutus eſt Dux exercitus, quem Arabechum vocant, eique commiſſa tutela filii ejus Regis Moaddami. Rexit vero exercitum diebus 75. donec a Francis cæſus eſt feria tertia, die quinta Dilchedæ anno 647. Hi enim vadum fluminis Aſmomæ transfretantes, Giadilam aggreſſi fuerunt. Erant autem numero mille & quadringenti equites, quibus præerat frater Regis Francorum. Cumque prædæ intenti huc & illuc diſperſi eſſent, omnes ad ultimum cæſi ſunt, eorumque capita Cairum allata, lanceiſque impoſita, ad portam urbis, quam Zovailam dicunt, appenſa ſunt. Manſit autem regnum ſine rectore tredecim diebus. | ✠<br><br>dies<br>75 | ✠<br><br>✠ | ✠<br><br>anni<br>75 | anni<br>6741<br><br>anni<br>164 |
| X. | Rex Moaddamus Gajathadinus Nuranſcia, filius Regis Salechi Jobi, primum regno Ægypti potitus eſt feria tertia, die decimanona Dilchedæ, anno 647. Feria autem quarta, die tertia Mohartami anno 648. reverſus eſt Rex Francorum ab obſidione Manſoræ, Damiatam petens: | ✠ | anni<br>647 | ✠ | anni<br>6741 |

| Numerus. | *NOMINA, RESQUE GESTÆ* *Regum Jobidarum.* | *Anni Regni.* | *Summa annorum Lunarium* | *Reductio eorum in Solares.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | quem inſecutus Moſlemanorum exercitus, plures ex ejus Principibus captivos duxit, cæſis Francorum ſupra triginta millibus, boniſque eorum direptis. Paulo poſt interfectus eſt Moaddamus Nuranſcia. Eum quippe ſervi, quos Mamaluchos vocant, in fruſta conciſum, igniquecombuſtum, in flumen Manſoræ projecerunt feria tertia, exeunte Moharramo, anno 648. | dies 71 | dies 30 | dies 71 | dies 248 |
| XI. | Sciagiaraddorra Salechi uxor, quæ mater Chalili audit, præſtito juramento a Mamaluchis, quos Baheridas ſeu maritimos appellant, a Principibus, & Palatinis, Regina ſalutata eſt, ſimulque dignitatem Atabecharus ſeu præfecturæ militiæ obtinuit Emirus Ezzadinus Ibech Turcomanus feria tertia, exeunte Moharramo, anno 648. Eodem tempore initum eſt pacis fœdus inter Principes Salechitas & Mamaluchos, & inter Regem Francorum, qui Damiatam Moſlemanis reddidit feria ſexta, tum dimiſſus eſt, poſtquam Damiatam & Manſoram trecentis triginta diebus tenuiſſet. Regina vero abdicatum regnum tradidit Emiro Ezzadino Turcomano, idque Sabbato, die vigeſimaſecunda menſis Rabii poſterioris ejuſdem anni, cum ipſa regnaſſet diebus 87. | ✠ ✠ | ✠ ✠ | ✠ ✠ | ✠ ✠ |
| XII. | Rex Moezzus Ezzadinus Ibech Turcomanns Salechita regno Ægypti potitus, uxorem duxit Sciagiaraddorram Chalili matrem, Sabbato, die vigeſimanona Rabii poſterioris anno 648. Regni nomen tenente Afrapho filio Regis Maſudi, qui tunc annum ætatis ſextum agebat. Poſtea Rex Ezzadinus in balneo Arcis, quod in monte eſt, occiſus fuit inſidiis uxoris ſuæ, matris Chalili, & opera ſervorum ejuſdem Naſari Azizæi, & & Mochſani Giaugeræi feria quarta, die vigeſimaquinta Rabii prioris anno 655. Ipſa vero Chalili mater ictibus Calipodiorum cæſa, ex arcis mœnibus dejecta eſt; Servi autem illi ſub eadem arce in crucem acti. Tunc regni adminiſtrationem ſuſcepit Sachebus Tagidinus Abdalvechabus, quo amoto eamdem ſibi dignitatem Phajezus comparavit, oblatis plebi quinquaginta millibus aureorum. | ✠ | ✠ | ✠ | ✠ |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Regum Jobidarum. | Anni Regni. | Summa annorum Lunarium | Reductio eorum in Solares. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XIII. | Rex Manſores Nuradinus Ali filius Regis Mœzzi Ibech, Principum conſenſu regnum obtinuit feria quinta, die vigeſimaſexta Rabii prioris, anno 655. quo captus Seerfadinus Phajezus, & dignitate Viziri amotus, boniſque omnibus ſpoliatus, poſt magnos cruciatus igni aſſatus ſuffocatuſque eſt, & in abyſſum Helphæ projectus, ſubſtituto in ejus locum Badradino, qui Judex ſummus erat. Hoc vero poſt paulo dejecto, ad eam dignitatem iterum evectus eſt Sachebus Jagidinus Abdalvechabus, filius filiæ Judicis Aazzi, qui juſtitiam æquitatemque coluit, omni tyrannide procul amota. | ✠ | ✠ | ✠ | ⊕ |

# D E
# PATRIARCHIS
## ALEXANDRINIS.

DEI ope freti deſcribere aggredimur nomina Patriarcharum Coptorum Ægyptiorum Sedis urbis Alexandriæ, a Mareo Apoſtolo & Evangeliſta uſque ad hanc noſtram ætatem, annum ſcilieet Martyrum nongenteſimum quinquageſimumquinrum, qui reſpondet anno Hegiræ ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo: ſimulque adnotabimus, quot quiſque annis Patriarehatum tenuit, & qua obiit die; quæ denique uniuſcujuſque temporibus geſta ſint, breviter indieabimus.

Tempore itaque diſpenſationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, poſt ejus aſcenſum in Cælum, cum diviſæ eſſent inter Apoſtolos provinciæ, in quibus Sacroſanctum prædicarent Evangelium, obrigit Marco Evangeliſtæ, ut pergeret in Ægyprum, Alexandriam, Pentapolim oecidentalem, Æthiopiam, & Nubiam. Roma igitur egreſſus Marcus, Pentapolim primum petiit, annunciavitque in omni ejus ditione, multis editis miraculis: nam leproſos mundavit, dæmones ejecit, ægros ſanavit. Quare multi per ipſum crediderunt, & baptizati ſunt. Tum ait illi Spiritus Sanctus: Surge, perge Alexandriam, ut bonum ibi ſemen ſemines, quod eſt verbum Dei. Surrexit itaque Diſcipulus Chriſti, & Spiritu Sancto confortatus, ait: Domine confirma fratres, qui nomen ſanctum tuum noverunt, donec revertar ad eos, & profectus eſt Alexandriam anno ſeptimo imperii Neronis. Eo autem portam urbis ingreſſo, rupta eſt corigia caleeamenti ejus, qui ait: Nunc cognovi, Dominum iter meum direxiſſe. Tum aceeſſit ad Sutorem, ut calceum ſuum reficeret. Qui cum illud accepiſſet, & ſubula perforare vellet, palmam ſuam perforans, dixit: εἷς Θεός, hoc eſt, *unus Deus*. Audiens autem Sanctus Mareus Sutorem nomen Dei commemorantem, gaviſus eſt dicens: Domine planam fac viam meam. Tum conſpuit in terram, & lutum accipiens, impoſuit manui Sutoris, ajens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſanetur nunc manus tua, o homo. Et ſtatim ſanata eſt manus ejus, quaſi nihil ipſi contigiſſet. Stupore itaque pereulſus Sutor, rogavit Sanctum Marcum, ut ſecum in domum ſuam veniret, cibi quietiſque eapiendæ cauſa. Ingreſſus domum ejus, oravit & comedit: tum hominem Sanctus adhortatus eſt, qui credidit cum tota domo ſua, & vicinis. Erat autem ei nomen Anianus. Cumque eredentium in Chriſtum numerus augeretur, ordinavit Mareus Anianum Alexandriæ Epiſcopum, treſque Presbyteros, & ſeptem Diaconos. Quo facto Pentapolim repetiit, ibique biennio moratus eſt, annuncians Evangelium, & conſecrans eis Sacerdotes. Tum Alexandriam rediit, invenitque fratrum numerum creviſſe, eoſque in fide confirmatos: quibus eum animos addidiſſet, inde receſſit. Anno vero ab Aſcenſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti in cælum trigeſimoquinto adfuit Mareus martyrio Apoſtolorum Petri, & Pauli, iterumque Alexandriam regreſſus eſt. Cujus

adventum cum idololatræ reſciviſſent ( jampridem enim eum diligentiſſime quærebant : ) Dominica die in feſto glorioſi Paſchatis , quod eo anno in diem vigeſimam nonam Pharmuti incidit , dum Sanctus Marcus in templo Sacrum faceret , ceperunt eum , & foras eduxerunt , injectoque in collum fune , per urbem raptarunt a mane uſque ad veſperam , dicentes : Tradite hircum in mandra boum : concidebaturque caro ejus , viarumque ſaxis adhærebat , ſanguis vero ſuper terram effundebatur . Nocte ingruente detruſerunt eum in carcerem ; ſequentique mane eduxerunt , eodemque modo , quo heſterna die , acceperunt , donec reddidit Spiritum , & coronam martyrii conſecutus eſt poſtrema die Pharmuti Ægyptiorum , quæ eſt vigeſima-quarta menſis Niſan Hebræorum , anno Incarnationis Divinæ ſexageſimo ſeptimo , & ſeptimo menſe cum dimidio.

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| I. | Marcus Evangeliſta, cujus res geſtæ in præcedenti tabula enarratæ ſunt , martyrii coronam conſecutus eſt anno ſexageſimo ſeptimo, & menſibus aliquot ab Incarnatione Divina. | anni 7 dies [illegible] | anni 67 dies 230 | Galba Cæſar. menſes 7. | anni 5567 dies 230 |
| II. | Anianus . Hunc ordinavit Sanctus Marcus Evangeliſta , eſtque Sutor ille , qui calceum ejus refecit. Obiit die Dominica, vigeſima Athyr. Sedem tenuit poſt Marcum Apoſtolum annis 18. & diebus 216. | anni 18 dies 216 | anni 86 dies 80 | Veſpaſianus Cæſar. ann. 9. cum dimidio. | anni 5586 dies 80 |
| III. | Milius. Legitur in ejus vita ſic. Aſſumpſerunt hominem, Milium nomine, & ordinaverunt eum Patriarcham in Sede Marci : crevitque numerus fidelium in Ægypto, Pentapoli, & Africa: fuitque Eccleſia ejus tempore in pace. Obiit autem feria ſecunda, die prima Toth. Vacavit ſepes abſque Patriarcha tribus annis, quoniam eo tempore contigit excidium Hieroſolymorum. | anni 12 dies 286 | anni 99 dies 1 | Titus Cæſar ejus filius. ann. 15. | anni 5599 dies 1 |
| | Tres anni , quibus Sedes vacavit , adduntur ſummæ. | | | | |
| IV. | Cerdo conſtitutus eſt primo anno imperii Trajani, obiitque Sabbato, die undecima Payni. Erat autem continens , & humilis toto vitæ ſuæ tempore. | anni 10 dies 180 | anni 109 dies 281 | Domitianus Cæſar. ann. 15. | anni 5609 dies 281 |
| V. | Primus. Ordinatus eſt Patriarcha ; obiitque die Dominica tertia Meſori. | anni 12 dies 52 | anni 124 dies 353 | Aurelianus Cæſar. ann. 21. | anni 5624 dies 334 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| VI. | Juſtus ordinatus eſt, obiitque Sabbato, die decima-ſecunda Payni: erat autem gratus Deo. | anni 10 dies 315 | anni 135 dies 283 | Antoninus Cæſar, & Commodus Cæſar. ann. 22. | anni 5635 dies 283 |
| VII. | Eumenius ordinatus eſt, obiitque die Dominica, decima Paophi. Ejus tempore martyrium ſubiit Sancta Sophia cum tribus filiabus. | anni 10 dies 122 | anni 146 dies 40 | Pertinax Cæſar, & Julianus Cæſar. ann. 22. | anni 5646 dies 40 |
| VIII. | Marcianus, vir præſtantis & admirabilis vitæ: Sedem tenuit annis novem cum quadrante: obiit die Dominica, ſexta Tybi ſub Antonino Imperatore. | anni 9 dies 86 | anni 155 dies 126 | Severus Cæſar, ann. 13. & filius ejus Antoninus Cæſar. ann. 6. | anni 5655 dies 126 |
| IX. | Claudianus erat populo apprime charus: cum autem ſediſſet annis 14. cum dimidio, obiit feria quinta, die nona Epiphi. | anni 14 dies 183 | anni 169 dies 309 | Macrinus Cæſar. ann. 1. Antoninus Cæſar. ann. 3. | anni 5669 dies 309 |
| X. | Agrippinus obiit feria ſexta, die quinta Machir. | anni 11 dies 211 | anni 181 dies 155 | Alexander Cæſar. ann. 13. Maximinus Cæſar. ann. 3. | anni 5681 dies 155 |
| XI. | Julianus. Poſt hunc nullus Epiſcopus manere potuit Alexandriæ, ſed clam exibant, & ordinabant Sacerdotes ubique. Huic Patriarchæ, qua nocte deceſſurus erat, apparuit Angelus Domini, dicens: Qui ad te accedet, racemum uvæ afferens, ipſe Patriarcha erit. Erat autem eo tempore vir uxorem habens, nomine Demetrius, qui cum ſuam hyeme Vineam putaret, reperit uvæ racemum caſu relictum, dixitque ſecum ipſe: offeram hunc racemum Juliano Patriarchæ. Populus vero totus Patriarchæ morituro aderat, dixeruntque ei: Pater, quis poſt te nobis præerit Patriarcha? Ille vero: Is, inquit, qui uvæ race- | anni 10 | anni 191 | Pupienus Cæſar; Menſ. 3. & Gordianus Cæſar: ann. 4. | anni 5691 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | mum mihi afferet. At populus: Utinam uva invenietur hieme? Sane morbo oppreſſus Patriarcha ignorat quid dicat. Rurſus itaque interrogant illum, dicentes: Pater, quis poſt te nos reget? Quibus reſpondit: Jam dixi vobis, qui afferet mihi racemum uvæ, is veſter erit Patriarcha. Dum autem hæc diceret, adfuit Demetrius, uvam Juliano offerens: quem ſtatim apprehenſum retinuerunt. | dies 33 | dies 188 | | dies 188 |
| XII. | Demetrius. Is eſt, qui racemum uvæ obtulit Patri Juliano Patriarchæ antequam obiret, de quo idem Julianus dixerat populo: Hic veſter eſt Patriarcha, quemadmodum heſterna nocte Angelus Domini mihi præcepit. Eum igitur apprehendentes, vinculis ferreis conſtrinxere, quod fugam pararet, & Patriarcham ordinaverunt. Populus autem gaudebat de eo, dicens: Hic duodecimus eſt a Marco Evangeliſta; & omnes cœlibes fuere præter hunc. Quamobrem obſtupeſcebant. Huic gratiam conceſſit Deus, ut occulta hominum peccata cognoſceret, de quibus ſecreto illos reprehendebat: & quidem plures fidelium a perpetrandis peccatis abſtinuere, veriti, ne ea cognoſceret, deque iis palam coram populo ipſos argueret. Quidam tamen ajebant: Cum vir iſte ſit conjugatus, quomodo nos reprehendit? præſertim cum hactenus nemo, niſi cœlibes, in hoc throno ſederit. Quadam igitur nocte apparuit ei Angelus Domini, dicens: Demetri, noli tuam tantum curare ſalutem, proximum tuum negligens: ſed memento Dominum dixiſſe in Evangelio: Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Cui Patriarcha: Rem, Domine, mihi explana. At Angelus: Arcanum, inquit, quod inter te & uxorem tuam intercedit, palam fac populo. Poſtera igitur die, quæ feriæ quintæ majoris ſolemnitas erat, cum Patriarcha Sacrum celebraſſet, præcepit Archidiacono, ut Sacerdotibus & populo indiceret, ne quis ex Eccleſia abſcederet; ſed omnes ad ejus thronum converterent. Qui cum adfuiſſent, juſſit afferri ligna ignemque accendi. Tum uxorem coram univerſo populo arceſſivit; & ipſe quidem in medio flammæ ſtetit: uxori vero dixit: Expande velum tuum laneum, quo induta es: quod cum illa feciſſet, effundens ſuper illud | anni 32 | anni 224 | Philippus Cæſar ann. 7. | anni 5744 |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| | ardentes prunas, ait: Surgite, oremus. Simulque prunis, quæ in velo uxoris erant, una cum Sacerdotibus omnibus thus impoſuit: ad eam vero converſus, præcepit, ut Eccleſiam circuiret, populumque univerſum incenſo ſuffumigaret. Tum populo ait: nolite mirari, neque obſtupeſcatis: quicumque enim ignem naturæ ſuperat, ab hoc ſenſibili igne ſuperari nequit. Ego quidem ſexageſimum tertium jam annum ago; hæc vero uxor mea, quæ coram adeſt, patrui mei filia eſt, quam moriens pater puellulam reliquit, & in una eademque domo educati ſumus; adultam autem pater meus tradidit mihi in uxorem. Cumque nuptiis celebratis in conclave ſeceſſimus: Ego tecum, inquit illa, tamquam ſoror tua educata ſum: quomodo ergo uxor tibi ero? Nunc igitur duodequinquaginta elapſi ſunt anni, ex quo illam duxi, ſimulque in eodem lecto eodemque ſtrato dormivimus: nihilominus, ut Deus ſcit, neque ego illam novi, neque illa me novit in ulla re mundana. Cum autem cubaremus, ſpeciem aquilæ videbamus, quæ ſuper nos alas ſuas expandebat, & illam quidem ala ſiniſtra, me vero dextera tegebat uſque ad mane, tum evaneſcebat. Neque vero putetis me amore gloriæ mundanæ hæc vobis aperuiſſe, ſed quoniam ita mihi præcepit qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis accedere Chriſtus Servator. Hæc cum dixiſſet, ſtatim deceſſit ipſe cum uxore ſua. Hic autem Sanctus Patriarcha ſacerdotio amoverat quemdam nomine Origenem, qui dolo & aſtu Presbyteratum obtinuerat ab Epiſcopo Cæſareæ Palæſtinæ: quare Alexandriam reverſum noluit recipere Pater Demetrius, quod hæreſi infectus eſſet. | dies 249 | dies 42 | Decius Cæſar ann. 1. | dies 42 |
| XIII. | Heraclas, primus fuit qui Papa dictus eſt. Ejus tempore martyrium ſubiere Sancti Sergius, Bacchus, & Barbara. obiit feria ſecunda, die octava Chojach. Vacavit Sedes anno uno. | anni 16 dies 56 | anni 240 dies 98 | Valerianus Cæſar ann. 2. | anni 5740 dies 98 |
| | Annus, quo Sedes vacavit, additur ad ſummam. | | | | |

| Numerus. | NOMINA, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XIV. | Dionyſius. Hic Sabæus fuerat, ſumma ſapientia prædirus, & ex gentis primoribus. Cauſa vero ejus ad fidem converſionis fuit lectio Epiſtolarum Pauli. Abiit igitur ad Demetrium; qui comiter illum excipiens, Baptiſmi aqua luſtravit. Defuncto autem Demetrio, Heraclas illum judiciis præfecit ſuumque Vicarium conſtituit, ob inſignem hominis eruditionem, & doctrinam. Ejus tempore vixit Paulus Samoſatenus: martyrium quoque ſubiit Mercurius imperante Decio Romæ. Eodem etiam tempore obdormierunt in ſpecu ſeptem illi nobiles juvenes Epheſini, plureſque alii martyrio coronati ſunt. | anni 19 dies 281 | anni 261 dies 13 | Decius Cæſar. ann. 2. | anni 5761 dies 13 |
| XV. | Maximus. Ejus tempore exſtitit Manes, cujus pellem detraxerunt Perſæ, cadaver feris objicientes; Aſſeclas vero ejus inverſo in terram capite vivos ſepelierunt. Vacavit Sedes poſt eum anno uno abſque Patriarcha. Ipſe vero obiit die Dominica, quartadecima Pharmuti. | anni 12 dies 211 | anni 273 dies 224 | Aurelianus Cæſar. ann. 6. | anni 5773 dies 224 |
| | Annus, quo Sedes vacavit, additur ad Summam. | | anni 5774 dies 224 | | |
| XVI. | Theonas Patriarcha. Ejus tempore martyrium ſubierunt Coſmas & Damianus, ac fratres, materque eorum. Sub eo quoque imperavit Dioclerianus impius Imperator. Obiit autem hic Patriarcha feria quarta, die octava Tybi. | anni 9 dies 263 | anni 284 dies 122 | Probus Cæſar. | anni 5784 dies 122 |
| XVII. | Petrus Hieromartyr præfectus eſt anno decimo imperii Diocletiani, qui anno vigeſimo imperii ſui amputari juſſit caput hujus Sancti Patris Patriarchæ, & martyrio coronatus eſt. Hic autem eſt, cui mulier illa Antiochena binos filios adduxit, ut eos baptizaret: obduruitque aqua baptiſmi, itaut illos Patriarcha baptizare nequiverit. Cumque a matre cauſam ſciſcitatus eſſet, hæc ait: oborta in mari tempeſtate, eum naufragii periculum immineret, eductis uberibus conſignavi eos ſanguine, & aqua maris baptizavi. Tum Patriarcha: Bene baptizati ſunt fide tua. Hic etiam Arium Dei juſſu communione privavit. Contigit autem ejus martyrium feria ſexta, die vigeſima nona Athyr. | anni 10 dies 333 | anni 295 dies 89 | Diocletianus impius Cæſar. ann. 21. | anni 5795 dies 89 |

Digitized by Google

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XVIII. | Achillas creatus eſt Sabbato, ſedemque tenuit ſex menſibus tantum. Cauſa ejus interitus fuit, quod Arium imprudenter ſuſceperit: ideoque mors ei a Deo inflicta eſt, obiit autem feria tertia, die decima nona Payni. | anni ✠ dies 209 | anni 295 dies 289 | Maximianus ejus filius ann. 2. | anni 5795 dies 289 |
| XIX. | Alexander. Anno Patriarchatus ejus decimoquinto habitum eſt Concilium trecentorum decem & octo Epiſcoporum in urbe Nicæa, qui Arium anathematizarunt, Symbolum fidei compoſuerunt, jejunium correxerunt, & Epactæ methodum tradiderunt. Athanaſius hujus Patriarchæ diſcipulus teſtatur, dicens: Pater meus Alexander, cum Evangelium in cella ſua legeret, id peragebat ſtando, ac lampade accenſa, nec umquam ſedens legit Evangelium, necumquam ſolvit jejunium, niſi poſt ſolis occaſum. Obiit feria ſecunda, die vigeſima ſecunda Pharmuti. | anni 22 dies 308 | anni 318 dies 232 | Conſtantinus juſtus, ac fidelis Imperator ann. 32. | anni 5818 dies 232 |
| XX. | Athanaſius Apoſtolicus. Ejus tempore congregatum eſt Concilium Galatiæ, cui adfuit Baſilius magnus, & anathemate percuſſerunt Arium. Athanaſius vero magnis conflictatus eſt vexationibus, & ſæpe a Sede ſua dejectus, quod ter accidiſſe non nulli perhibent. Ejus tempore floruere Cyrillus Hieroſolymitanus, Baſilius Magnus, Gregorius ejus frater, Macarius Magnus & Alexandrinus, Antonius magnus in monte orientali, & Pachomius in Ægypto ſuperiori. Obiit autem feria quinta, die ſeptima Pachon. | anni 46 dies 15 | anni 364 dies 247 | Conſtantinus minor: filius Conſtantini. ann. 24. | anni 5864 dies 247 |
| XXI. | Petrus. Hic multas vexationes pertulit ab Arianis: quamobrem fuga ſibi conſuluit, & poſt aliquod tempus ad ſuam Sedem rediit, quam per annum tenuit. Obiit autem feria quinta, die vigeſima ſexta Epiphi. | anni 5 dies 288 | anni 370 dies 170 | Julianus Apoſtata. ann. 2. | anni 5870 dies 170 |
| | Timotheus frater Petri. Ejus tempore congregatum eſt ſecundum Concilium Conſtantinopoli, damnaruntque Macedonium Spiritus Sancti | | | | |

| Numerus. | NOMINA ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XXII. | hoſtem, & abſolverunt Symbolum fidei, dicentes, Credimus in Spiritum Sanctum &c. Anathematizarunt etiam Sabellium, qui dicebat: *Pater Filius Spiritus Sanctus*, unam perſonam affirmans Sanctiſſimam Trinitatem, & particulam copulativam *&* rejiciens. Excommunicarunt denique Apollinarem, qui dicebat: *Magnus*, *Major*, *Maximus*; Spiritum Sanctum *Magnum* vocans, Filium *Majorem*, Patrem *Maximum*. Obiit autem hic Patriarcha die Dominica, vigeſima Epiphi. Concilium vero illud congregatum eſt die tertia Ab (*Auguſti*) anno Alexandri ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo. | anni 6<br>dies 156 | anni 376<br>dies 326 | Valens impius & Gratianus ann. 1. | anni 5876<br>dies 326 |
| XXIII. | Theophylus. Hic cum Epiphanio Cypri Archiepiſcopo conſenſit, ut Sanctus Joannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus in exilium pelleretur. Ejus autem tempore excitati ſunt ſeptem illi juvenes, poſtquam in ſpecu dormiiſſent centum & quadraginta novem annis. Obiit die decima-octava Paophi. | anni 27<br>dies 87 | anni 404<br>dies 48 | Theodoſius magnus Imperator fidelis. ann. 17. | anni 5904<br>dies 48 |
| XXIV. | Cyrillus magnus Theophili Patriarchæ ex ſorore nepos. Ejus tempore floruit Sanctus Iſaac diſcipulus ſancti Ephræm Syri, & Simeon Stylites. Ipſe Concilium Epheſinum ducentorum Epiſcoporum congregari curavit adverſus Neſtorium Patriarcham Conſtantinopolitanum, illumque dejecit, ſimulque anathematizavit omnes ejus aſſeclas. Idem primus fuit, qui Stationes in Eccleſia inſtituit. Obiit feria tertia, die tertia Epiphi. | anni 31<br>dies 155 | anni 435<br>dies 303 | Arcadius filius ejus Orthodoxus. ann. 13. | anni 5935<br>dies 303 |
| | Dioſcorus Cyrilli diſcipulus, quo cum adfuit Concilio Epheſino adeverſus Neſtorium habito. Multis maximiſque ærumnis conflictatus eſt a Martiano Imperatore, ejuſque uxore Pulcheria, ſuaque ſede exturbatus, eo quod Concilio Chalcedonenſi ſexcentorum & triginta Epiſcoporum aequieſcere nollet: quamobrem relegatus fuit in Inſulam Africæ, in qua ſeptem annis manſit, | | | | |

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Patriarcharum Alexandriæ.* | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XXV. | obiitque die ſeptima Toth. Hujus rei cauſa hæc fuit. Erat Presbyter quidam Conſtantinopoli, nomine Eutyches, qui ajebat Corpus Chriſti eſſe quid ſubtile, & diverſum a noſtris corporibus: quamobrem excommunicavit eum Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ille vero Theodoſium Imperatorem adivit, conqueſtuſque eſt, ſe a Patriarcha injuſte condemnatum fuiſſe. Qui juſſit Concilium Epheſi congregari, deque ejus cauſa diſquiri. Congregarique ſunt centum triginta Epiſcopi, quorum Præſides fuere Dioſcorus Patriarcha Alexandriæ, Flavianus Conſtantinopoleos, & Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum. At Eutyches veniam petiit, & palam confeſſus eſt, id ſibi imprudenter excidiſſe; eamdem vero cum Patribus fidem ſe profiteri: quare abſolutionem ſubdole obtinuit, receptuſque eſt ab iis, ſuoque ordini reſtitutus: ſed non multo poſt ad eaſdem blaſphemias reverſus eſt. Hoc autem Concilium inter generalia Concilia non enumeratur. Quartum vero Concilium celebratum eſt die vigeſima quinta Teſti prioris (*Octobris*) anno Alexandri ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio. | anni 14<br>dies 69 | anni 450<br>dies 7 | Theodoſius minor ann. 42. | anni 5950<br>dies 7 |
| XXVI. | Timotheus poſt Dioſcori Patriarchæ obitum conſtitutus eſt: magnas autem pertulit ab hominibus contrariæ factionis tribulationes, a quibus etiam in exilium actus eſt cum Anatolio fratre; ſed Dei gratia poſt novennium reſtitutus. Obiit Alexandriæ feria ſexta, die ſeptima Meſori. | anni 23<br>dies 330 | anni 472<br>dies 337 | Martianus Chalcedonenſis, maritus Pulcheriæ ann. 6. | anni 5972<br>dies 337 |
| XXVII. | Petrus, paulo poſtquam ſuffectus eſt, pulſus fuit ab hominibus contrariæ factionis, ejuſque loco ordinatus Timotheus Anſus (*hoc eſt, Salophaciolus*), deinde Joannes Tabenneſiota, qui conſtitutus eſt poſt obitum Salophaciolo: tum rediit ad ſuam Sedem Petrus, obiitque die Dominica, quarta Athyr. | anni 8<br>dies 9 | anni 481<br>dies 62 | Leo ma- Chalcedonenſis ann. 16. | anni 5981<br>dies 62 |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XXVIII. | Athanaſius. Hic una cum Petro fuerat Eccleſiæ Alexandrinæ Æditıuus. Obiit Alexandriæ feria tertia, die vigeſima Toth. | anni 6 dies 223 | anni 488 dies 20 | Leo pater Zenonis Orthodoxus ann. 8. | anni 5988 dies 20 |
| XXIX. | Joannes in pace & quiete ſuos dies tranſegit propter Zenonem orthodoxum Imperatorem, qui ſingulis annis omnia neceſſaria ſuppeditabat Monachis Monaſterii Abbatis Macarii, ut frumentum, vinum, oleum, & alia hujuſmodi. Obiit autem hic Patriarcha feria ſexta, die quarta Pachon. | anni 8 dies 224 | anni 496 dies 244 | Zeno Imperator Orthodoxus an. 17 | anni 5996 dies 244 |
| | Vacavit Sedes anno uno, qui additur ad Summam. | | | | |
| XXX. | Joannes Incluſus, cujus tempore in Sede Antiochena collocatus eſt Severus, cui perpetuo ſcribebat, & illi reſponſa dabat de unitate fidei orthodoxæ. Deceſſit feria ſecunda, die vigeſima ſeptima Pachon. | anni 21 dies 23 | anni 518 dies 267 | Anaſtaſius Imperator Orthodus ann. 17. Juſtinnus Chalcedonenſis ann. 9. | anni 6018 dies 267 |
| XXXI. | Dioſcorus ſtatim atque electus fuit, ſcripſit ad Patrem Severum Patriarcham Antiochenum de fide orthodoxa, qui reſponſum dedit, ſe eamdem fidem profiteri. Obiit feria tertia, die decima Paophi. | anni 2 dies 146 | anni 520 dies 47 | Juſtinianus Imperator ann. 39. | anni 6020 dies 47 |
| XXXII. | Timotheus. Ejus tempore obiit Anaſtaſius Imperator orthodoxus, eique ſuffectus fuit Juſtinianus Chalcedonenſis, qui pro Timotheo Apollinarem ſubſtituit, totiſque viribus contendit, ut omnes Chriſtianos ad Synodi Chalcedonenſis fidem reduceret. Quare Concilium cogi juſſit Conſtantinopoli, cui interfuere Vigilius Patriarcha Romæ, Apollinaris quem in locum Timothei ſufſecerat, & Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Severum quoque & Orientales Epiſcopos arceſſivit, ut ſuæ opinioni conſentirent, qui ad id induci nequiverunt. Quamobrem multis & gravibus vexationibus Orthodoxos affecit, & Severum detruſit in carcerem; ſed non multo poſt efflagitante pro illo Imperatrice, quæ ejuſdem perſuaſionis erat, fuit dimiſſus. Antiochia igitur egreſſus cum ſuis Epiſcopis, in Ægy- | anni 17 | anni 538 | Juſtinus Chalcedonenſis ann. 13. | anni 6038 |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | ptum pervexit: & eam quidem regionem circumluſtrabat, de Monaſterio in Monaſterium ſe conferens, deque Civitate in Civitatem, modo clam, modo palam orthodoxos confirmans. Eodem tempore in Ægyptum venit Apollinaris, libellos habens de fide Concilii Chalcedonenſis recipienda, quam perplures amplexari coacti ſunt tam ex fidelibus, quam ex Monachis: eique conſenſere Monachi monaſterii Sancti Macarii, præter ſeptem, e quibus duos interfecit, reliqui autem ope Dei evadentes effecere, ne monachi Tomum illum admitterent: eadem quoque cum reliquis fidelibus præſtitere. Occidit autem ex Jacobitis ducenta circiter millia virorum, mulierum, ac puerorum in ipſis Eccleſiis. Cumque diu laboraſſet Juſtinianus Imperator, ut Severum Patriarcham Antiochenum ad fidem Concilii Chalcedonenſis pertraheret, nec illum ad id inducere ullo modo potuiſſet, e vivis hominem tollere decrevit. Quod ubi Theodora religioſa Imperatrix accepit, nunciavit ei, ut fuga ſibi conſuleret. Clam igitur evaſit, non quod mortem timeret, ſed quia Deus illum pro ſalute multorum ſervabat, ac præſertim Ægypti, in qua corruptæ opiniones diſſeminabantur. Is autem Monachi habitu indutus totam eam regionem circuibat, orthodoxorum corda confirmans. Cumque aliquando in Eccleſia Monaſterii Sancti Macarii eſſet, apparuit Angelus Presbytero Sacrum celebranti, inquiens: Quomodo thus adolere audes præſente Patriarcha? cui Presbyter: Ubinam, inquit, eſt Patriarcha? At Angelus: En adeſt in Eccleſiæ angulo inter pauperes. Deceſſit Patriarcha Timotheus Sabbaro, die tertiadecima Mechir. | dies 196 | dies 163 | | dies 163 |
| XXXIII. | Theodoſius. Poſtquam hic electus eſt, refractarii alterum ordinarunt Patriarcham, Gajanum nomine, qui Archidiaconus erat Eccleſiæ Alexandrinæ, in domo cujuſdam Presbyteri, qui Theodorus dicebatur. Is peſſimis erat moribus, qui una cum ſua factione Theodoſium Sede ſua dejecit, ſcriptis etiam adverſus eum litteris ad Tiberium Imperatorem. Imperator autem uxorem orthodoxam habebat, nomine Theodoram, quæ illum enixe rogavit, ut id negotii ſibi deferret: cui is acquievit. Illa igitur diſquiri juſſit, quis prior ſecundum Eccleſiæ Canonem electus fuiſſet. Cumque reſciviſſet, Theodoſium fuiſſe prius ordinatum, ſuo illum ordini reſtituit. Quo facto rogatur Theodoſius, ut | anni 31 | anni 559 | Tiberius Imperator Chalcedonenſis ann. 3. | anni 6059 |

| *Numerus.* | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Patriarcharum Alexandriæ...* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | Gajanum reciperet, cumque Archidiaconatus dignitati reſtitueret, qui rogantibus acquievit moremque geſſit. Poſthæc Præfecto Alexandriæ, ac Theodoſio Patriarchæ reſcripſit Imperator, ut ſibi conſentientes, Chalcedonenſe Concilium reciperent; Sique id Patriarcha præſtare renueret, e ſua Sede ejectus, quocumque vellet, migraret. Qui ſtatim relicta Eccleſia abiit, ne fidem trecentorum decem & octo Patrum deſereret. Cumque metueret Imperator, ne univerſus populus illum ſequeretur, ad ſe arceſſiri hominem curavit, multiſque honoribus & muneribus cumulavit: ad ſuam tamen ſententiam accedere modis omnibus recuſantem, indignatus in exilium exegit, ejuſque loco conſtituit Paulum Thebannum a Patriarcha Conſtantinopolitano ordinatum. Sed cum hic Alexandriam appuliſſet, a nemine exceptus eſt: Quamobrem Coptorum Eccleſiæ clauſæ ſunt. Anno Diocletiani ducenteſimo quadrageſimo octavo binas in Alexandrinorum urbe Eccleſias ædificarunt Copti, cum Theodoſius Patriarcha in exilio degeret, in quo & ad Deum migravit. | dies 131 | dies 298 | | dies 298 |
| XXXIV. | Petrus. Ejus tempore obiit Imperator Chalcedonenſis. Paulus vero morte peſſima deceſſit, cujus loco Imperator conſtituit Apollinarium Alexandriæ Præfectum eumdemque Patriarcham: qui clauſit Eccleſias, occiditque ex Jacobitis pluſquam ducenta millia virorum, mulierum, ac puerorum, promulgavitque fidem Melchitarum. Cum autem Antiocheni accepiſſent, quod Alexandrini fecerunt, ipſi etiam quemdam Theophilum nomine aſſumentes, Patriarcham pro beato Patre Severo conſtituerunt. Obiit beatus Patriarcha Petrus feria quinta, die vigeſimaquinta Payni. | anni 1 dies 362 | anni 561 dies 295 | Mauritius Imperator Chalcedonenſis. ann. 20. | anni 6061 dies 295 |
| | Vacavit Sedes anno uno, qui additur ad Summam. | | | | |
| XXXV. | Damianus. Ejus tempore devaſtata ſunt Monaſteria deſerti Abbatis Macarii. Obiit feria ſecunda, die decimaoctava Payni. Ejuſdem diebus Phocas Mauricium Imperatorem interfecit. | anni 35 dies 358 | anni 598 dies 288 | Phocas Imperator Chalcedonenſis. ann. 8. | anni 6098 dies 288 |

Digitized by Google

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXVI. | Anaſtaſius. Hic plures condidit Alexandriæ Eccleſias, plureſque alias, quas Melchitæ occupaverant, Jacobitis reſtituit. Deceſſit autem feria quarta, die vigeſima ſecunda Chojac. | anni 12 dies 190 | anni 611 dies 112 | Heraclius Imperator Chalcedonenſis. ann. 11. | anni 6111 dies 112 |
| XXXVII. | Andronicus. Erat ditiſſimus, ac elargiendis eleemoſynis deditus. Ejus tempore initium habuit Imperium Moſlemanorum anno undecimo Heraclii. Eodem anno Choſroes Perſarum Rex invaſit Imperium Romanorum, occupavitque Syriam & Ægyptum, extruxitque Alexandriæ Palatium illud, quod Palatium Perſarum dicitur. Ejuſdem diebus vixit Joannes Eleemoſynarius. Obiit autem hic Patriarcha feria ſexta, die octava Tybi. | anni 6 dies 16 | anni 617 dies 128 | Imperium Moſlemanorum ann. 1. Abubecrus Juſtus ann. 2. | anni 6117 dies 128 |
| XXXVIII. | Beniaminus. Hujus tempore occuparunt Perſæ Ægyptum, eamque tenuerunt annis decem. Heraclius vero Phocam Imperatorem occidit, occupatoque Imperio, totus in eo fuit, ut Perſas debellaret, quos fudit, eorumque regiones vaſtavit; Ægyptum quoque recuperavit, cui Cyrum Patriarcham eumdemque Gubernatorem præfecit. Cumque hic Alexandriam veniſſet, apparuit Angelus Dei Beniamino Patriarchæ, præcepitque ei, ut lateret, donec tranſiret furor Dei; Latuit igitur ſpatio decem annorum. Heraclius autem Imperator in ſomniis vidit quemdam ſibi dicentem: Futurum eſt, ut gens quædam circumciſa te invadat, ſuperetque, ac partem Imperii tui occupet. Qui Judæos hos eſſe ratus, quotquot in ditione ſua erant Judæi ac Samaritani, eos baptizari juſſit. Sed non multo poſt emerſere Moſlemani. Quamobrem Heraclius omnes copias ſuas collegit ab Ægypto uſque Syenem, tributumque perſolvit Moſlemanis per octo annos, donec exhauſti ſunt omnes ejus theſauri. Anno Martyrum 357. die duodecima Payni pervenit in Ægyptum Amrus filius Aſi, occupavitque eam. Tertio poſt anno cepit Alexandriam. Tum idem Amrus Aſi filius ſcripſit ad Patriarcham Beniaminum libellum ſecuritatis, qui reverſus eſt cum gaudio magno, poſtquam abfuiſſet annis tredecim. | anni 39 ⊕ | anni 656 dies 128 | Omarus Chettabi filius ann. 2. Othmanus Apphani filius an. 11. [illegible] Ali Abitalebi filius ann. 11. [illegible] | anni 6156 dies 128 |

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Imperatorum. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XXXIX. | Agatho electus eſt poſt obitum Patris Beniamini, obiitque feria quinta, die decima ſexta Paophi. | anni 16 dies 273 | anni 673 dies 36 | Haſanus menſ. 6. Moavias primus Ommiadarum an. 19 menſ. 3. | anni 6173 dies 36 |
| XL. | Joannes. Hic Pater ædificavit Eccleſiam Marci Apoſtoli Alexandriæ ſpatio trium annorum. Ejus tempore fuit maxima rei annonariæ caritas tribus annis: is vero ſingulis diebus argentum & panem pauperibus diſtribuebat. Obiit Sabbato die prima Chojac. | anni 8 dies 55 | anni 681 dies 91 | Jazidus filius Moaviæ an. 3. menſ. 6. Moavias filius Jazidi dies 45. | anni 6181 dies 91 |
| XLI. | Iſaac creatus eſt Abdalmalecho Chalipha: Obiitque feria tertia, die nona Athyr. | anni 2 dies 336 | anni 684 dies 62 | Abdallas fil. Zobairi Mervanus fil. Hocmi ann. 1. menſ. 6. | anni 6184 dies 62 |
| XLII. | Simon. Hic, ut in ejus vita ſcribitur, mortuum ſuſcitavit, terque venenum hauſit poſt communionem abſque ullo nocumento: at quarto cum bibiſſet, periit: captuſque eſt auctor, & igne incenſus. Ejus diebus venit ad eum Legatus Indorum, qui rogabant eum, ut ſibi Epiſcopum & Presbyteros conſtitueret. At ille abſque Regis Ægypti mandatoid præſtare noluit. Quamobrem Legatus ad alium abiit, qui ejus poſtulatis ſatisfecit: Sed hujus rei cauſa Chriſtianis multa incommoda contigerunt. Obiit die Dominica, vigeſima-quarta Epiphi. | anni 7 dies 262 | anni 691 dies 324 | Abdalmalechus filius Meruani. ann. 21. | anni 6191 dies 324 |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha anni 3. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| XLIII. | Alexander electus eſt anno Martyrum 420. Hic multis conflictarus eſt vexationibus, & bis ab eo tributum exactum fuit, & ſingulis quidem vicibus trium millium aureorum. Nam Abdalmalechus Meruani filius fratrem ſuum Abdalazizum Ægypto præfecerat, qui Monachos recenſuit, & tributum ab eis accepit, a ſingulis ſcilicet aureum. Ingreſſus autem aliquando Sabbato Lumi- | anni 24 | anni 720 | Omarus Abdalaizi ann. 2. menſ. 6. | anni 6220 |

Digitized by Google

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Caliphacum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | num , hoc eſt Sabbato Sancto , Monaſterium quoddam Holuanenſe , cum vidiſſet imaginem Dominæ in ſinu ſuo Dominum amplexantis, conſpuit in eam, dicens: Si otium nactus fuero, delebo Chriſtianos ab his regionibus. Sequenti nocte vidit terribile ſomnium; mane autem Dominicæ Reſurrectionis patrem adivit , dixitque ei coram pluribus ; Hac me nocte mali dæmones excruciarunt: Vidi enim quemdam ſedentem ſuper maximo throno, horribilem & ſummæ majeſtatis, & circa ipſum mille millium & myriades myriadum; ego autem una tecum poſt illum catenis vinctus eram. Cumque interrogaſſem quis eſſet, reſponſum mihi fuit ; Hic eſt Jeſus Chriſtus , in cujus imaginis faciem heri conſpuiſti : Quo dicto quidam me lancea transfixit , donec emiſi ſpiritum . Hæc narrans obſurduit , & obmutuit , & poſt horam efflavit animam : elapſis autem quadraginta diebus pater quoque ejus interiit. | dies<br>283 | dies<br>157 | Jazidus fil. Abdalmalechi. ann. 4. | dies<br>157 |
| XLIV. | Coſmas invitus ac reluctans conſtitutus eſt: nec deſtitit diu noctuque Deum precari , donec ad eum aſſumptus eſt, poſtquam ſediſſet anno uno. Obiit Sabbato, die prima Payni. | anni<br>1<br>dies<br>143 | anni<br>721<br>dies<br>300 | Hiſciamus filius Abdalmalechi. ann. 19. | anni<br>6221<br>dies<br>300 |
| XLV. | Theodorus omnes dies ſuos in pace & quiete egit , nec ullum Eccleſia habuit adverſarium. Erat autem vir bonus , manſuetus , pulchra facie, & optimis moribus. Obiit feria quinta , die ſeptima Mechir. | anni<br>11<br>dies<br>222 | anni<br>735<br>dies<br>157 | Valides fil. Jazidi ann. 1. menſ. 3. Jazidus filius Validis menſ. 6. | anni<br>6235<br>dies<br>157 |

Vacavit Sedes abſque Patriarcha anno uno, qui additur ad Summam.

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Caliphatum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XLVI. | Michael ſuffectus eſt anno Diocletiani 460. die feſto Crucis, multaſque perpeſſus eſt ærumnas regnante Mervano Giadenſi, a Præfecto Abdalmalecho Moyſis filio, qui ex Judæo Mahometanus factus fuerat, Quidam etiam Epiſcopi Patriarcham accuſarunt, multoſque adverſus eum libellos obtulerunt. Quamobrem captus & in carcerem conjectus eſt, pecuniaque multatus, ac ſummopere vexatus. Rogavit propterea, ut ſibi facultas daretur oppida circumluſtrandi, ſummamque pecuniæ a fidelibus emendicatam quæritandi: id quod obtinuit. Sed tot tantiſque in dies exactionibus populi premebantur, ut in maxima egeſtate omnes fuerint. Porro ea nocte furorem ſuum Deus oſtendit, contigitque horribilis terremotus, quo multæ urbes corruerunt, nec vel unus e ruina evaſit: multæ præterea naves eadem nocte ſubmerſæ ſunt: eaque fuit terræmotus quaſſatio, ut ligna portarum & parietum e ſuo loco prodirent. Quæ quidem calamitas accidit in Oriente in toto Mervani Imperio. Recenſitis autem, quæ ea nocte per Orientem diruta fuerunt, locis, deprehenſum eſt, ſexcenta fuiſſe Caſtella, Oppida & urbes, numerumque hominum ac jumentorum infinitum interiiſſe. Cum igitur Dei furorem Abdalmalechus Moyſis filius videret, homines dimiſit. Anno Martyrum 461. Cyprianus Nubiæ Rex in Ægyptum invaſit, cum accepiſſet Patriarcham in carcere detineri: habebat autem ſecum centum millia nigrorum, totidem equorum millibus inſidentium: ducebat quoque centum millia camelorum. Ferunt, equos eorum ferocius quam equites decertaſſe: erant autem brevis ſtaturæ inſtar aſinorum. Cumque is ad Ægyptum appropinquaſſet, miſit Abdalmalechus Moyſis filius ad Patriarcham, rogans eum, ut hominem ſuis literis placaret. Qui ſcripſit ei pacificas literas, benedictionibus Regem cumulans, effecitque, ut a bello abſtineret. Regreſſi ſunt itaque Nubæ, benedictione Patriarchæ plurimum lætati. Cum autem Mervanus in Ægyptum veniſſet, expeditionem ſuſcepit adverſus Biſmiritas, qui jugum ejus excuſſerant; occideruntque ex ejus exercitu infinitam propemodum multitudinem: adeoque magnas ſubiit Patriarcha vexationes, Biſmiritarum | anni 23<br><br>dies 180 | anni 758<br><br>dies 196 | Ibrahimus filius Validi. menſ. 2.<br><br>Mervanus Giadenſis ann. 4. menſ. 9. | anni 6258<br><br>dies 196 |

cauſa,

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Calipharum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | cauſa, & ſæpe gladio oblatus eſt. Sed cum Choraſanitæ, qui ſub Saphacho militabant, in Ægyptum veniſſent, Gizam Mervanus petens, urbem Meſram (*Cairum*) cum annona & horreis incendit, nec tamen Patriarcham a catenis & carcere liberum dimiſit; donec Choraſanitæ deletis omnibus Mervani copiis regnum illud occuparunt. | | | | |
| XLVII. | Mennas magnas & ipſe multaſque pertulit vexationes: Siquidem una cum Epiſcopis funes ſtupeos nectebat, obliniebatque pice ad navium uſum in Ægypto, ſoli expoſitus. Obiit feria ſexta, die ultima Tybi. | anni 8 dies 320 | anni 767 dies 150 | Sapphachus pater Abbaſi ann. 4. menſ. 9 | anni 6262 dies 150 |
| | Vacavit Sedes diebus 350. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| XLVIII. | Joannes creatus eſt die 16. Tybi, qua & natus fuerat: Obiitque decima ejuſdem menſis. Accidit ejus tempore magna annonæ caritas: ipſe vero pauperibus ſubveniebat, neque patiebatur eos ulla re indigere. | anni 22 dies 1 | anni 790 dies 136 | Manſores pater Giaphari ann. 21. menſ. 9. Mahometus Mahadi ann. 10. | anni 6290 dies 136 |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha quindecim diebus, qui adduntur ad Summam. | | | | |
| | Marcus. Erant ejus tempore in Ægypto quidam, Barſanuphiani dicti, qui duos ſibi Epiſcopos conſtituerant diebus Petri Patriarchæ & Zenonis Imperatoris. Eorum ſucceſſores Epiſcopi duo Marcum Patriarcham adivere, ejus doctrinam admirati, rogaruntque eum, ut ſe reciperet, gregique ſuarum ovium adſcriberet. Qui ſuſcepit eos: Volens autem illos | | | | |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Incarnat. divinæ. | Nomina Caliphatum. | Summa annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| XLIX. | tentare, dixit: Scitote vos nequaquam permanſuros in hoc Ordine, in quo eſtis. At illi ſumma cum animi demiſſione reſponderunt: Scimus utique nos hoc Ordine indignos eſſe, nec in eo permanſuros: ſed noſtrorum peccatorum veniam dumtaxat petimus: Scripſeruntque ei Syngrapham, anathemate ſeſe obſtringentes, ſi Epiſcopatum aut Sacerdotium peterent. Ille vero eis benedixit, ſtatimque Epiſcopos ordinavit, & apud ſe manere juſſit, donec mortui ſunt duo Epiſcopi, in quorum locum eos ſubrogavit: quorum exemplo univerſa illorum gens ad Patriarchæ obedientiam rediit, & ab eo cum gaudio & charitate admiſſa eſt. Ejus diebus Barbari Africani devaſtarunt Monaſteria Vallis Habibi, eaque depopulati ſunt, incenſis Eccleſiis Celliſque: manſeruntque quadraginta annis abſque Monachis, & ſine ullo habitatore. Ejuſdem tempore rebelles Alexandriam aliaſque urbes occuparunt, ferro flammiſque omnia tradentes, prædaſque agentes, ut prolixius in hiſtoria narratur. Quamobrem Patriarcha Alexandriam relinquens, quindecim annis inde abfuit. Obiit autem die Dominica, vigeſima ſecunda Pharmuthi. | anni 20<br>dies 81 | anni 821<br>dies 232 | Aaron Raſcidus ann. 22.<br>Mahometus Aminus ann. 4 menſ. 6. | anni 6321<br>dies 232 |
| L. | Jacobus. Hujus tempore inſtaurata ſunt Monaſteria, redieruntque ad ea monachi. Eodem tempore vivebat quidam princeps, nomine Macarius, qui Patriarcham rogavit aliquando, ut domum ſuam adiret eamque benediceret. Habebat autem unicum filium, qui ægrotaverat mortuuſque fuerat. Hunc pater in manus accipiens, obtulit Patriarchæ; qui ſinu puerum complexus, diu oravit, reverſuſque eſt ſpiritus ejus, & oculos aperuit, manuſque ac pedes movit. Tunc illum patri reſtituens, dixit Patriarcha: non enim mortuus erat, ſed dormiebat. Quamobrem Macarius timore magno correptus, tertiam partem bonorum ſuorum pauperibus diſtribuit. Obiit autem Patriarcha feria tertia, die decima quarta Mechir. | anni 10<br>dies 298 | anni 821<br>dies 164 | Mahometus Aminus ann. 4 menſ. 6. | anni 6321<br>dies 164 |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Calipharum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LI. | Simeon. Ejus tempore in pace & quiete fuit Eccleſia. Obiit podagræ morbo feria ſexta, die tertia Paophi. | ✠ dies 234 | anni 822 dies 33 | Mamones Abdalmalechus. Mahometus Motaſemus an. 8. menſ. 6. | anni 6322 dies 33 |
| | Vacavit Sedes anno uno, qui additur ad Summam. | | | | |
| LII. | Joſeph. Hic Pater depoſuit Epiſcopum Cairi, & Epiſcopum Tanceos, quod accuſati a populo, & a Patriarcha reprehenſi, non reſipuiſſent. Eodem tempore Biſmiritæ adverſus Regem rebellaverant, nec Patriarchæ admonitionibus acquieſcere volebant. Qua de re Abdallas Mamones per litteras certior factus, Bagdado ad Ægyptum contendit, quo pervenit feria ſexta ineunte, die ſeptima Moharrami anno ducenteſimo decimo ſeptimo, ſecum ducens Dionyſium Patriarcham Antiochenum. Et primo quidem utrumque Patriarcham ad eam gentem legavit. Sed cum nullis precibus aut rationibus Bimiritas flectere potuiſſent, profectus eſt Mamones ipſe cum ſuis copiis, belloque iis indicto, omnes ad unum fere delevit. Interfectorum tamen multitudine motus, eorumque vices miſeratus, reliquos in captivitatem ducere decrevit. Tum ii quos Patriarcha depoſuerat, Regem adeunt, totam rebellionis Biſmiritarum cauſam in Joſephum conjicientes: qui propterea neci tradendus ducebatur. Sed cum interim eorum mendacium Mamones deprehendiſſet, Patriarcham dimiſit, ſimulque diploma ei conceſſit, ut in honore ac veneratione ab omnibus haberetur, neve ullus judiciis, ordinationibus, aut depoſitionibus ab ipſo factis adverſari auderet. Per id tempus Metropolitanus in Æthiopia erat, quem Jacobus Patriarcha ordinaverat. Hunc, Rege Æthiopum ad bellum egreſſo, in exilium ejecerant Regina & Principes: ideoque imber eo anno prohibitus eſt, peſtiſque per eas regiones graſſata. Remiſſo autem in Ægyptum illo Metropolitano, alterum ſibi præter Canonem conſtituerant. Quod cum Rex Æthiopiæ a bello reverſus accepiſſet, ægerrime tulit, miſitque Nuncios, qui veniam a Deo & a Patriarcha peterent, reduxe- | anni 17 dies 338 | anni 841 dies 53 | Aaron Vatekus ann. 5. menſ. 6. | anni 6341 dies 53 |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Calipharum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | runtque illum Metropolitanum in Æthiopiam. Obiit autem Joſeph Patriarcha die vigeſima tertia Paophi. | | | | |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha diebus 30. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LIII. | Michael, Presbyter Sancti Patris Joannis, primus omnium Patriarcharum fuit, qui in Monaſterio Abbatis Macarii ſepultus eſt: nam quidam eorum ſepeliebantur Alexandriæ in Eccleſia Marci; alii vero in urbe Cairo. Obiit autem feria ſexta, die vigeſima ſecunda Pharmuthi. | anni 1 dies 149 | anni 842 dies 232 | Mahometus Montaſerus. menſ. 6. | anni 6342 dies 232 |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha diebus 81. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LIV. | Coſmas, Diaconus in Monaſterio Abbatis Macarii. Ejus diebus extructa ſunt mœnia Taneos, Damiatæ, Alexandriæ, Paralloæ, Aſiumæ, Tinæ, Raſeidæ, Neſteruæ. Ejuſdem tempore præcepit Motuacchelus Chalipha, ne quis Chriſtianus aut Judæus albis veſtibus uteretur, ſed aliis coloribus tinctis. Obiit autem hic Patriarcha feria quinta, die vigeſima tertia Athyr, & ſepultus eſt in ſua cella in Tanuſero loco diæceſis Sachæ. | anni 7 dies 133 | anni 850 dies 81 | Mahometus Moatazzus an. 3. menſ. 3. | anni 6350 dies 81 |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha diebus 51. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LV. | Sanuthius, œconomus Monaſterii Abbatis Macarii. Ejus tempore extitit Achmetes filius Tolonis in Ægypto, qui ſubterraneos aquæductus conſtruxit ad ducendam aquam ex Nili rivulo in urbem Alexandriam, & implendas ciſternas. Obiit Sabbato, die vigeſima quarta Pharmuthi. | anni 11 dies ✠ | anni 861 dies 132 | Achmetes Motadedus an. 9. menſ. 6 Ali Moctaphius ann. 6. menſ. 3. Giapharus Moctaderus ann. 24. menſ. 3. | anni 6361 dies 132 |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Caliphãrum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LVI. | Michael. Hic Pater multas paſſus eſt ærumnas ab Achmete filio Tolonis, ab eoque pecunia mulctatus, itaut coactus fuerit vendere Judæis quartam partem Eccleſiarum Alexandriæ & Æthiopiæ, partem etiam Eccleſiæ, quam Moallaxam, ideſt, ſuſpenſam, vocant; Monaſteria quoque oppignorare, ſolventibus ſingulis Chriſtianis ex viginti quatuor partibus unam quolibet anno, bona autem Monachorum vendidit, ut poſſet dimidiam mulctæ partem perſolvere, nempe decem millia aureorum. Sed mortuo Achmete Tolonis filio, libertate donatus eſt Patriarcha ope Dei. | anni 25 dies 39 | anni 886 dies 171 | Achmetes Motadedus an. 9. menſ. 6. Ali Moctaphius ann. 6. menſ. 4. Giapharus Moktaderus ann. 24. menſ. 4. | anni 6386 dies 171 |
| | Vacavit Sedes abſque Patriarcha annis 14. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LVII. | Gabriel. Hic edictum illud inſtauravit, ut ſinguli viri, & Mulieres denarium ſolverent Patriarchæ quolibet anno. Obiit feria quarta, die vigeſima prima Mechir. | anni 21 dies [illegible] | anni 921 dies 171 | Mahometus Caherus ann. 5. menſ. 6. | anni 6411 dies 171 |
| LVIII. | Coſmas obiit feria tertia, die quinta Phamenoth. | anni 12 dies 12 | anni 933 dies 183 | Achmetes Radius an. 6. menſ. 6. | anni 6423 dies 183 |
| LIX. | Macarius. Ejus tempore Ægyptum occupavit Mahometus Achſidus filius Tagagi. Obiit Sabbato, die ſecunda Tybi. | anni 20 dies 21 | anni 943 dies 204 | Ibraimus Moſtakius an. 3. menſ. 9. | anni 6443 dies 204 |
| LX. | Theophanius. Hic Patriarcha Chriſtum abnegavit: Quare inſurgentes in illum Epiſcopi, occiderunt in Navi, & in fluvium demerſerunt: periitque peſſima morte Sabbato, die decima Pojach. | anni 4 dies 261 | anni 948 dies 100 | Abdalmalechus Moſtacphius an. 1. menſ. 6 | anni 6448 dies 100 |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Caliphārum.* | *Summa Annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LXI. | Mennas obiit die decimaquinta Athyr feria quatta. | anni 17 dies 340 | anni 966 dies 75 | Achmetus motius Abbaſida ann. 28. menſ. 6. | anni 6466 dies 75 |
| | Vacavit Sedes abſque Parriarcha anno uno, qui additur ad Summam. | | | | |
| LXII. | Ephræm. Hic Syrus fuit. Ejus autem diebus floruit Pater Severus Epiſcopus Aſmonæorum. Veneno ſublatus eſt a quodam Scriba, quod eum communione amoverat propter concubinatum. Poſt Patriarchæ autem obitum abſciſſa fuit ejuſdem Scribæ manus, qui ſtatim animam efflavit. Hujus Patris vita præſtantiſſima fuit, qui Simoniacas ordinationes ſuſtulit. Illum Moezzus frequenter ad ſuas ædes arceſſitum, ſummo in honore habebat. Quamobrem invidia commotus princeps Judæorum, dixit aliquando Moezzo: Qui fidem inſtar grani ſinapis non habet, dignus ne eſt, ut Chaliphæ conſeſſui adſit? Quamobrem præcepit Moezzus Patriarchæ, ut montem transferret, juxta dictum Evangelii, aut ſuam religionem dēſereret. At Ephræmus trium dierum ſpatium rogavit, deſcenditque cum univerſo populo ad Eccleſiam Moallakæ, & jejunaverunt omnes ea nocte, expanditque Patriarcha cinerem. Apparuit autem ei Domina juxta columnam, dicens: Perge ad viam Toreurarum apud locum, qui Caſtrum ceræ dicitur, & quicumque per illam tranſierit, humero lagenam aquæ bajulans, per ipſum veſtra ſalus erit: (Cum hæc autem hiſtoria nota ſit, illam conſulto omittimus), Quem repertum ſecum duxit: Et congregari ſunt Moslemani, Judæi, & Chriſtiani ſub monte juxta piſcinam elephantis: orantibus autem Chriſtianis, illico mons abſciſſus eſt deciditque, præſentibus Moezzo & univerſo populo. Et hoc notiſſimæ rei compendium eſt. | anni 3 dies 75 | anni 970 dies 150 | Maadus Moezzus ann. 22. menſ. 9. | anni 6470 dies 150 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 61., qui adduntur ad Summam. | | | | |
| | Philotheus. Ejus tempore obiit Azizus dominus Ægypti. Item claruit Vazechus martyr, filius Regiæ, ex Mahometano Chriſtianus, quem | | | | |

| Numerus. | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ. | Anni Patriarchatus. | Summa annorum Patriarchat. divinæ. | Nomina Caliipharum. | Summa Annorum Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|
| LXIII | Mercutius martyr una nocte a planitie Mechæ urbis ad Eccleſiam nomini ſuo dicatam tranſtulit. Iſte quatuor libros compoſuit, quorum primus inſcriptus eſt, *Vazechus*, hoc eſt, clarus & manifeſtus. Alter, *Selecta commentatorum doctrina, & depravationes hæreticorum*. Tertius, *Detectio Arcani*. Quarto ſuam ipſe vitam deſcribit. Erat autem Philotheus Patriarcha corradendis pecuniis intentus: cibo, potui, balnei lavacris, & ſuffimentis indulgebat; munera etiam pro collatione ordinum accipiebat. Cum itaque aliquando in Eccleſia S. Marci Alexandriæ Liturgiam celebraret, vidit manum e ciborio prodeuntem, quæ Oblatam in modum crucis ſignavit, ſtatimque diviſa eſt inter manus ejus. Quamobrem timore concuſſus eſt, nec temere deſiit, donec obiit Sabbaro, die tertia Athyr. | anni 24<br>dies 226 | anni 995<br>dies 72 | Nazarus Azizus. | anni 6495<br>dies 72 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 67. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXIV. | Zacharias electus fuit anno Martyrum ſeptingenteſimo vigeſimo-octavo. Hunc crudeliter perſecutus eſt Hachemus, itaut ſeptennio deliteſcere coactus fuerit. Aliquando etiam leonibus fame laborantibus projectus eſt, qui tamen nullam ei noxam attulere. Eccleſiæ vero ſub eo diu clauſæ fuere, nec quiſquam audebat Liturgiam celebrare, niſi in Monaſterio Sancti Macarii. Multis autem ærumnis Chriſtianos affecit Hachemus, qui cruces quidem collo Chriſtianorum appendi juſſit, vituli autem caput collo Judæorum. Tandem comprehendi præcepit Scribas aulæ primoreſque Chriſtianorum, quibus optionem dedit, aut Mahometanam religionem amplectendi, aut mortem oppetendi. At illi reſponderunt: Nos omnes ſequemur ſententiam ſenioris Abunagiachi, quoniam ipſe eſt noſter primus omniumque maximus. Huic igitur arceſſito, propoſuit Hachemus Moſlemanorum ſectam. Sed Abunagiachus: Permittat mihi Calipha, inquit, ut hac nocte animum meum conſulam, craſtina autem die reſponſum dabo. Cumque ad ſequentem diem dimiſſus eſſet, | anni 27 | anni 1023 | Hachemus filius Moezzi ann. 24. menſ. 6. | anni 6523 |

| *Numerus.* | NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ *Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. divinæ.* | *Nomina Calipharum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| | domum abiit, dictoque vale uxori, & liberis, præcepit eis, ut poſt ſuum obitum eleemoſynas pauperibus erogarent, oblationeſque pro ſe facerent; tum noctem in oratione tranſegit: illuceſcente autem die, Hachemo ſe ſiſtit. Cui Hachemus: Quid tandem tibi, ſenior Abunagiache, conſuluit animus tuus? Hoc, inquit Abunagiachus, ut conſtans firmuſque ſim in mea fide, & in religione patrum meorum. Tunc præcepit Hachemus, ut loris bubulis millies percuteretur abſque ulla pauſa aut intermiſſione. Cum itaque ſeptingentis ictibus percuſſus fuiſſet, dixit, ſitio. Satellitibus vero Chalipham conſulentibus, hic ait. Si Moslemanorum fidem amplectitur, date illi aquam. Qui dixerunt Abunagiacho: Moslemanorum religionem ſectare, & dabimus tibi aquam. At Abunagiachus: non opus eſt amplius aqua: nam Dominus meus Chriſtus jam dedit mihi aquam. Simulque viderunt Satellites barbam ejus & labra aqua madentia. Statimque tradidit ſpiritum. Quod cum Chaliphæ nunciatum eſſet, dixit: Percutite eum, donec mille ictus compleantur; & percuſſerunt eum aliis trecentis ictibus poſt ejus mortem. Zacharias autem Patriarcha obiit feria tertia, die octava Tybi, & ſepultus eſt in Eccleſia Abiſſinorum. | dies 354 | dies 128 | | dies 128 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 74. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXV. | Senuthius. Hic opibus congerendis, & accipiendis pro manus Impoſitione muneribus deditus erat. Obiit feria quarta, die ſecunda Athyr. | anni 14 dies 225 | anni 1038 dies 62 | Taherus ejus filius ann. 25. | anni 6538 dies 62 |
| | Vacavit poſt eum Sedes anno 1. diebus 148. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXVI. | Chriſtodulus. Hic Eccleſiam Sancti Mercurii in Meſra (*Cairo Vetere*) & Eccleſiam Dominæ in Vico Romæorum in *Cairo novo*, Patriarchales eſſe conſtituit. Obiit in Meſra in Eccleſia Moallakæ, die Dominica, decima quarta Chojach. | anni 29 dies 259 | anni 1069 dies 104 | Moſtanſerus an. 58. menſ. 6. | anni 6569 dies 104 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 72. qui adduntur ad Summam. | | | | |

Cyrillus

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. Divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LXVII. | Cyrillus. Poſtquam conſecratus eſt Alexandriæ, Cairum arceſſitus a Moſtanſero, hujus matri fratribuſque, qui ad ridendum illum prodierant, benedixit: quod ubi præſtitit, thuris aromatumque ſuffumigationibus ab iis honoratus, abiit ad ſua lætus & gaudens. Cumque chriſma in Eccleſia Abbatis Macarii conſecraret, vas chriſmatis in ejus manibus exundavit: quod fuit maximum miraculum. Ipſe Patriarchis Pallium conſtituit, & munera pro manus Impoſitione intentato anathemate prohibuit. Obiit Mochtaræ in Inſula Meſtæ (*Cairi*) die Dominica, ſecunda Payni. | anni 14 dies 106 | anni 1083 dies 282 | Moſtanſerus. anni 58 menſ. 6. | anni 6583 dies 282 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 124. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXVIII. | Michael. Hic Eremita incluſus erat in Sangiaro, Obiit autem die Dominica in feſto Pentecoſtes, ultima Pachon, in Eccleſia Moallaxæ in Cairo, anno Martyrum 818. | anni 9 dies 229 | anni 1093 dies 270 | Moſtaalius. anni 7 | anni 6593 dies 270 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 167. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXIX. | Macarius. Ejus tempore anno martyrum 818. die Dominica, tertia Thoth, accidit ingens terræmotus. Qua nocte Aphdalus militiæ præfectus diruit Eccleſiam Mochtaræ in Inſula, quod in medio horti ſui eſſet, divulgavitque illam terræmotu cecidiſſe. Hic autem Patriarcha plures ritus abrogavit: nam filii chriſtianorum antea baptizabantur, tum circumcidebantur; Ipſe vero conſtituit, ut prius circumciderentur, deinde baptizarentur. Item ſponſalia cum precibus ac thure contrahebantur in domibus privatis: Ille vero decrevit, ut fierent in Eccleſia tempore Coronationis ſponſorum. Obiit in Moallaxa, die vigeſimatertia Choiach, feria quarta. | anni 26 dies 41 | anni 1120 dies 113 | Amerus anni 27 | anni 6620 dies 113 |
| | Vacavit Sedes annis duobus, & diebus 45. qui adduntur ad Summam. | | | | |

| Numerus. | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. Divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LXX. | Gabriel filius Tarich Abulala Saedus, Diaconus Eccleſiæ Sancti Mercurii in Cairo, creatus eſt feria tertia, die nona Mechir anno Martyrum 847. initio Caliphatus Haphedi, cum ageret annum ætatis quinquageſimum. Obiit feria quinta, die decima Pharmuthi, in hebdomada Palmarum, in Eccleſia Sancti Mercurii in Cairo. | anni 14 dies 62 | anni 1136 dies 220 | Daphenus ann. 6 menſ. 6. Phajetus ann. 6 menſ. 6. | anni 6636 dies 220 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 90. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXXI. | Michael filius Dakalri, monachus in cella denſceri, creatus eſt feria quinta, undecima Epiphi anno martyrum 861. Haphedi Chaliphæ 15. Obiit in Monaſterio Sancti Macarii feria ſexta crucifixionis. | anni 0 menſ. 9 | anni 1137 dies 310 | Adedus ann. 11 Naſerus Saladinus Rex ann. 21 menſ. 6. | anni 6637 dies 310 |
| | Vacavit poſt eum Sedes ann. 1. diebus 70. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXXII. | Joannes filius Abulphatachi ordinatus eſt in Eccleſia Moallakæ in Cairo, die dominica Pentecoſtes, decimaquarta Payni, anno martyrum 863. Obiit feria ſexta, die quarta Pachon. | anni 18 dies 326 | anni 1157 dies 244 | Rex Agizus ann. 4. menſ. 6. Rex Manſores ann. 2. | anni 6657 dies 244 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 43. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXXIII. | Marcus Abulpharagius Zaraæ filius, creatus eſt die Dominica Pentecoſtes, decimaoctava Payni, anno martyrum 882. Ejus diebus Abbas Marcus Konbari filius tranſiit ad Melchitas, quem ingens turba Biſmiritarum ſecuta eſt: cum autem haud multo poſt pœnitentia ductum, & ad priſtinam religionem regreſſum noluit Patriarcha admittere. Apud hunc Patriarcham magnus fiebat ſingulis diebus ciborum apparatus carnium, aliarumque rerum, quod cum nobiles & optimates chriſtianorum frequentes adire ſolerent. Anno 885. die decimaoctava Athur accidit incendium Cairi, auctore Sciavero, & incenſa eſt Eccleſia S. Mercurii cum nonnullis aliis. Obiit hic Pater die Dominica, ſexta Tybi. | anni 22 dies 205 | anni 1180 dies 126 | Rex Adelus ann. 19 Rex Camelus ann. 19 menſ. 6. | anni 6680 dies 126 |
| | Vacavit poſt eum Sedes diebus 27. qui adduntur ad Summam. | | | | |

| *Numerus.* | *NOMINA, ANNI, RESQUE GESTÆ Patriarcharum Alexandriæ.* | *Anni Patriarchatus.* | *Summa annorum Incarnat. Divinæ.* | *Nomina Imperatorum.* | *Summa annorum Mundi.* |
|---|---|---|---|---|---|
| LXXIV. | Joannes Abulmagedus filius Abugalebi creatus eſt in Cairo die Dominica, quarta Mechir, anno 905. Obiit hora nona, feria quinta, die undecima Tybi, in feſto Epiphaniæ: & celebratæ ſunt illius exequiæ in Eccleſia Moallaxæ, ſepultuſque eſt in Eccleſia Abiſſinorum. Hic antequam Patriarchalem dignitatem obtinuiſſet, mercaturam exercuerat, & ſæpius ad Indos transfretaverat, negotiationis cauſa. Cumque Patriarcha factus eſt, fertur ſeptemdecim millia aureorum habuiſſe, quæ omnia in uſum Chriſtianorum pauperum eorumque neceſſitates erogavit: mortuuſque eſt ære filiorum fratris ſui obſtrictus. Quamdiu autem vixit, nullius Chriſtianorum panem comedit, nec ab ullo munus accepit. Confeſſionem ab Eccleſia Ægyptiorum abrogavit; circumciſionem vero plurimum commendavit, ejus uſum præcipiens, in eoque ſtabiliendo multum laborans. | anni 26<br>dies 343 | anni 1207<br>dies 131 | Rex Adelus<br>anni 2 | anni 6707<br>dies 131 |
| | Vacavit Sedes annis 19. menſibus 5. diebus 10. qui adduntur ad Summam. | | | | |
| LXXV. | Cyrillus Laklaki filius creatus eſt die Dominica, vigeſima tertia Payni, anno 951. Obiit feria tertia, die 14. Phamenoth anno 959. in monaſterio, quod Sciamaæ, hoc eſt, Ceræ appellant, ibique ſepultus eſt. Erat vir doctus, ſapiens, ac multæ peritiæ; ſed congregandis opibus & muneribus pro manus Impoſitione accipiendis deditus. Quamobrem nonnulli conſpiratione adverſus eum facta, in ſummo illum contemptu habuere, traxeruntque eum ad tribunal Vicarii Regii, & Judicum, & Præfecti provinciæ Moinadini filii Sichi, multaruntque eum pluſquam duodecim millibus aureorum diverſis vicibus. | anni 7<br>dies 269 | anni 1234<br>dies 194 | Rex Salechus. | anni 6734<br>dies 194 |
| | Vacavit ſedes annis 7. menſibus 7. minus tribus diebus, qui adduntur ad ſummam. | | | | |
| LXXVI. | Athanaſius filius Colaili, Archipresbyter Eccleſiæ Moallaxæ in Cairo, creatus eſt die Dominica, quinta Paopli, anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Fuit vir juſtus, bonus, ac humilis. | | | | |

# APPENDIX
## AD ILLUSTRATIONEM
# CHRONICI ORIENTALIS.

I.

Tabulæ Chronologicæ Abulpharagii ab Orbe condito ad excidium Hieroſolymitanum.

II.

Patriarcharum Alexandrinorum ſeries ad præſentem diem perducta.

III.

Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum ſeries, a Severo ad præſentem diem.

IV.

De Arabum origine ac religione.

V.

Series Chalipharum, Regum Ægypti, ac Soltanorum Turcorum.

Digitized by Google

I.

# GREGORII ABULPHARAGII
## BARHEBRÆI
### PRIMATIS ORIENTIS
## TABULÆ CHRONOLOGICÆ
### *Ab Orbe Condito uſque ad Excidium Hieroſolymitanum.*

## TABULA PRIMA
### Ab Adamo ad Moyſen.

| | *TABULA PATRUM AB ADAMO AD MOISEN, & Anni eorum, juxta Verſionem ſeptuaginta, qua Græci, cæterique Chriſtiani populi utuntur, præter Syros, quorum Biblia cum Hebræis concordant.* | *Summa Annorum.* | *Genuit, annos natur.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| I. | Juxta Hebraicum Textum, cui Syriaca verſio conſentit, annos natus 130. genuit Seth. Fortaſſe ut oſtenderent, nondum adveniſſe tempus, quo Chriſtus naſceretur, ſubtraxere Judæi annos centum ex ſingulis Patribus, ſcripturas confundentes. Vixitque Adam, poſtquam genuit Seth, juxta Græcum ann. 700. Juxta Hebraicum vero & Syriacum, ann. 800. Omnes ejus dies juxta Græcum, Hebraicum, & Syriacum, ann. 930. Annorum autem ab Orbe condito initium deſumitur a prima die Niſan, quæ fuit feria prima: Adam vero creatus eſt die ſexta ejuſdem menſis, quæ erat feria ſexta, eademque die peccavit, & ejectus fuit e Paradiſo ipſe & uxor ejus. Cumque inde exiiſſet, genuit duos filios Cain, ſcilicet, & Abel. Inſurrexitque Cain adverſus Abel, & occidit eum. Poſthæc genuit Seth. | 230 | 230 | Adam primus homo. |
| II. | Juxta Hebraicum & Syriacum, annos natus 105. Vixit autem, poſtquam genuit, juxta Græcum quidem ann. 707. Juxta Hebraicum vero & Syriacum, 800. Omnes dies ejus juxta Græcum, 905. Ut ſapiens Pareton ſcribit, Seth primus litteras & linguam Hebraicam invenit. | 435 | 205 | Seth. |

| | *TABULA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen.* | *Summa annorum.* | *Genuit annos natus.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| III. | Juxta Hebraicum & Syriacam, anno ætatis 90. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 717. juxta Hebr. & Syriacum ann. 817. Omnes dies ejus juxta Græc. & Hebraic. 905. Hic propter ſuam præſtantiam, Elohim, hoc eſt, divinus, appellatus fuit. | 625 | 190 | Enos. |
| IV. | Juxta Hebraic. & Syr. anno ætatis 30. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 740. juxta Hebr. & Syr. 840. Omnes dies ejus juxta Græc. & Hebr. 910. | 795 | 130 | Cainan. |
| V. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 65. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 730. juxta Hebr. 830. Omnes dies vitæ ejus juxta Græc. & Hebr. 895. | 960 | 165 | Malaleel. |
| VI. | Hic Textus Hebraicus cum Græco concordat. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. ann. 800. Omnes dies ejus, ann. 962. | 1122 | 162 | Jared. |
| VII. | Juxta Hebr. & Syr. ann. 65. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 200. juxta Hebr. & Syr. ann. 300. Omnes dies ejus juxta Græc. & Hebr. 365. | 1287 | 165 | Henoch. |
| VIII. | Item juxta Hebr. anno ætar. 187. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. ann. 782 Omnes dies ejus juxta Græc. & Hebr. 969. In quodam exemplari Græco legitur, Mathuſale genuiſſe anno ætatis 167. ſed non recte: alioquin viginti anni ex ejus ætate deſiderarentur; pater autem, hunc errorem vitio primi ſcriptoris accidiſſe. | 1474 | 187 | Mathuſale. |
| IX. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætar. 182. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 565. juxta Hebr. & Syr. 595. Omnes dies ejus juxta Græc. 703. juxta Hebr. 777. Ejus tempore deſcenderunt filii Elohim ad filias Cain, & commixtum eſt ſemen benedictum cum ſemine nequam. | 1662 | 188 | Lamech. |
| X. | Item juxta Hebr. & Syr. ann. ætat. 500. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. 450. poſt diluvium annis 350. anno enim ætatis ejus 600. contigit diluvium. Omnes dies ejus juxta Græc. & Hebr. ann. 950. | 2162 | 500 | Noe. |

| | TABULA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen. | Summa Annorum | Genuit annos natus. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XI. | Item juxta Hebr. & Syr. anno ætat. 100. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. ann. 500. | 2262 | 100 | Sem. |
| XII. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætat. 35. Vixitque poſtquam genuit Cainan, juxta Græc. annos 330. juxta Hebr. & Syr. poſtquam genuit Sale, annos 403. | 2397 | 135 | Arphaxad. |
| XIII. | Ita ſentiunt Chronologi · nam in exemplari, quod apud Græcos eſt, dicitur genuiſſe anno ætatis 130 dumtaxat. At vero in ſcriptura, quam Syri tenent, neque hujus Cainan reperitur, ſed Lucas Evangeliſta nomen ejus commemorat in Genealogia Chriſti. Vixit autem, poſtquam genuit, annos 430. | 2532 | 135 | Cainan. |
| XIV. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 30. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. ann. 430. juxta Hebr. & Syr. ann. 403. | 2662 | 130 | Sale. |
| XV. | Juxta Hebr. & Syr. ann. ætat. 34. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. 430. Dicuntur Hebræi de ejus nomine appellati fuiſſe. Sed verius affirmatur ab Abraham, qui Euphratem fluvium pertranſiit, Hebræorum, h. e. tranſeuntium nomen derivatum fuiſſe. | 2796 | 134 | Heber. |
| XVI. | Juxta Hebr. anno ætatis 30. Vixitque juxta Hebr. & Græc. annos 209. Ejus tempore diviſæ ſunt linguæ, cum congregati eſſent homines, ut ædificarent turrim, cujus altitudo cælum pertingeret. | 2926 | 130 | Phaleg. |
| XVII. | Juxta Hebr. 32. Vixitque juxta Hebr. & Græc. annos 207. Ejus tempore extitit primus Rex Babylone Nemrod gigas, & in Ægypto Ponyphos quem & vocabant Meſraim de nomine Meſraim eo- | 3058 | 132 | Reu |

| | *TABULA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen.* | *Summa Annorum.* | *Genuit, annos natus.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| | rum parentis: cœperuntque homines bellicis inſtrumentis uti. | | | |
| XVIII. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 30. Vixitque poſt-quam genuit, juxta Græc. & Hebr. ann. 220. Ab hoc fertur Idololatria initium habuiſſe, atque adeo nomen vanitatis ſortitus eſt. Ejuſdem tempore moneta inventa eſt, & auri, argentique opera fieri cœperunt: item menſuræ & pondera invecta ſunt. | 3188 | 130 | Sarug. |
| XIX. | Juxta Hebr. 29. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. annos 129. juxta Hæbr. & Syr. ann. 119. Ejus tempore in Ægyptum invecti libri, & dogmata Chaldæorum: magia quoque, & divinationes. Item ædificatæ ſunt Sodoma & Gomorrha. | 3267 | 79 | Nachor. |
| XX. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 75. Per id tempus Heſton frater Thare bellum movet Cheſtoni regi Babylonis, eumque interfecit, deſiitque Rex Babylone: regnavitque primus Aſſyriorum rex Belus, qui multas Civitates condidit. Hinc vero deinceps ſibi conſentiunt in ſcriptura Græci, Syri, & Hebræi. | 3337 | 70 | Thare. |
| XXI. | Vixit annis 175. Anno autem ætatis ejus 50. ædificata eſt Hieruſalem a Melchiſedech. Anno 71. initium belli fuit inter Chodorlahomor cum Regibus regionis Sodomorum. Anno 75. præcepit ei Deus, ut exiret de domo patris ſui, pepigitque fœdus cum eo & cum ſemine ejus. Atque hinc incipiunt anni 430. quibus filii Iſrael ſervierunt in Ægypto. Anno 86. duxit Hagar Ægyptiam, genuitque ex ea Iſmaelem: & ante biennium obtulit Sacrificium Capræ & turturis. Anno autem 99. circumcidit carnem præputii ſui, & Iſmaelis, qui annum agebat 13. | 3437 | 100 | Abraham. |
| XXII. | Vixit annos 180. Anno autem ætatis 16. ductus eſt a Patre, ut immolaretur in monte Amorrhæorum. Anno vero 37. mortua eſt Sara ejus mater, cum vixiſſet annos 127. Anno demum 40. duxit Rebeccam. | 3497 | 60 | Iſaac. |

| | *TABULA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen.* | Summa Annorum. | Genuit, annos, natus. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XXIII. | Vixit annos 147. Anno autem ætatis 84. duxit Liam, & anno 91. Rachelem, quæ anno poſt genuit ei Joſephum. Hic vero venditus fuit a fratribus anno ætatis 17. deſcenditque in Ægyptum annos natus 24. & vixit annos 100. | 3584 | 87 | Jacob. |
| XXIV. | Vixit annos 137. Anno autem ætatis ejus 44. deſcendit Jacob cum omni ſemine ſuo in Ægyptum: manſeruntque in Ægypto univerſim annis 415. | 3629 | 45 | Levi. |
| XXV. | Vixit annos 133. natus fuit autem quadriennio poſtquam in Ægyptum ingreſſi ſunt, etſi in Geneſi dicatur cum Levi ingreſſus fuiſſe Caath in Ægyptum. | 3692 | 63 | Caath. |
| XXVI. | Vixit annos 137. Anno ætatis ejus ſexto obiit Joſeph in Ægypto. Atque exinde fuerunt Iſraelitæ in ſervitute Ægypti annis 147. | 3762 | 70 | Amram. |
| XXVII. | Anno ætatis 10. litteris excolendus traditur, Joannes autem ex Jambres docebant eum ſapientiam Ægyptiorum, magiam ſcilicet & veneficium, ut oſtendit Artemonius ſapiens. Anno ætatis 40. fugit in Arabiam ad Raguelem Madianitam, cujus filiam Sephoram duxit uxorem. Anno 80. apparuit ei Deus in monte Sinai, eodemque anno eduxit filios Iſrael ex illa terra. Anno poſt commiſit bellum cum Amalec. manſit autem Moyſes in Ægypto annis 40. totidemque in deſerto; Generationes itaque Patrum hucuſque ſunt juxta Græcum quidem 27. juxta Syrum vero 26. Hinc vero deinceps non per generationes, ſed per Judices Regeſque anni ducentur. | 3882 | vixit annis. 120. | Moyſes. |
| | | | | |

# TABULA SECUNDA

## A Joſue filio Nun primo Judice, uſque ad Saul primum Regem.

| | *TABULA JUDICUM.* | *Summa Annorum.* | *Judicavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| I. | Anno decimo diviſit populo terram promiſſionis. Per id tempus Trochilus inter Græcos currum primus jungit: & filii Lot ex Chanatæis multos occidunt. | 3909 | 27 | Joſue filius Nun. |
| II. | Hoc tempore Curetes & Corybantes in Cnoſſo fuere, qui pulchram in armis ſaltationem repetere. Apud Hebræos vero claruit Phinees Sacerdos. | 3917 | 8 | Chuſan impius. |
| III. | Frater Chaleb ex tribu Juda. Ejus tempore fuit Diluvium in Theſſalia ſub Deucalione. Perhibent autem Græci, Deucalionem ante Diluvium omnia diſpoſuiſſe, ſicut Noe. | 3957 | 40 | Othoniel filius Cenez. |
| IV. | Ædificata eſt Urbs Corinthus, & tribunal Judicum Athenis conſtitutum, quod dicitur Areopagus. Hercules, & Dionyſius clari habentur. | 3975 | 18 | Moabitæ. |
| V. | De tribu Beniamin. Hic occidit Eglonem regem Moabitarum. Buſitis vicina Nilo loca incolens, tranſeuntes hoſpites interficiebat. Linus muſicus Thebanus clarus habetur. | 4055 | 80 | Ahod filius Gera. |
| VI. | Ipſe eſt Jabin, & Siſara dux exercitus ejus, habebatque nongentos currus falcatos: antequam autem rerum potiretur Nabin, Samgar filius Anot claruit liberavitque Iſrael, occiditque ex Philiſtæis ſexcentos viros ſtimulo bovis. | 4075 | 20 | Nabin Rex Chanaan. |
| VII. | Debora prophetiſſa ex tribu Ephraim, & Barac ex tribu Nephtali, qui cum decem millibus commiſit bellum cum Siſara, & occidit eum. Per id tempus, ut narrant Ethnici, Jupiter Rheæ auro corruptæ mixtus, ex ea genuit Perſeum, qui ob ſuam levitatem volare dicitur. | 4115 | 40 | Debora, & Barac. |

Digitized by Google

| | *TABULA JUDICUM.* | Summa annorum | Judicavit annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| VIII. | Præ multitudine pecorum ſuorum totam Iſraelis terram corrumpebant. Ganymedes a diis raptus, ut Jovis pincerna eſſet. Angelus Domini apparuit Gedeoni, cumque confortavit, ut liberaret filios populi ſui. | 4122 | 7 | Madianitæ |
| IX. | Filius Joas ex tribu Manaſſe, cum eduxiſſet triginta duo millia militum, ut Madianitas aggrederetur, trecentos ex eis viros elegit Deus, ut per illos ſalus fieret. Perſeus ad Perſarum terram abiit, præciditque caput Gorgonis meretricis, quæ propter eximiam pulchritudinem efficiebat, ut qui ipſam intuerentur, lapides viderentur, quemadmodum oſtendit Didymus ſapiens. | 4162 | 40 | Gedeon. |
| X. | Cum bellum committeret ad Thaas, interfecit illum mulier fragmento molæ de mœnibus jacto, & malum ei retributum fuit, quod ſeptuaginta fratres ſuos occidiſſet. | 4165 | 3 | Abimelech |
| XI. | Anno ejus 21. Tarſus civitas ædificata eſt, & Dionyſius Indos domuit, ædificavitque Nyſam urbem ad Indum fluvium. | 4188 | 23 | Thola filius Phua. |
| XII. | Hic habebat triginta Oppida, & triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum. Cyzicum urbs ad mare condita. Hercules cum Jove patre acre bellum commiſit. | 4210 | 22 | Jair Galaadites. |
| XIII. | Anno horum 13. Tyrus. Civitas condita. Filios autem Iſrael vehementer opprimebant, abieruntque Galaaditæ, & revocarunt Jephte, poſtquam eum ejeciſſent. | 4228 | 18 | Ammonitæ |
| XIV. | Hic pro victoria quidquid ex domo ſua obvium haberet, cum illuc regrederetur, Deo ſe immolaturum vovit. Exiit autem in occurſum ejus unica filia, cui fecit quod dixerat. | 4234 | 6 | Jephte Galaadites. |
| XV. | Ex Bethlehem. Habebat autem triginta filios & triginta filias, quas maritis dedit, & introduxit triginta nurus triginta filiis ſuis. | 4241 | 7 | Abeſan, qui & Nabaſſon. |

| | *TABULA JUDICUM.* | *Summa Annorum.* | *Judicavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| XVI. | Per id tempus Ilium urbs magna everſa fuit poſt decem annorum bellum propter Helenam uxorem Menelai regis, quam rapuerat Alexander Paris filius Priami Regis Ilii: quem cum Menelaus occidiſſet, duxit Helenam & abiit, poſtquam tres filios illa genuiſſet, ut ſcribit Juſtinus ſapiens. | 4251 | 10 | Allon ex Zabulon |
| XVII. | Hic quadraginta filios habuit, ac triginta ex eis nepotes, qui aſcendebant ſupra ſeptuaginta pullos aſinarum. | 4259 | 8 | Aphron, qui & Abdon. |
| XVIII. | Cum peccaſſent filii Iſrael, tradidit eos Dominus in manus Philiſtæorum quadraginta annis. | 4299 | 40 | Philiſtei. |
| XIX. | Occidit ingentem multitudinem Philiſtæorum: ac demum per mulierem, quam adamaverat, traditus fuit in manus eorum, qui oculos ejus eruerunt. | 4319 | 20 | Samſon Nazaræus. |
| XX. | Hoc tempore unuſquiſque quod in oculis ſuis gratum erat, id faciebat. Acciditque factum Michæ, & furtum idoli, & ſciſſio cadaveris uxoris. Leviræ autem habebant poteſtatem maris. | 4331 | 12 | Sine Judicibus. |
| XXI. | Factus eſt in Silo, anno ætatis 38. Vixit autem annos 78. Anno vero regiminis ejus 18. natus eſt Samuel, & anno 20. oblatus fuit Domino ab Anna matre. | 4371 | 40 | Heli. |
| XXII. | Factus eſt pro Heli, cum eſſet annorum 22. eodemque anno fracta eſt cervix Heli, & ducta eſt Arca Domini a Philiſtæis: cumque ferre non poſſent, ut illa apud ſe maneret, remiſerunt eam cum honore, & fuit in domo Aminadab in Gabaa annis 70. uſque ad annum decimum David. | 4391 | 20 | Samuel. |
| XXIII. | Anno regni ſui tertio commiſit bellum cum Amalec, & victoriam reportavit. Anno 10. natus eſt David filius Iſai ex Nahas. Anno 23. Saulis unctus fuit David a Samuele, cum eſſet annorum 13. | 4411 | 20 | Saul filius Cis. |

# TABULA TERTIA

## Reges Juda.

| | *TABULA REGUM.* | *Summa Annorum.* | *Regnavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| I. | Filius Cis de tribu Benjamin, exactis a morte Heli viginti annis, poſtularunt Regem filii Iſrael, deditque eis Regem Samuel. Anno regni ſui tertio vicit Amalec. Anno 28. occidit david Goliat. Anno 31. prophetavit Saul cum prophetis. Anno 35. obiit Samuel: & poſt annos 5. mortuus eſt & Saul in bello cum Philiſtæis. | 4431 | 40 | Saul. |
| II. | Mortuo Saul conſtituerunt filii Juda David regem in Hebron annis 7. qui iterum unctus fuit, regnavitque in Hieruſalem ſuper univerſum Iſrael. Ejus diebus prophetarunt Gad, Nathan, & Aſaph: erat autem ſummus ſacerdos Abiathar. | 4471 | 40 | David. |
| III. | Salomon anno 4. regni ſui cœpit ædificare templum, quod abſolvit poſt annos 7. Erant prophetæ Nathan, & Ahias, ſummuſque Sacerdos Sadoc. Anno 34. ædificavit fanum Chamos, & Melchom: fugitque Jeroboam filius Nabat ad Seſac. | 4511 | 40 | Salomon. |
| IV. | Anno primo regni ſui cum audire noluiſſet conſilium ſenum, diviſum eſt regnum ejus, regnavitque Jeroboam ſervus ejus in Tharſa ſuper decem tribus, remanſitque ei tribus Juda, & Benjamin. Prophetavit autem propheta ille, qui venit in Bethel, de Joſia filio Ammon ante trecentos annos. | 4528 | 17 | Roboam. |
| V. | Congregavit exercitum & pugnavit cum Jeroboam, vicitque eum. Accepit autem Abia uxores 14. genuitque filios 26. & filias 16. | 4531 | 3 | Abia. |
| VI. | Ejus diebus regnavit ſuper Iſrael Nadab, deinde Baaſa, deinde Zamri ſervus ejus: tum diviſus fuit populus, & pars quidem ſequebatur Thabni, pars autem Amri. Aſcenditque contra eum Zara Chuſæus cum millibus millium Nubiorum, & ſuperatus eſt. | 4572 | 41 | Aſa. |

| | TABULA REGUM. | Summa Annorum. | Regnavit Annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| VII. | Ejus diebus regnavit ſuper Iſrael Achab, qui uxorem duxit Jezabel filiam Regis Sidoniorum, ædificavitque Jericho urbem, cui maledixerat Joſue filius Nun, & mortuus eſt: regnavitque Ochozias filius ejus poſt eum. Prophetæ erant Elias & Abdias, præfectus exercitus Achab. | 4597 | 25 | Joſaphat. |
| VIII. | Hic duxit Athaliam ſororem Achab, occiditque omnes fratres ſuos; & fluxerunt interiora ejus mortuuſque eſt: Anno ejus ſecundo Joram filius Achab, mortuo Ochozia fratre abſque filiis, regnavit ſuper Iſrael. | 4605 | 8 | Joram. |
| IX. | Eodem quo regnavit anno, unctus eſt Jehu filius Jamſi ab Eliſæo Rex ſuper Iſrael, occiditque Joram filium Achab regis Iſrael, necnon Ochoziam regem Juda. | 4606 | 1 | Ochozias. |
| X. | Hæc mortuo Ochozia filio, occidit omnes filios regis præter Joas filium filii ſui, qui ea occiſa regnavit in locum ejus. | 4613 | 7 | Athalia mater ejus. |
| XI. | Hic malum retribuit domui Jojadæ Sacerdotis, qui ipſum abſconderat ab Athalia interfectrice, & regnare fecerat; occidit autem Zachariam filium Jojadæ, & reliquos ejus filios. Ipſum vero occiderunt ſervi ejus. | 4653 | 40 | Joas. |
| XII. | Ejus diebus regnavit Joas ſuper Iſrael, congregatoque exercitu, in eum bellum movit, perrupitque murum Hieruſalem quadringentis cubitis, diripuitque vaſa domus Domini, & Regis. Sed & ipſum Amaſiam occiderunt ſervi ejus. | 4682 | 29 | Amaſias. |
| XIII. | Hic auſus eſt ponere incenſum, & lepra percuſſus eſt: defecitque ab Iſaia prophetia, eo quod illum non arguiſſet, annis 28. Ejus diebus pœnitentiam egit Ninive, & occiſus eſt Zacharias filius Barachiæ in templo. | 3497 | 52 | Ozias. |

Ejus

| | T A B U L A R E G U M. | *Summa annorum.* | *Regnavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| XIV. | Ejus diebus prophetabant Iſaias, Oſee, Michæas, & Joel. Homerus quoque poeta clarus habebatur: & Rhodus inſula ædificata eſt. | 4750 | 16 | Joatham. |
| XV. | Coluit idola, & corrupit decorem templi. Cumque diripuiſſent ejus regionem Baſan rex Syriæ & Phacee rex Iſrael, venit in adjutorium ejus Teglatphalaſar rex Ninives, & occidit Raſan, accepitque magnam auri ſummam ab Achaz, & reverſus eſt. | 4766 | 16 | Achaz. |
| XVI. | Aſcendit contra eum Sennacherib rex Aſſyriæ: cumque audiſſet, Tarhac regem Chus in ſuam regionem veniſſe, occurrit ei vicitque eum: reverſuſque, caſtra metatus eſt apud Hieruſalem: occidit autem Angelus de Aſſyriis 185. millia: At ille relicta Hieruſalem, rediit in regionem ſuam, occideruntque eum filii ejus. | 4795 | 29 | Ezechias. |
| XVII. | Hic Babylonem ductus eſt, manſitque ibi annis 37. Cumque oraſſet, rediit ad regnum ſuum, & idolum quod quatuor facies habebat, eduxit ex templo. Ejus diebus ædificata eſt urbs Byzantium, quam poſt annos 970. inſtauravit Conſtantinus fidelis Imperator, deque ſuo illam nomine appellavit. | 4850 | 55 | Manaſſes. |
| XVIII. | Juxta Librum Regum, annis 2. Sed juxta Chronologos, annis 12. coluitque idola gentium, occideruntque eum ſervi ejus. | 4862 | 12 | Amon. |
| XIX. | Combuſſit Sacerdotes idolorum cum altaribus ſuis, juxta prophetiam, quæ de ipſo fuerat: habuitque tres filios: Joachaz, quem Pharao claudus vinctum duxit in Ægyptum, ibique mortuus eſt: Eliacim, qui & Joakim; & Sedeciam, cujus oculos eruit Nabuchodonoſor. In fine anni ejus 13. cœpit prophetare Hieremias propheta. | 4893 | 31 | Joſias. |
| XX. | Hunc Salom vocat Hieremias propheta: cumque eum Pharao claudus vinctum duxiſſet in Ægyptum, conſtituit pro eo fratrem ejus Eliacim, qui & Joakim appellatus eſt. | menſes 3 | cum annis Joakim anni ejus numerantur. | Joachaz. |

| | *TABULA REGUM.* | *Summa Annorum.* | *Regnarunt annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| XXI. | Anno ejus tertio aſcendit Nabuchodonoſor in Hieruſalem, diripuitque vaſa templi, ejuſque filios Ananiam, Azariam, & Miſaelem, & Danielem filium Jechoniæ filii ejus. Anno autem octavo ejuſdem iterum aſcendit, indixitque tributum Joakimo, & reverſus eſt | 4904 | 11 | Joakim. |
| XXII. | Ipſe eſt Joachin pater Danielis prophetæ. Illum autem captivum duxit Nabuchodonoſor, cum tertio veniſſet, & in vincula conjecit eum annis 37, & conſtituit pro eo Sedeciam patruum ejus. | menſes 3 | numerantur cum annis ſedecim. | Jechonias |
| XXIII. | Anno ejus nono aſcendit quarto Nabuchodonoſor in Hieruſalem, & obſedit eam duobus annis; Cumque expugnaſſet eam, eruit oculos Sedeciæ, eo quod violato juramento rebellaſſet in ipſum. | 4915 | 11 | Sedecias. |

# TABULA QUARTA.

## De Septuaginta Hebdomadibus Danielis prophetæ, reliquiſque Hebræorum geſtis ab eo tempore, quo templum per Nabuchodonoſor combuſtum fuit, uſque ad poſtremum ejus Excidium per Veſpaſianum.

| | *REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt.* | *Summa Annorum.* | *Regnarunt annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| I. | Poſtquam Hieroſolymam quarto veniſſet, eamque diripuiſſet, templumque incendiſset, hoc eſt, anno regni ejus vigeſimo primo, idem regnavit alios 24. annos. Venit autem & quinto, expugnavitque Tyrum, & occidit Hiramum: Ægypto quoque poritus eſt. | 4939 | 24 | Nabuchodonoſor. |
| II. | Eduxit Jechoniam de Carcere, manducavitque cum eo ad ejus menſam. | 4940 | 1 | Evilmerodach. |
| III. | Fecit grande convivium, & bibit in vaſis miniſterii Domini: ſtatimque egreſſa eſt palma manus, ſcribens ſententiam ejus in pariete: eademque nocte occiderunt eum ſervi ejus. | 4942 | 2 | Balthaſſar ejus frater. |
| IV. | Anno primo, quo regnavit ſuper Chaldæos, orabat Daniel, & venit ad eum Gabriel Angelus, dixitque ei de Hebdomadibus: Eodemque tempore miſſus eſt Daniel in lacum leonum, nec ullam noxam ſubiit. | 4945 | 3 | Darius medus. |
| V. | Initio regni ſui eduxit e captivitate quinque myriades, præcepitque, ut ædificarent templum Domino. Ab hoc autem tempore Interpretes numerant ſeptuaginta hebdomadas Danielis: ſed minus recte: quoniam centum tredecim anni ſuperſunt uſque ad annum quartum Caii, quo Templum pollutum eſt. | 4975 | 30 | Cyrus Perſa. |
| VI. | Anno ſexto regni ſui expugnavit Ægyptum: eoque mortuo regnarunt duo fratres magi, menſibus ſeptem, qui cum annis Darii numerantur. | 4983 | 8 | Cambyſes ejus filius. |

| | TABULA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen. | Summa Annorum. | Genuit, annos, natus. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| | cum patentis: cœperuntque homines bellicis inſtrumentis uti. | | | |
| XVIII. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 30. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. & Hebr. ann. 220. Ab hoc ferunt Idololatria initium habuiſſe, atque adeo nomen vanitatis ſortitus eſt. Ejuſdem tempore moneta inventa eſt, & auri, argentique opera fieri cœperunt: item menſuræ & pondera invecta ſunt. | 3188 | 130 | Sarug. |
| XIX. | Juxta Hebr. 29. Vixitque poſtquam genuit, juxta Græc. annos 129. juxta Hæbr. & Syr. ann. 119. Ejuſtempore in Ægyptum invecti libri, & dogmata Chaldæorum: magia quoque, & divinationes. Item ædificatæ ſunt Sodoma & Gomorrha. | 3267 | 79 | Nachor. |
| XX. | Juxta Hebr. & Syr. anno ætatis 75. Per id tempus Heſron frater Thare bellum movet Cheſroni regi Babylonis, eumque interfecit, deſiitque Rex Babylone: tegnavitque primus Aſſyriorum rex Belus, qui multas Civitates condidit. Hinc vero deinceps ſibi conſentiunt in ſcriptura Græci, Syri, & Hebræi. | 3337 | 70 | Thare. |
| XXI. | Vixit annis 175. Anno autem ætatis ejus 50. ædificata eſt Hieruſalem a Melchiſedech. Anno 71. initium belli fuit inter Chodorlahomor cum Regibus regionis Sodomorum. Anno 75. præcepit ei Deus, ut exiret de domo patris ſui, pepigitque fœdus cum eo & cum ſemine ejus. Atque hinc incipiunt anni 430. quibus filii Iſrael ſervierunt in Ægypto. Anno 86. duxit Hagar Ægyptiam, genuitque ex ea Iſmaelem: & ante biennium obtulit Sacrificium Capræ & turturis. Anno autem 99. circumcidit carnem præputii ſui, & Iſmaelis, qui annum agebat 13. | 3437 | 100 | Abraham. |
| XXII. | Vixit annos 180. Anno autem ætatis 16. ductus eſt a Patre, ut immolaretur in monte Amorrhæorum. Anno vero 37. mortua eſt Sara ejus mater, cum vixiſſet annos 127. Anno demum 40. duxit Rebeccam. | 3497 | 60 | Iſaac. |

| | *TABVLA PATRUM AB ADAMO ad Moyſen.* | Summa Annorum. | Genuit, annos, natus. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XXIII. | Vixit annos 147. Anno autem ætatis 84. duxit Liam, & anno 91. Rachelem, quæ anno poſt genuit ei Joſephum. Hic vero venditus fuit a fratribus anno ætatis 17. deſcenditque in Ægyptum annos natus 24. & vixit annos 100. | 3584 | 87 | Jacob. |
| XXIV. | Vixit annos 137. Anno autem ætatis ejus 44. deſcendit Jacob cum omni ſemine ſuo in Ægyptum: manſeruntque in Ægypto univerſim annis 415. | 3629 | 45 | Levi. |
| XXV. | Vixit annos 133. natus fuit autem quadriennio poſtquam in Ægyptum ingreſſi ſunt, etſi in Geneſi dicatur cum Levi ingreſſus fuiſſe Caath in Ægyptum. | 3692 | 63 | Caath. |
| XXVI. | Vixit annos 137. Anno ætatis ejus ſexto obiit Joſeph in Ægypto. Atque exinde fuerunt Iſraelitæ in ſervitute Ægypti annis 147. | 3762 | 70 | Amram. |
| XXVII. | Anno ætatis 10. litteris excolendus traditur; Joannes autem ex Jambres docebant eum ſapientiam Ægyptiorum, magiam ſcilicet & veneficium, ut oſtendit Artemonius ſapiens. Anno ætatis 40. fugit in Arabiam ad Raguelem Madianitam, cujus filiam Sephoram duxit uxorem. Anno 80. apparuit ei Deus in monte Sinai, eodemque anno eduxit filios Iſrael ex illa terra. Anno poſt commiſit bellum cum Amalec. manſit autem Moyſes in Ægypto annis 40. totidemque in deſerto; Generationes itaque Patrum hucuſque ſunt juxta Græcum quidem 27. juxta Syrum vero 26. Hinc vero deinceps non per generationes, ſed per Judices Regeſque anni ducentur. | 3882 | vixit annis. 120. | Moyſes. |

# TABULA SECUNDA

## A Joſue filio Nun primo Judice, uſque ad Saul primum Regem.

| | *TABULA JUDICUM.* | *Summa Annorum.* | *Judicavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| I. | Anno decimo diviſit populo terram promiſſionis. Per id tempus Trochilus inter Græcos currum primus jungit: & filii Lot ex Chanatæis multos occidunt. | 3909 | 27 | Joſue filius Nun. |
| II. | Hoc tempore Curetes & Corybantes in Cnoſſo fuere, qui pulchram in armis ſaltarionem reperere. Apud Hebræos vero claruit Phinees Sacerdos. | 3917 | 8 | Chuſan impius. |
| III. | Frater Chaleb ex tribu Juda. Ejus tempore fuit Diluvium in Theſſalia ſub Deucalione. Perhibent autem Græci, Deucalionem ante Diluvium omnia diſpoſuiſſe, ſicut Noe. | 3957 | 40 | Othoniel filius Cenez |
| IV. | Ædificata eſt Urbs Corinthus, & tribunal Judicum Athenis conſtitutum, quod dicitur Areopagus. Hercules, & Dionyſius clari habentur. | 3975 | 18 | Moabitæ. |
| V. | De tribu Beniamin. Hic occidit Eglonem regem Moabitarum. Buſiris vicina Nilo loca incolens, tranſeuntes hoſpites interficiebat. Linus muſicus Thebanus clarus habetur. | 4055 | 80 | Abod filius Gera. |
| VI. | Ipſe eſt Jabin, & Siſara dux exercitus ejus, habebatque nongentos currus falcatos: antequam autem rerum potiretur Nabin, Samgar filius Anot claruit liberavitque Iſrael, occiditque ex Philiſtæis ſexcentos viros ſtimulo bovis. | 4075 | 20 | Nabin Rex Chanaan. |
| VII. | Debora propheriſſa ex tribu Ephraim, & Barac ex tribu Nephtali, qui cum decem millibus commiſit bellum cum Siſara, & occidit eum. Per id tempus, ut narrant Ethnici, Jupiter Rheæ auro corruptæ mixtus, ex ea genuit Perſeum, qui ob ſuam levitatem volare dicitur. | 4115 | 40 | Debora, & Barac. |

| | TABULA JUDICUM. | Summa annorum | Judicavit annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| VIII. | Præ multitudine pecorum ſuorum totam Iſraelis terram corrumpebant. Ganymedes a diis raptus, ut Jovis pincerna eſſet. Angelus Domini apparuit Gedeoni, cumque confortavit, ut liberaret filios populi ſui. | 4122 | 7 | Madianitæ |
| IX. | Filius Joas ex tribu Manaſſe, cum eduxiſſet triginta duo millia militum, ut Madianitas aggrederetur, trecentos ex eis viros elegit Deus, ut per illos ſalus fieret. Perſeus ad Perſarum terram abiit, præciditque caput Gorgonis meretricis, quæ propter eximiam pulchritudinem efficiebat, ut qui ipſam intuerentur, lapides viderentur, quemadmodum oſtendit Didymus ſapiens. | 4162 | 40 | Gedeon. |
| X. | Cum bellum committeret ad Thaas, interfecit illum mulier fragmento molæ de mœnibus jacto, & malum ei retributum fuit, quod ſeptuaginta fratres ſuos occidiſſet. | 4165 | 3 | Abimelech |
| XI. | Anno ejus 21. Tarſus civitas ædificata eſt, & Dionyſius Indos domuit, ædificavitque Nyſam urbem ad Indum fluvium. | 4188 | 23 | Thola filius Phua. |
| XII. | Hic habebat triginta Oppida, & triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum. Cyzicum urbs ad mare condita. Hercules cum Jove patre acre bellum commiſit. | 4210 | 22 | Jair Galaadites. |
| XIII. | Anno horum 13. Tyrus. Civitas condita. Filios autem Iſrael vehementer opprimebant, abieruntque Galaaditæ, & revocarunt Jephte, poſtquam eum ejeciſſent. | 4228 | 18 | Ammonitæ |
| XIV. | Hic pro victoria quidquid ex domo ſua obvium haberet, cum illuc regrederetur, Deo ſe immolaturum vovit. Exiit autem in occurſum ejus unica filia, cui fecit quod dixerat. | 4234 | 6 | Jephte Galaadites. |
| XV. | Ex Bethlehem. Habebat autem triginta filios & triginta filias, quas maritis dedit, & introduxit triginta nurus triginta filiis ſuis. | 4241 | 7 | Abeſan, qui & Nabaſon. |

| | TABULA JUDICUM. | Summa Annorum. | Judicavit annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XVI. | Per id tempus Ilium urbs magna everſa fuit poſt decem annorum bellum propter Helenam uxorem Menelai regis, quam rapuerat Alexander Paris filius Priami Regis Ilii: quem cum Menelaus occidiſſet, duxit Helenam & abiit, poſtquam tres filios illa genuiſſet, ut ſcribit Juſtinus ſapiens. | 4251 | 10 | Allon ex Zabulon |
| XVII. | Hic quadraginta filios habuit, ac triginta ex eis nepotes, qui aſcendebant ſupra ſeptuaginta pullos aſinarum. | 4259 | 8 | Aphron, qui & Abdon. |
| XVIII. | Cum peccaſſent filii Iſrael, tradidit eos Dominus in manus Philiſtæorum quadraginta annis. | 4299 | 40 | Philiſtei. |
| XIX. | Occidit ingentem multitudinem Philiſtæorum: ac demum per mulierem, quam adamaverat, traditus fuit in manus eorum, qui oculos ejus eruerunt. | 4319 | 20 | Samſon Nazaræus. |
| XX. | Hoc tempore unuſquiſque quod in oculis ſuis gratum erat, id faciebat. Accidirque factum Michæ, & furtum idoli, & ſciſſio cadaveris uxoris. Levitæ autem habebant poteſtatem maris. | 4331 | 12 | Sine Judicibus. |
| XXI. | Factus eſt in Silo, anno ætatis 38. Vixit autem annos 78. Anno vero regiminis ejus 18. natus eſt Samuel, & anno 20. oblatus fuit Domino ab Anna matre. | 4371 | 40 | Heli. |
| XXII. | Factus eſt pro Heli, cum eſſet annorum 22. eodemque anno fracta eſt cervix Heli, & ducta eſt Arca Domini a Philiſtæis: cumque ferre non poſſent, ut illa apud ſe maneret, remiſerunt eam cum honore, & fuit in domo Aminadab in Gabaa annis 70. uſque ad annum decimum David. | 4391 | 20 | Samuel. |
| XXIII. | Anno regni ſui tertio commiſit bellum cum Amalec, & victoriam reportavit. Anno 10. natus eſt David filius Iſai ex Nahas. Anno 23. Saulis unctus fuit David a Samuele, cum eſſet annorum 13. | 4411 | 20 | Saul filius Cis. |

Digitized by Google

# TABULA TERTIA

## Reges Juda.

| | *TABULA REGUM.* | Summa Annorum. | Regnavit annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| I. | Filius Cis de tribu Benjamin, exactis a morte Heli viginti annis, poſtularunt Regem filii Iſrael, deditque eis Regem Samuel. Anno regni ſui tertio vicit Amalec. Anno 28. occidit david Goliat. Anno 31. prophetavit Saul cum prophetis. Anno 35. obiit Samuel: & poſt annos 5. mortuus eſt & Saul in bello cum Philiſtæis. | 4431 | 40 | Saul. |
| II. | Mortuo Saul conſtituerunt filii Juda David regem in Hebron annis 7. qui iterum unctus fuit, regnavitque in Hieruſalem ſuper univerſum Iſrael. Ejus diebus prophetarunt Gad, Nathan, & Aſaph: erat autem ſummus ſacerdos Abiathar. | 4471 | 40 | David. |
| III. | Salomon anno 4. regni ſui cœpit ædificare templum, quod abſolvit poſt annos 7. Erant prophetæ Nathan, & Ahias, ſummuſque Sacerdos Sadoc. Anno 34. ædificavit fanum Chamos, & Melchom: fugitque Jeroboam filius Nabat ad Seſac. | 4511 | 40 | Salomon. |
| IV. | Anno primo regni ſui cum audire noluiſſet conſilium ſenum, diviſum eſt regnum ejus, regnavitque Jeroboam ſervus ejus in Tharſa ſuper decem tribus, remanſitque ei tribus Juda, & Benjamin. Prophetavit autem propheta ille, qui venit in Bethel, de Joſia filio Ammon ante trecentos annos. | 4528 | 17 | Roboam. |
| V. | Congregavit exercitum & pugnavit cum Jeroboam, vicitque eum. Accepit autem Abia uxores 14. genuitque filios 26. & filias 16. | 4531 | 3 | Abia. |
| VI. | Ejus diebus regnavit ſuper Iſrael Nadab, deinde Baaſa, deinde Zamri ſervus ejus: tum diviſus fuit populus, & pars quidem ſequebatur Thabni, pars autem Amri. Aſcenditque contra eum Zara Chuſæus cum millibus millium Nubiorum, & ſuperatus eſt. | 4572 | 41 | Aſa. |

| | TABULA REGUM. | Summæ Annorum. | Regnavit Annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| VII. | Ejus diebus regnavit ſuper Iſrael Achab, qui uxorem duxit Jezabel filiam Regis Sidoniorum, ædificavitque Jericho urbem, cui maledixerat Joſue filius Nun, & mortuus eſt: regnavitque Ochozias filius ejus poſt eum. Prophetæ erant Elias & Abdias, præfectus exercitus Achab. | 4597 | 25 | Joſaphat. |
| VIII. | Hic duxit Athaliam ſororem Achab, occiditque omnes fratres ſuos; & fluxerunt interiora ejus mortuuſque eſt: Anno ejus ſecundo Joram filius Acbab, mortuo Ochozia fratre abſque filiis, regnavit ſuper Iſrael. | 4605 | 8 | Joram. |
| IX. | Eodem quo regnavit anno, unctus eſt Jehu filius Jamſi ab Eliſæo Rex ſuper Iſrael, occiditque Joram filium Achab regis Iſrael, necnon Ochoziam regem Juda. | 4606 | 1 | Ochozias. |
| X. | Hæc mortuo Ochozia filio, occidit omnes filios regis præter Joas filium filii ſui, qui ea occiſa regnavit in locum ejus. | 4613 | 7 | Athalia mater ejus. |
| XI. | Hic malum retribuit domui Jojadæ Sacerdotis, qui ipſum abſconderat ab Athalia interfectrice, & regnare fecerat; occidit autem Zachariam filium Jojadæ, & reliquos ejus filios. Ipſum vero occiderunt ſervi ejus. | 4653 | 40 | Joas. |
| XII. | Ejus diebus regnavit Joas ſuper Iſrael, congregatoque exercitu, in eum bellum movit, perrupitque murum Hieruſalem quadringentis cubitis, diripuitque vaſa domus Domini, & Regis. Sed & ipſum Amaſiam occiderunt ſervi ejus. | 4682 | 29 | Amaſias. |
| XIII. | Hic auſus eſt ponere incenſum, & lepra percuſſus eſt: defecitque ab Iſaia prophetia, eo quod illum non arguiſſet, annis 28. Ejus diebus pœnitentiam egit Ninive, & occiſus eſt Zacharias filius Barachiæ in templo. | 3497 | 52 | Ozias. |

Ejus

| | *TABULA REGUM.* | *Summa annorum.* | *Regnavit annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| XIV. | Ejus diebus prophetabant Iſaias, Oſee, Michæas, & Joel. Homerus quoque poeta clarus habebatur: & Rhodus inſula ædificata eſt. | 4750 | 16 | Joatham. |
| XV. | Coluit idola, & corrupit decorem templi. Cumque diripuiſſent ejus regionem Baſan rex Syriæ & Phacee rex Iſrael, venit in adjutorium ejus Teglatphalaſar rex Ninives, & occidit Raſan, accepitque magnam auri ſummam ab Achaz, & reverſus eſt. | 4766 | 16 | Achaz. |
| XVI. | Aſcendit contra eum Sennacherib rex Aſſyriæ: cumque audiſſet, Tarhac regem Chus in ſuam regionem veniſſe, occurrit ei vicitque eum: reverſuſque, caſtrametatus eſt apud Hieruſalem: occidit autem Angelus de Aſſyriis 185. millia; At ille relicta Hieruſalem, rediit in regionem ſuam, occideruntque eum filii ejus. | 4795 | 29 | Ezechias. |
| XVII. | Hic Babylonem ductus eſt, manſitque ibi annis 37. Cumque oraſſet, rediit ad regnum ſuum, & idolum quod quatuor facies habebat, eduxit ex templo. Ejus diebus ædificata eſt urbs Byzantium, quam poſt annos 970. inſtauravit Conſtantinus fidelis Imperator, deque ſuo illam nomine appellavit. | 4850 | 55 | Manaſſes. |
| XVIII. | Juxta Librum Regum, annis 2. Sed juxta Chronologos, annis 12. coluitque idola gentium, occiderunrque eum ſervi ejus. | 4862 | 12 | Amon. |
| XIX. | Combuſſit Sacerdotes idolorum cum altaribus ſuis, juxta prophetiam, quæ de ipſo fuerat: habuitque tres filios: Joachaz, quem Pharao claudus vinctum ducit in Ægyptum, ibique mortuus eſt: Eliacim, qui & Joakim, & Sedeciam, cujus oculos eruit Nabuchodonoſor. In fine anni ejus 13. cœpit prophetare Hieremias propheta. | 4893 | 31 | Joſias. |
| XX. | Hunc Salom vocat Hieremias propheta: cumque eum Pharao claudus vinctum duxiſſet in Ægyptum, conſtituit pro eo fratrem ejus Eliacim, qui & Joakim appellatus eſt. | menſes 3 | cum annis Joakim anni ejus numerantur. | Joachaz. |

*Abrah. Ecchell.* P

# TABULA QUARTA.

## De Septuaginta Hebdomadibus Danielis prophetæ, reliquiſque Hebræorum geſtis ab eo tempore, quo templum per Nabuchodonoſor combuſtum fuit, uſque ad poſtremum ejus Excidium per Veſpaſianum.

| | *REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt.* | Summa Annorum. | Regnarunt annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| I. | Poſtquam Hieroſolymam quarto veniſſet, eamque diripuiſſet, templumque incendiſset, hoc eſt, anno regni ejus vigeſimo primo, idem regnavit alios 24. annos. Venit autem & quinto, expugnavitque Tyrum, & occidit Hiramum: Ægypto quoque potitus eſt. | 4939 | 24 | Nabuchodonoſor. |
| II. | Eduxit Jechoniam de Carcere, manducavitque cum eo ad ejus menſam. | 4940 | 1 | Evilmerodach. |
| III. | Fecit grande convivium, & bibit in vaſis miniſterii Domini: ſtatimque egreſſa eſt palma manus, ſcribens ſententiam ejus in pariete: eademque nocte occiderunt eum ſervi ejus. | 4942 | 2 | Balthaſſar ejus frater. |
| IV. | Anno primo, quo regnavit ſuper Chaldæos, orabat Daniel, & venit ad eum Gabriel Angelus, dixitque ei de Hebdomadibus. Eodemque tempore miſſus eſt Daniel in lacum leonum, nec ullam noxam ſubiit. | 4945 | 3 | Darius medus. |
| V. | Initio regni ſui eduxit e captivitate quinque myriades, præcepitque, ut ædificarent templum Domino. Ab hoc autem tempore Interpretes n...nerant ſeptuaginta hebdomadas Danielis: ſed minus recte: quoniam centum tredecim anni ſuperſunt uſque ad annum quartum Caii, quo Templum pollutum eſt. | 4975 | 30 | Cyrus Perſa. |
| VI. | Anno ſexto regni ſui expugnavit Ægyptum: eoque mortuo regnarunt duo fratres magi, menſibus ſeptem, qui cum annis Darii numerantur. | 4983 | 8 | Cambyſes ejus filius. |



Digitized by Google

| | REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt. | Summa Annorum. | Regnarunt annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| VII. | In fine anni ſecundi regni ejus impleti ſunt ſeptuaginta anni captivitatis, quorum initium ducitur a fine anni undecimi Sedeciæ, quo Templum combuſtum fuit. Quod ſi quis ab initio prophetiæ Hieremiæ incipiat, hoc eſt, a fine anni decimitertii Joſiæ, implebuntur initio anni primi Cyri, quo miſit quinque myriades Judæorum in Hieruſalem, ſicut ſcriptum eſt in libro verbi dierum hoc eſt, Paralipomenon. | 5019 | 36 | Darius filius Hiſtaſpis Perſa. |
| VIII. | Expugnavit Ægyptum, & Athenas combuſſit. eoque mortuo regnavit Artabanus menſes 6. qui inter annos Artaxerſis Longimani numerantur. | 5039 | 20 | Aſſuerus, qui & Xerxes. |
| IX. | Anno regni ſui vigeſimo ineunte miſit Eſdram ſcribam, ut ædificaret Hieruſalem: item miſit Nehemiam pincernam, qui vicos perfecit. Atque hinc ſi ſeptuaginta hebdomades Danielis numerentur, deſinent in annum quartum Caii, quo apparuit ſignum abominationis deſolationis in Templo, nimirum Idolum. | 5080 | 41 | Artaxerſes Longimanus. |
| X. | Mortuo Artaxerſe, regnavit quidam alius menſes 2. & alius menſes 7. qui inter hujus Darii annos numerantur. Ejus diebus conſtituerunt ſibi Ægyptii regem, poſtquam Perſis ſervi ſerviiſſent annis 124. | 5099 | 19 | Darius Nothus. |
| XI. | Hujus tempore accidit factum Eſtheris: obiitque Socrates veneno ſublatus, & claruit Plato. | 5139 | 40 | Artaxerſes Mnemon. |
| XII. | Partem Judæorum tranſtulit in Hyrcaniam. Anno autem ejus 12. natus eſt Alexander, & obiit Plato. | 5166 | 27 | Artaxerſes Ochus. |
| XIII. | Hoc tempore Judæus quidam, nomine Manaſſes, ædificavit Templum in monte Garizim, ſimile templo Hieroſolymitano. | 5170 | 4 | Arſes ejus filius. |
| XIV. | Cum eo commiſit bellum Alexander in Cilicia, & occidit eum in Ajas, duxitque binas ejus filias. | 5176 | 6 | Darius Arſæ. |
| XV. | Anno ætatis 20. regnavit in Græcia annis 6. poſtquam autem occidit Darium regem, iterum regnavit annis 6. & menſibus 6. ſuper pleraſque Orbis terrarum partem: Obiit autem veneno ſublatus Babylone, & ſepultus fuit Alexandriæ. Ædificavit duodecim Civitates: & ſtatura fuit trium cubitorum. | 5182 | 6 | Alexander Philippi. |

Digitized by Google

| | REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt. | Summa Annorum. | Regnarunt annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XVI. | Hieroſolymam dolo cepit, multoſque Judæorum tranſtulit in Ægyptum. Ejus diebus regnavit Seleucus Nicatoris filius in Syria & Babylone: & ab initio regni ejuſdem Seleuci incipit Epocha, quæ Alexandri dicitur. | 5222 | 40 | Ptolemæus lagos, ſeu lepus. |
| XVII. | Reduxit captivos Judæorum ex Ægypto, miſitque eos in Judæam. Ejus diebus illi ſeptuaginta duo ſacros libros interpretati ſunt. | 5260 | 38 | Ptolemæus Philadelphus. |
| XVIII. | Ejus tempore claruit Simeon Oniæ ſummi Sacerdotis filius, pater Jeſu, ejus, qui dicitur Bar-Aſira, ſeu Siracides, qui compoſuit celebrem librum Sapientiæ: Ferunt autem hunc Simeonem in vivis detentum fuiſſe, donec Chriſtum in ulnas ſuas tulit. | 5286 | 26 | Ptolemæus Evergetes. |
| XIX. | Cum hunc Antiochus magnus viciſſet, venit in Judæam, ſubjecitque eam, atque inde initium ducunt res Machabæorum. | 5303 | 17 | Ptolemæus Philopator. |
| XX. | Subegit nonnullas urbes Syriæ, & Judææ quas ab illo recuperavit Antiochus magnus, cum adverſus eum proceſſiſſet eumque ſuperaſſet. | 5326 | 23 | Ptolemæus Epiphanes. |
| XXI. | Judæam cepit, templumque diripuit, & idolum Jovis in eo conſtituit. Eleazarus autem Scriba, & Samona cum ſeptem filiis martyrium ſubierunt. Mathathias vero Sacerdos zelo incenſus ſtrategos Antiochi ejecit, fuitque dux Judas Machabæus. | 5361 | 35 | Ptolemæus Philometor. |
| XXII. | Ejus filia eſt Cleopatra uxor Alexandri, qui fuit filius filii Antiochi magni: Cumque eum occidiſſet Demetrius filius filii Seleuci, una cum ejus uxore regnum quoque cepit. | 5390 | 29 | Ptolemæus Evergetes alter. |

| | REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt. | Summa Annorum. | Regnarunt annos. | Nomina. |
|---|---|---|---|---|
| XXIII. | Hunc Cleopatra mater regno ejecit. Judæis autem primus regnavit, poſtquam regnum eorum exciſo Templo defeciſſet, Ariſtobulus Hyrcani filius anno uno. | 5408 | 18 | Ptolemæus Soter. |
| XXIV. | Ejus tempore defecit regnum Syriæ, quod initium duxerat a Seleuco Nicatore. | 5418 | 10 | Ptolemæus Alexander |
| XXV. | Vigeſimo anno poſtquam a matre ejectus fuiſſet. Regnavit autem alios annos octo. | 5426 | 8 | Ptolemæus Soter iterum. |
| XXVI. | Hujus anno quinto præfuit Judæis mulier quædam Judæa nomine Alexandra, quæ filium ſuum Hyrcanum fecit ſummum Sacerdotem, alterum vero filium Ariſtobulum conſtituit Regem. Hunc autem Romani captivum ducentes, Antipatrum Herodis patrem Judææ præfecerunt. | 5456 | 30 | Ptolemæus Dionyſius. |
| XXVII. | Ejus diebus imperium Romæ tenuit Cajus Julius, qui primus Cæſar appellatus eſt, quod exſo matris utero eductus fuiſſet. | 5478 | 22 | Ptolemæus, Cleopatra. |
| XXVIII. | Cleopatram Ægypti reginam adamavit: victiſque Ægyptiis, duos ejuſdem Cleopatræ filios occidit, qui Sol et Luna vocabantur: ipſa vero, antequam comprehenderentur, ſe ipſam interfecit. Ejus diebus natus eſt Dominus noſter anno Græcorum 309. | 5521 | 43 | Auguſtus Cæſar. |
| XXIX. | Initio anni decimi noni ejus imperii, qui erat Græcorum tercenteſimus quadrageſimus ſecundus, paſſus eſt Dominus noſter. In fine autem imperii ejuſdem lapidatus eſt Stephanus, & diſcipulus factus Paulus. | 5544 | 23 | Tiberius Cæſar. |
| XXX. | Conſtituit idola ſua in templo Hieroſolymæ in fine imperii ſui, impletumque eſt ſignum abominationis deſolationis quam prædixit Daniel propheta, cœpitque ira prævalere in Judæis. | 5548 | 4 | Cajus Cæſar. |
| XXXI. | Protanica uxor ejus credidit per Petrum, venitque Hieroſolymam, & quæſivit Sanctam Crucem, invenitque eam, atque ibi templum extruxit, rediitque. Atque inde vocati ſunt diſcipuli Chriſtiani. | 5562 | 14 | Claudius Cæſar. |

| | *REGES GENTIUM, QUI HEBRÆIS dominati ſunt.* | *Summa annorum.* | *Regnarunt annos.* | *Nomina.* |
|---|---|---|---|---|
| XXXII. | In fine imperii ſui amens factus eſt, occiditque matrem, & amitam ſuam: Petrum quoque inverſo capite cruci affixit, & Pauli caput gladio amputavit: & paulo poſt ipſe ſibi manus intulit, cum mentis impos eſſet. Poſt eum regnarunt tres tyranni menſibus 18. qui ex annis Veſpaſiani numerantur. | 5575 | 13 | Nero Cæſar. |
| XXXIII. | Initio anni tertii imperi ſui miſit Titum filium ſuum cum exercitu magno contra Hieruſalem, eamque arcta obſidione cinxit menſibus 4. ac tandem expugnavit. mortui ſunt autem in ea præ fame centum myriades hominum; interfecti ſunt vero ſex myriades, & in captivitatem ducti decem myriades: & deſolata fuit omnino, impletumque eſt quod dixit Dominus: Venient dies, & circumdabunt te inimici tui, & diſperdent te & filios tuos in te. | 5585 | 10 | Veſpaſianus Cæſar. |

*Colliguntur anni ab Adamo uſque ad hunc annum, quo Hieruſalem deſolata fuit, hoc eſt, poſt abſolutum ſecundum annum imperii Veſpaſiani, quinquies mille, quingenti, & octoginta quinque.*

**F I N I S.**

# II.

## Patriarcharum Alexandrinorum Series accuratior quam quæ in Chronico Orientali exhibetur, eademque ad præſentem uſque diem perducta.

S. Marcus. I. Marcus Evangeliſta, Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus, apud Ægyptios & Alexandrinos diverſatus, verbum Chriſti annunciavit, primuſque Eccleſias Alexandriæ conſtituit anno Chriſti juxta Epocham communem 40. Caii Imperatoris 3. Glorioſam martyrii palmam conſecutus eſt octavo Neronis anno, qui fuit Chriſti 62. poſt annos 22. quam Alexandriam advenifſet.

Anianus. II. Anianus, Arabibus *Hananias*, primus poſt S. Marcum Alexandrinorum Eccleſiæ Epiſcopus, exactis in Epiſcopatu duobus ſupra viginti annis abiit e vita, anno ſcilicet Chriſti 84. Domitiani 4.

Abilius. III. Abilius, ſeu Avilius, Arabibus *Milius*, & *Milianus*, quum per tredecim annos Alexandrinam rexiſſet Eccleſiam, obiit anno primo Trajani, Chriſti 98.

Cerdo. IV. Cerdo, Æthiopibus *Cedrianus*, circa duodecimum annum imperii Trajani obiit, anno videlicet Chriſti 108.

Primus. V. Primus, Arabibus *Abrimius*, Æthiopibus *Ephram*, anno circiter principatus Hadriani tertio, Chriſti 119. obiit, quum ſediſſet annos duodecim.

Juſtus. VI. Juſtus obiit anno Hadriani Imp. 14. Chriſti 130. quum ſediſſet annos undecim.

Eumenius. VII. Eumenius, aliis *Eumenes*, vel *Hymenæus*, obiit anno Chriſti 143. Antonini Pii 6. quum annos 13. expleſſet.

Marcianus. VIII. Marcianus, Euſebio *Marcus*, poſt decem Pontificatus annos obiit anno Chriſti 153. Antonini Pii 15.

Celadion. IX. Celadion, aliis *Claudianus* & *Claudius*, quum per annos 14. Eccleſiæ præfuiſſet, obiit anno Chriſti 167. Marci Aurelii 7.

Agrippinus. X. Agrippinus, aliis *Agrippius*, vel *Agrippa*, quum duodecim annos Epiſcopalis adminiſtrationis expleſſet, obiit anno Chriſti 179. Antonini 19. & ultimo.

Julianus. XI. Julianus, Commodo decimum annum imperii agente, quum decimum annum expleſſet, obiit anno Chriſti 189.

Demetrius. XII. Demetrius, quum per tres & quadraginta annos Eccleſiam adminiſtraſſet, obiit anno Chriſti 231. Alexandri Imp. 10.

Heraclas. XIII. Heraclas, aliis *Heraclius*, vel *Hierocles*, Ægyptiis Æthiopibuſque *Tarocles*, poſt ſexdecim Epiſcopatus annos obiit Chriſti 246. Philippi Imp. 3.

Dionyſius. XIV. Dionyſius anno Chriſti 265. Gallieni Imp. 12. obiit, quum Alexandriæ Epiſcopatum ſeptemdecim annis obtinuiſſet.

Maximus. XV. Maximus, Nicephoro *Maximianus*, obiit anno Chriſti 282. Probi Imperatoris 6. poſtquam Eccleſiam annis 18. rexiſſet. Quod ait Abulbarcatus „ mortuo Maximo conſtitutum fuiſſe quemdam nomine Bab„ nuda, hoc eſt, Paphnutium, qui ſex menſibus Patriarchatum tenuit; „ ſed quum ſeipſum caſtraſſet, menſe Athyr dejectum fuiſſe: nullam ta„ men ejus mentionem fieri in vitis Patriarcharum, *nempe in Severi hi-*

*ſtoria*;

„ *ſtoria* ; ſed tantum in quadam collectione , quam idem Abulbarcatus „ ait ſe tranſtuliſſe ex autographo Joannis Damiatenſis : *id* , *in* quam, fabulæ loco habendum eſt , quum nulla ejus rei memoria apud antiquos eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores exſtet.

Theonas.

XVI. Theonas obiit anno Chriſti 300. quum annos circiter 19. ſediſſet . Ejus tempore cœpit Epocha Diocletiani Imperatoris , ſeu Sanctorum Martyrum , ab Ægyptiis ad hunc uſque diem uſurpata , cujus initium ab anno Chriſti 284. deſumitur . Eutychius , Elmacinus , & Severus in vita Patriarcharum Alexandrinorum , quodque potiſſimum eſt , S. Athanaſius Apol. I. pag. 369. ab hoc Theona ædificatam Alexandriæ Eccleſiam ſcribunt , quam Severus teſtatur nomine B. Virginis Mariæ dicatam fuiſſe . Quod vero ſubjungit Renaudotius pag. 50. *Alexandriæ antiquiſſimam fuiſſe Eccleſiam* „ Muallaca dictam , alias Catholi- „ cam , ut ex Pontificali Coptico diſcimus , quæ Dei Genitricis titulo „ conſecrata eſſet , idque omnes Arabum Chriſtianorum hiſtorias doce- „ re „ ; falſa conjectura eſt viri alioquin diligentiſſimi . Eccleſia enim, quam Theonæ nomine appellatam teſtatur Athanaſius , & ab Alexandro conſummatam , Alexandriæ excitata fuit ; quæ vero Muallaça dicta eſt , in Cairo vetere, ſeu Babylone Ægyptiaca extat , non Alexandriæ.

Petrus mart.

XVII. Petrus poſt Theonam Epiſcopatum Alexandriæ ſortitus eſt anno Chriſti 300. *Qui quidem* , ut inquit Euſebius lib. 7. cap. 32. *toto Sacerdotii ſui tempore* , quod annis geſſit duodecim , maximam quo- „ que ipſe gloriam eſt conſecutus , & ante perſecutionem quidem tri- „ bus fere annis Eccleſiam rexit . Deinceps vero reliquum tempus æta- „ tis , arctiore diſciplina ſemet exercens , tranſegit , nec minus inte- „ rim communi Eccleſiarum utilitati magnifice proſpexit . Quam ob „ cauſam nono perſecutionis anno , *hoc eſt* , *Chriſti* 311. capite trun- „ catus , coronam martyrii promeruit , *ſub Maximino* , Maximiani Armentarii ex ſorore nepote , qui Diocletiano & Maximiano imperium abdicantibus Cæſar dictus crudelitatem ſuam in Oriente exercuit.

Achillas.

XVIII. Achillas, nonnullis perperam *Archillas*, ſeu *Archelaus*, tranſacto poſt Petri martyrium anno, hoc eſt, Chriſti 312. , inauguratus , obiit ineunte anno 313. quum menſibus quinque, vel juxta alios , ſex, tantum ſediſſet.

Alexander.

XIX. Alexander anno Chriſti 313. inauguratus , obiit ineunte anno 326. poſt quinque circiter menſes a Synodo Nicena.

Athanaſius.

XX. Athanaſius anno 326. ordinatus , quum annos 46. ſediſſet , obiit anno 372. In ejus injuſte depoſiti locum intruſi ſunt perfidi Ariani Gregorius , & Georgius ambo Cappadoces , quorum primus Sedi incubavit ab anno 341. ad annum 348. alter ab anno 356. ad annum 361.

Petrus. II.

XXI. Petrus Athanaſii morientis ſuffragio , communique Epiſcoporum , Clericorum , Monachorum , & populi conſenſu anno 372. Patriarcha conſtitutus , Lucio Ariano poſt paulo in ejus locum ſubintruſo, Romam migrare coactus, ibi ſex annis commoratus eſt , donec ex coacta Valentis Imperatoris conniventia , ſed maxime Damaſi Papæ & Imperatorum Occidentalium auctoritate , ſedi poſtliminio reſtitutus , obiit anno Chriſti 380. Abulbarcatus ſcribit Petrum ſediſſe ab anno martyrum 106. ad annum 112. hoc eſt, ab anno Chriſti 390. ad annum 396. Verum id ſtare nequit: conſtat enim Timotheum Petri Succeſſorem Concilio œcu-

menico Conſtantinopolitano, quod anno 381. habitum eſt, interfuiſſe. Ejuſdem Abulbarcari calculus in reliquis Patriarchis vacillat, ut recte I. B. Sollerius obſervavit in hiſtoria Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum.

Timotheus. XXII. Timotheus obiit Arcadio Auguſto primum & Bautone Coſſ. hoc eſt, anno Chriſti 385. quum annos quinque ſediſſet.

Theophilus. XXIII. Theophilus anno Chriſti 385. inauguratus, obiit anno 412. Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. quum ſediſſet annos 27. In chronographia Georgii Syncelli Edit. Pariſ. pag. 33. vigeſimus ſecundus Alexandriæ Archiepiſcopus Theophilus dicitur: nimirum poſt S. Marcum.

Cyrillus. XXIV. Cyrillus anno 412. inauguratus, obiit anno 444. quum ſediſſet annos 32. Ejus tempore celebrata fuit Synodus Epheſina adverſus Neſtorium anno Chriſti 431.

# PATRIARCHÆ ALEXANDRINI

## Ab exortu hæreſis Monophyſitarum uſque in præſentem diem.

Dioſcorus. XXV. Dioſcorus hæreſiarcha, auctor perniciosiſſimi Schiſmatis, quo Alexandrina Eccleſia uſque in præſentem diem laborat, Cyrillo ſubſtitutus fuit anno Chriſti 444. In Concilio Chalcedonenſi anno 451. Epiſcopatu dejectus, obiit anno 457. Gangræ in Paphlagonia, quo in exilium deportatus fuerat, anno exilii ſexto: vel anno Chriſti 454. exilii ſui quarto, ut ex Epiſtola S. Leonis magni data ad Julianum Epiſcopum Caenſem, octava Id. Decembr. anno 454. Aetio & Studio Coſſ. colligitur. Dioſcoro ab ejus electione uſque ad obitum annos 14. tribuunt communiter Sectarii: adeoque ſecundum eos obitus ejus incidit in annum Chriſti 458.

Proterius Dioſcori Archipresbyter, poſt hunc damnatum ejectumque in Paphlagoniam, ab Epiſcopis Ægyptiis in Synodo Alexandrina anno Chriſti 452. conſecratus Patriarcha, quum ſex fere annos ſediſſet, poſt obitum Marciani Imperatoris, qui die 26. Jan. an. Chriſti 457. contigerat, collectis turbis hæreticorum, qui Dioſcorum ſequebantur, ordinato Epiſcopo Timotheo Æluro, ante triduum Paſchæ, quo Cœna Domini celebratur, hoceſt, exeunte Martio anni 457. ab ipſis turbis concluſus in Eccleſia, quo ſe timore contulerat, ibi in Baptiſterio occiditur, funus ejus incenditur, & cineres in ventos ſparguntur. Is præcedenti anno Synodum Alexandriæ celebraverat, & Timotheum Ælurum Presbyterum, atque Petrum Mongum Diaconum, cum aliis nonnullis in hæreſi pertinacibus gradu moverat.

Timotheus. XXVI. Timotheus Ælurus, cæſo ab hæreticis S. Proterio, anno 457. in Eccleſiam Alexandrinam intruſus, indeque anno 460. Leone imperante ejectus, ſubrogato in ejus locum Timotheo Salophaciolo, Alexandriam remeare permiſſus eſt anno 475. juſſu Baſiliſci tyranni. Obiit hauſto veneno ſub Zenone Imp. exeunte anno 477.

Timotheus Salophaciolus, aliis *Albus*, Chronico Orientali *Anſus*, Æluro hæretico Orthodoxus ipſe anno 460. ſuffectus, quum idem Ælurus anno 475. ſub Baſiliſci tyrannide Alexandriam rediiſſet, ad Monaſteria in

Canopo poſtra profugit, in quibus monaſticam vitam olim fuerat profeſſus. Poſtea a Zenone Imp. anno 477. revocatus, Mongo Æluri ſucceſſore deturbato, obiit anno 482.

XXVII. Petrus cognomento Mongus, hoceſt, obtuſæ vocis[1], adhuc jacente cadavere Æluri inſepulto, ſubrepſit in Sedem, ab Epiſcopo depoſito conſecratus. Quare poſt dies triginta ſex a Monachis deturbatus, juſſu Zenonis Imperatoris & opera Simplicii Papæ, tamdiu aut exulare aut ſaltem latitare coactus eſt, donec Salophaciolo e vivis ſublato, Joannes Talaja in ejus locum anno 482. ſubrogatus, dolo Acacii Conſtantinopolitani ejectus eſt, Mongus autem in Sede Alexandrina remanſit. Obiit anno 490. Acephalis ab eo ſejunctis quod Zenonis Henoticum recepiſſet. Petrus III.

Joannes ex œconomo Presbyter factus, cognomento Talaja, patria Tabenneſtiotes, Chronico Orientali perperam *Duinaſades*, defuncto anno 482. Salophaciolo, a communicatoribus ejus Epiſcopis & Clericis & Monachis ſubſtitutus. Acacii C. P. perfidia eodem anno Sede ſua pulſus, Romam ad Simplicium Papam confugit[1], ubi aliquandiu manſit, donec defuncto Simplicio, ſucceſſor Felix Talajæ Nolanam dedit Eccleſiam, in qua ab anno 484. uſque ad annum circiter 498. reſidens, in pace quievit.

XXVIII. Athanaſius a Dioſcorianæ factionis hominibus anno 490 in locum Petri Mongi ſubſtitutus, in Edicto Zenonis Henotico recipiendo, Conſtantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ communicavit Eccleſiæ, & Petri nomen habuit in diptychis: propterea nec cum illo communicabant Acephali, quod Petrum reciperet. Obiit anno 497. cum ſeptem annos ſediſſet. Anaſtaſius II.

Per hæc turbatiſſima Eccleſiæ Alexandrinæ tempora alii aliarum factionum hæretici Epiſcopi inſtituebantur. Inter quos memorantur Eſaias, & Barſanuphius, uterque cognominis ſectæ auctor. Et Eſaias quidem e Palæſtina Diaconus, ordinatus Epiſcopus, & Alexandriam miſſus, ſed ab aliis Acephalis non eſt receptus[1], quod affirmarent, ab Epiphanio Pamphylo, qui Severum Presbyterum ordinaverat, eum fuiſſe ordinatum, reliquis non aſſentientibus, ſed a mortuo ordinatum hominem dicentibus, quum mortua videlicet Epiphanii manus ipſi impoſita fuiſſet. Illegitimam quoque Barſanuphii ordinationem fuiſſe, alii Acephali aſſerebant. Fallitur itaque Sollerius in hiſtor. Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum pag. 64. quum Eſaiam affirmat Orthodoxis Patriarcham præfuiſſe, eique Aſterium ſucceſſiſſe. „ At enim, *inquit*, Juſtini „ religio integerrima non permittit nos dubitare, quin mortuo Eſaia „ *(de quo ſupra in Athanaſio II. pag. 61.)* ſategerit ut Orthodoxis proprius „ non deeſſet Patriarcha, iſque fuerit prælaudatus Aſterius. Barſanu„ phiani, Eſaianiſtæ, Julianiſtæ aliaque id generis monſtra, ex hæreſi Dioſcoriana & Eutychiana ſectæ prodiere, ut ex hiſtoria Eccleſiaſtica palam fit.

XXIX. Joannes Monachus, cognomento Mela, anno 497. in locum Athanaſii ſubrogatus, obiit anno 505. Epiſcopatus octavo, quum Eccleſia Alexandrina habuiſſet diviſionem Dioſcoritarum propter Petrum Mongum, qui Henoticum Zenonis receperat. Joannes Mela.

XXX. Joannes profeſſione Monachus Recluſus, patria Niciota (Liberato perperam Machiota dictus) ab anno 505. ſedem tenuit ad annum 516. quo obiit. Petrum, Athanaſium, & Joannem præceſſores ſuos ſecutus, ut ait Liberatus cap. 18. ſuſcipiebat quidem unitivum Zenonis Edictum, non autem Chalcedonenſe Concilium, & Epiſtolam Papæ Leonis: nec communicabat Flaviano Antiocheno, & Eliæ Hieroſolymitano, ac Joannes II.

Timotheo Conſtantinopolitano; dicebat enim imperfecte Edictum ſe habere, nec ad Unitatem ſufficere, quod non anathema Synodi Chalcedonenſis contineret. Et tamen quum hæc ſaperet, ſeparatos habuit Dioſcoritas, qui Petrum Mongum non ſuſcipiebant. Ægyptios ſectatores ſuos Hieroſolymam aſcendere prohibuit, ne in Sanctæ Crucis Exaltationis feſto Chalcedonenſis Synodi Patribus communicarent: eo impudentiæ progreſſus, ut ducentas auri libras Anaſtaſio Imperatori ſe daturum pollicitus ſit, ſi modo celebratam Chalcedone Synodum funditus abrogaret. Quamobrem Severo Antiochenæ Eccleſiæ incubatori, eadem hæreſi afflato, charus fuit, alterque ad alterum Epiſtolas Synodicas ſcripſit: atque inde initium habuit conſuetudo mutuarum de fide Epiſtolarum inter Alexandrinos Antiochenoſque monophyſtarum Patriarchas, quæ per ſæcula ſubſequentia perſeveravit.

Dioſcorus II. XXXI. Dioſcorus junior, Timothei Æluri nepos, poſt Niciotæ obitum anno 516. non ſine turbis & cædibus ordinatus eſt. Quippe eo Epiſcopo creato, oppidanorum multitudo a reliquo Eccleſiæ cætu ſegregavit ſe dicens: non ſedet Epiſcopus, niſi qui, prout Sancti Canones Apoſtolici præſcribunt, fuerit inſtitutus: Principis enim Magiſtratus ad Thronum eum ſubvexerant. Igitur ad Sancti Marci Dioſcoro profecto, convenientes clerici veſtibus iterum induerunt, & Ordinationis ritum circa eum iterato perfecerunt. Is vero ſtatim atque ordinatus eſt, Synodicas ſcripſit ad ſeverum Antiochenum, quarum Severus ipſe meminit homilia 293. habita antequam eæ Synodicæ litteræ legerentur; palamque fecit Dioſcorus Sectariis, ſe non aliter Henoticum Zenonis admittere, niſi ex mente anteceſſoris ſui, Chalcedonenſem nimirum Synodum epiſtolamque Leonis Papæ ſimul repudiando: quo pacto ſatisfecit his, qui in diviſione erant, & propter Petrum Mongum extra illam Eccleſiam communicabant: unde & uniti ſunt ei; nam uſque ad hunc Dioſcorum in diviſione fuerat Eccleſia Alexandrina, Monophyſitis ipſis in plures ſectas ſciſſis. Obiit ineunte anno 518. Epiſcopatus ſecundo. Quamobrem fallitur Sollenius, dum ejus obitum ad annum Chriſti 520. refert in hiſtor. Chronolog. Patriarchar. Alexandrinorum pag. 62. nam Timotheus Dioſcori ſucceſſor anno 518. Sedem Alexandrinam tenebat, ut mox patebit.

Timotheus III. XXXII. Timotheus ante Septembrem menſem anni 518. in locum defuncti Dioſcori junioris ſubrogatus, Synodicas miſit ad Severum Antiochenum, ut ex hujus homilia centeſima duodecima liquet habita antequam eæ Synodicæ legerentur: Evagrius quoque lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 4. clare teſtatur, Severum, quum Antiochenam Eccleſiam adhuc occuparet, Reſponſorias Synodicis Timothei Alexandrini litteras ſcripſiſſe. Atqui Severus, ut accurati ſcriptores Noriſius de Epochis Syromacedonum diſſert. 3. cap. 6., & Pagius in Critica Baronii demonſtrant, anno 518. menſe Septembri dimiſſa Sede Antiochia profugus, ubi lingua blaſphema Juſtini Imperatoris juſſu ei amputari debebat, Alexandriam confugit, a Timotheo ipſo benigne exceptus, ut Liberatus in Breviario affirmat. Obiit Timotheus anno Chriſti 535. Juſtiniani Imperatoris nono, quum annos 17. ſediſſet. Eo autem Epiſcopo orta eſt Alexandriæ quæſtio de Corruptibili & Incorruptibili inter Severum Antiochenum & Julianum Halicarnaſſæum: ac Severus quidem ajebat Corpus Chriſti ante reſurrectionem corruptioni, ideſt, paſſioni & morti obnoxium fuiſſe; Julianus contra, illud incorruptibile affirmabat. Horum itaque ſinguli ſtatuere propriam ſententiam volentes, ſcripſerunt libros adverſus alterutrum: qui venientes in multitudinem Civitatis, Eccleſiam illam diviſerunt: & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellare; eos vero, qui

Incotruptibile aſſerebant, Phantaſiaſtas. Timotheus autem Severi doctrinam ſecutus eſt, ut inquit Liberatus in Breviario cap. 18.

Aſterius, in Chronico Orientali Apollinarius appellatus, orthodoxus Patriarcha in locum Timothei hæretici anno 521. ſubrogatus fuit a Juſtino Imperatore, qui & pulſo ſevero Antiocheno Paulum præfici curaverat anno 518. Ejus mentio fit in Actis Sancti Arethæ martyris apud Metaphraſten ad diem 24. Octobris, ubi legitur, quod Juſtinus Imperator intelligens quæ & quam atrocia Dunaunus tyrannus adverſus Chriſtianos Homeritas patraverat, ſine mora ſcripſit ad Aſterium Alexandriæ Epiſcopum, ut incitaret regem Æthiopum ad movendum arma adverſus Homeritas. Ipſe quoque Patriarcha Alexandrinus, poſteaquam cum monachis orthodoxis, qui erant in Nitria & Scete, multas Deo fudit ſupplicationes, Regi illi ſignificavit, quæ pia videbantur Juſtino, ſucceſſu prorſus optimo. De Aſterio vide quæ notata ſunt Tom. 1. Bibliothecæ orient. pag. 382. & ſeq. Etſi enim potior Ægyptiorum pars per ea tempora errores Monophyſitarum colebat, Eccleſiiſque pene omnibus Timotheus hæreticus Patriarcha incubabat; non deerant tamen qui catholicam religionem tenerent, quibus & Juſtinus Imperator, & quotquot ab ejus nutu pendebant magiſtratus patrocinabantur.

XXXIII. Theodoſius Orationum Timothei ſcriptor, Cleri Urbiſque Primatum ſuffragiis, ac ſtudio Calotychii cubicularii Theodoræ Auguſtæ anno 535. fuit ordinatus. Populo tamen & monachis acriter ſe opponentibus, Pallium B. Marci accipere collo ſuo, atque adeo legitime ſedere prohibitus eſt. eo igitur ejecto inthronizaverunt Gajanum Timothei Archidiaconum. Permanſit autem Gajanus in Epiſcopatu dies 103. Poſtea a Judicibus pulſus abſceſſit. Et poſt menſes duos Narſes Cubicularius miſſus ab Auguſta Theodora Theodoſium quidem inthronizavit, Gajanum vero miſit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, & inde Sardiniam directus, quid de eo contigit ignoratur, inquit Liberatus in Breviario. Manſit autem Theodoſius in ſede annum unum & menſes quatuor, paucis ei communicantibus; plurimi enim communicabant ad nomen Gajani. Noviſſime Theodoſius de ſede diſceſſit, non ferens ſeditiones & bella, quæ contra eum exercebantur a populo. Miſſus autem eſt Conſtantinopolim cum honore anno 540. ſed perſiſtens & nolens Chalcedonenſem Synodum recipere, foras civitatem regiam ſexto milliario in exilium pulſus eſt Sycas, ubi totum pene Palatium, & maximam regiæ Urbis partem ſua perfidia maculavit. Quæ occaſio cunctis pene hæreſibus licentiam tribuit; itaut non ſolum Theodoſiani, ſed & Gajanitæ, monaſteria atque Oratoria apud Urbem regiam conſtruxerint. Vixit Theodoſius uſque ad primum Juſtini junioris Conſulatum, adeoque uſque ad annum 567. quo obiit, quum ſediſſet annos 32. inchoatos. Et Gajanus quidem Juliani ſententiam, hoc eſt, Phantaſiaſtarum, ſectabatur, Severi autem, nempe Corrupticolarum, Theodoſius. Theodoſius.

Paulus Thebanus, Tabennenſium Monachorum Abbas plane orthodoxus, ſuſcipiens Chalcedonenſem Synodum, exulantibus geminis Patriarchis hæreticis Theodoſio & Gajano, Baſilio V. C. Coſ. anno nimirum 541. ordinatus eſt a Menna Conſtantinopoli præſente Pelagio Reſponſario vigilii, & Apocriſiariis Ephræmii Antiocheni & Petri Hieroſolymitani. Hic accepit ab Imperatore poteſtatem ſuper ordinationem Ducum & Tribunorum, ut removeret hæreticos, & pro ipſis orthodoxos ordinaret. Hinc Alexandriam deſcendens, timore ſui ſuaque induſtria omnem Civitatem & omnia monaſteria adduxerat ſuſcipere Chalcedonenſem Synodum. Verum ob cædis Pſoy cujuſdam Diaconi ſuſpicionem,

& quod Eccleſiaſticis in precibus & ſacrificiis memoriam Severi atque Dioſcori feciſſe perhiberetut, Gazam in exilium pulſus eſt. Tum miſit Juſtinianus Imperator Pelagium Diaconum & Apocriſiarium primæ ſedis Romanæ Antiochiam cum Sacris ſuis, quibus præcepit, ut cum Ephræmio ejuſdem urbis Epiſcopo, Petrus Hieroſolymitanus, & Hypatius Epheſinus venirent Gazam, & Paulo Epiſcopo Pallium auferrent eumque deponerent. Id accidit anno 543. Patriarchatus Pauli ſecundo, qui Hieroſolymam tandem profectus, ibi moratus eſt.

Zoilus in locum Pauli ab iis qui hunc depoſuerunt, eodem anno 543. ordinatus, quum annos 9. ſediſſet, poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XI. hoc eſt, anno Chriſti 552. juſſu Juſtiniani Imperatoris depoſitus fuit, quod tria Capitula damnare noluiſſet.

Apollinarius pro Zoilo eodem anno 552. ſuffectus, obiit anno 569. Eo Patriarchatum Alexandrinum orthodoxorum gerente habita fuit quinta Synodus œcumenica.

Petrus IV. XXXIV. Petrus monaſterii Maræotidis, quod Zegiagiæ vocant, quodque Renaudotius in monte Nitriæ perperam locat, monachus, a Paulo Nigro Antiocheno Monophyſitarum Patriarcha non ſine turbis ac ſeditionibus in locum Theodoſii anno 567. ordinatus, obiit anno 570. Ejus cauſa inter Monophyſitas Alexandrinæ & Antiochenæ Sedis rupta eſt pax, quam Severus & Joannes Niciota ſtabiliverant. Quamobrem Petrus junior in locum dejecti Pauli Antiocheni anno 578. ſuffectus, in Ægyptum profectus eſt, ut illud Schiſma tolleret. Id contigit, quum Damianus poſt Petrum Tabenneſiotam Alexandrinæ incubaret Eccleſiæ: quo Patriarchatum adminiſtrante, ea facta ſunt, quæ de Patriarchis Petro Antiocheno & Damiano Alexandrino, deque Stephano Sophiſta, Probo, & Joanne Abbate narrantur in hiſtoria Eccleſiaſtica Dionyſii Tom. 2. Bibl. orient. pag. 72.

Damianus. XXXV. Damianus Petro poſt unum interpontificii annum ſuffectus, obiit anno 607. quum ſediſſet annos circiter 36. Ab eo Damianitæ ſunt appellati, de quibus Timotheus in lib. de receptione hæreticorum apud Cotelerium Tom. 3. pag. 412. Cum eodem diſputavit Petrus junior Antiochenus Patriarcha circa hypoſtaſes, perſonas & proprietates Auguſtiſſimæ Trinitatis, editis utrinque multis ſcriptis, ut oſtenſum eſt Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 77. & ſeqq. & pag. 332.

Orthodoxis interea poſt Apollinarium Patriarchæ præfuere Joannes ab anno 569. ad annum 577. Eulogius ad annum 604. Theodorus Scribo ad annum 606. Joannes Eleemoſynarius ad annum 616. Georgius ad annum 627. de quibus vide Sollerium pag. 67. & ſeq.

Anaſtaſius. XXXVI. Anaſtaſius Presbyter Damianum anno 607. excepit, obiitque anno 619. quum ſediſſet annos 12. Quæ in ejus vita de S. Eulogio orthodoxorum Patriarcha Alexandrino referuntur apud Renaudotium in hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum pag. 152. ea vel contigiſſe ſub Damiano ejuſdem anteceſſore dicendum eſt, vel ad S. Joannis Eleemoſynarii tempora referenda ſunt: nam Eulogius, ut ſupra dixi, ab anno 577. ad annum 604. præfuit, adeoque tempora hujus Anaſtaſii non attigit. Quod vero Sollerius pag. 68. & Renaudotius pag. 153. obitum ejuſdem Anaſtaſii ad annum martyrum 330. Chriſti 614. ex Abulbarcato, Severo, Mauritio & Elmacino ponunt; id cum annis duodecim, vel undecim cum dimidio, quibus ſediſſe perhibetur, ſtare nequit: nam ab anno 607. quo juxta Sollerium Damianus Anaſtaſii anteceſſor obiit, numerus ille annorum Sedis Anaſtaſii, ad annum 619. nos ducit. Quid? quod concordia inter hunc Anaſtaſium, & Athanaſium Antiochenum inita, quæ apud

eundem Renaudotium refertur, palam facit illum anno Chriſti 616. in vivis fuiſſe: nam ex Gregorii Abulpharagii hiſtoria Syriaca Patriarcharum Jacobitarum conſtat, Athanaſium Antiochenum Alexandriam anno Græcorum 927. Chriſti 616. migraſſe, ut concordiam cum Anaſtaſio Alexandrino inſtauraret, quæ ſub Petro & Damiano rupta fuerat. Vide Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 334.

Andronicus.

XXXVII. Andronicus Eccleſiæ Angelii Diaconus ab anno 619. ad annum 622. præfuit.

Beniaminus.

XXXVIII. Beniaminus ab anno Hegiræ primo ad annum 39. Ægyptiis Monophyſitis Patriarcha præfuit; hoc eſt, ab anno Chriſti 622. ad annum 660. Abfuit autem a Sede ſua profugus per annos 13. decem ſcilicet ſub imperio Heraclii, quibus Perſæ Ægyptum & Alexandriam poſſederant, & tres ſub imperio Mahometanorum, ab anno nimirum 638. ad 640. quo exeunte ab Amro filio Aſi, qui Ægyptum & Alexandriam ab Heraclio recuperatam ſub Omaro Chalipha Græcis abſtulerat, libellum ſecuritatis accepit. Obiit die 8. Tybi, hoc eſt, tertia Januarii, anno martyrum 376. Chriſti 660. Hegiræ 39. Actis Concilii VI. inſerta legitur Epiſtola S. Sophronii, in qua anathema pronunciatur adverſus multos monophyſitas ac monothelitas, inter quos recenſetur Beniamin Alexandrinus. Is vero primus Coptorum ſeu Ægyptiorum fuit, qui ſubacta a Mahometanis Ægypto pulſiſque Græcis, Patriarchalem dignitatem hæreticis Dioſcorianæ factionis ſectatoribus, regio Arabum diplomate aſſeruit.

Poſt Georgium fuere Alexandrini Græcorum Patriarchæ Cyrus & Petrus, in quibus Nicephori Catalogus deſinit. Et Cyrus quidem, de cujus Epiſtolis Monothelismum circumferentibus & Conciliabulo Alexandriæ habito plura leguntur in Synodo VI. Act. 13. poſt Georgii obitum, quum Choſroes Perſarum rex anno 627. fugatus cæſuſque fuiſſet, recuperatæ Ægypto ab Heraclio Imperatore præfectus fuit Patriarcha ſimul & gubernator; ſeditque uſque ad annum 640. quum jam Mahometani Ægypto potiri eſſent. Quo anno Conſtantinopolim profectus, ab Heraclio torquendus ac cruciandus præfecto Urbis traditus eſt, teſte Nicephoro in hiſtoria. Eum Heracleonas poſt patris obitum anno 641. in Sedem reſtituit. Quot vero annis poſtea vixerit, non exprimit Nicephorus. Cyro defuncto Petrus ſuccedit, qui & deceſſiſſe dicitur anno Chriſti 650. Eoque e vivis erepto per aliquot ſæcula nullus Græcis Patriarcha præfuit, quum Mahometani principes Ægyptiis monophyſitis, a quibus in Ægyptus autem Amro duce ſubacta fuit anno Hegiræ 18. Chriſti 639. & paulo poſt Alexandria etiam expugnata, anno nimirum Hegiræ 20. qui cæpit die 10. Decembr. anno Chriſti 640. In Concilio ſexto, quod anno 681. celebratum fuit, locum Alexandrinæ Patriarchæ renuiſſe legitur Petrus Monachus.

Agatho.

XXXIX. Agatho Presbyter, Beniamini diſcipulus & ſucceſſor exeunte anno 660. electus, quum annos 17. ſediſſet, obiit anno Hegiræ 58. Chriſti 678. die 10. vel juxta Chronicon, 16. Paophi, hoc eſt, 7. vel 13. Octobris. Gajanitas plurimos & Barſanuphianos ſuæ ſectæ adjecit.

Joannes III.

XL. Joannes Sebennyta (Arabibus *Semennudeus*) Presbyter & Archimandrita cujuſdam Cœnobii in Diœceſi Phajumenſi, quum annos octo præfuiſſet, obiit anno Hegiræ 66. Chriſti 685. die 1. Chojach, 27. Novembris.

Iſaac.

XLI. Iſaac monachus Cœnobii S. Macarii anno Hegiræ 66. creatus, quum Abdelazizus Ægypti præfectus irritam Georgii Diaconi Eccleſiæ Sachenſis electionem pronunciaſſet. Obiit anno Hegiræ 69. Chriſti 688

menſe Novembri. Scriptis ad Chriſtianos Æthiopiæ Nubiæque reges Litteris, eos ad concordiam hortatus eſt.

Simon. XLII. Simon Syrus, monachus Cœnobii Maræotidis, apud Zegiagæ vocant, anno Hegiræ 69. Chriſti 688. creatus, obiit anno Hegiræ 81. martyrum 416. Chriſti 700. Vacavit ſedes annos 3. ſcripſit Synodicam ad Julianum Patriarcham Antiochenum Syrorum Jacobitarum, qui & reſponſivam ad Simonem miſit. Quod autem de Juliano affirmat Renaudotius in hiſtor. Patriarch. Alexandr. pag. 196. eum ſcilicet Sedem Antiochenam obtinuiſſe ab eo tempore, quo Joannes Alexandrinus Patriarcha renunciatus fuerat uſque ad Alexandrum: id ex Syriaca Gregorii Abulpharagii hiſtoria falſum eſſe patet. nam Julianus ſedem iniit anno Chriſti 688. Joannes autem Alexandrinus anno 685. obiit, ut ſupra dictum eſt. Idem Renaudotius pag. 183. ſcribit congregatos Alexandriæ, juſſu Præfecti, ex ſedibus omnium Sectarum Epiſcopos ſexaginta quatuor, propter eos, qui communione privati fuerant, quod legitimis uxoribus dimiſſis alias accepiſſent: ſubditque in eorum numero fuiſſe, „ non modo Jacobitas, ſed etiam ex aliis ſectis, Melchitas nempe, ſeu „ Chalcedonenſes, quos etiam Theophyletianos, ſi nomen recte habet, „ vocat Severus a Theophylacto ſuo Epiſcopo, cujus non meminit Eutychius, qui in eadem Cathedra ſedens, ſucceſſionem ſuorum prædeceſſorum ignorare vix poterat. Adfuiſſe etiam ex Monophyſitis Gajanitas quoſdam; Theodorum Barſanuphianorum, & alios Pſeudo-epiſcopos „. Verum in Arabico textu hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum, quem ex autographo Cellæ Patriarchalis deſcribendum curavi, hæc leguntur: „ congregati ſunt itaque ſexagintaquatuor Epiſcopi, „ quibus ignotum prorſus erat quam ob cauſam accerſiti fuiſſent. Singulis autem ſextis feriis Principi ſalutationis obſequium deferebant. „ Aderant vero aliarum Sectarum falſi Epiſcopi, Chalcedonenſes, & „ Theopaſchitæ: ſed & Theodorus Eutychianorum Gajanitarum, & „ Georgius Barſanuphianorum, & alii Pſeudœpiſcopi „ Theophyletianorum, vel Theophylacti Melchitarum Epiſcopi, nulla mentio: nec Theodorus Barſanuphianorum, ſed Gajanitarum fuit Epiſcopus.

Alexander. XLIII. Alexander Monachus Cœnobii Zegiagæ ſeu Maræotidis, ubi Severus Antiochenus aliquandiu delituit obiitque, factus eſt Patriarcha die feſto S. Marci anno martyrum 420. Chriſti 704. Obiit die 7. Mechir, hoceſt, I. Februarii, anno Hegiræ 108. qui cœpit die 7. Maii anno Chriſti 726. Agnoetas, Semidalitas, Barſanuphianos, & Gajanitas plurimos ſuæ communioni adjunxit. Accepit quoque Synodicas a Juliano & Athanaſio Patriarchis Antiochenis, quorum prior ab anno 709. ad annum 723. ſedit; alter a menſe Aprili anni 724. ad annum 740. Viciſſim Alexander utrique Synodicas reſcripſit. Hinc Chronicon Orientale rejicitur, in quo Alexandri obitus ad annum Chriſti 720. refertur. Rejicitur & conjectura Renaudotii, qui pag. 199. pro Athanaſio legendum ſuſpicatur *Ignatium*. Nullus eo ſæculo Ignatius Jacobitis Antiochenus Patriarcha præfuit. Contra Elmacinus, Abulpharagius, & monumenta Syrorum omnia teſtantur Athanaſium Juliano in Sede Antiochena Jacobitarum ſucceſſiſſe. Sed errat Elmacinus, quum Joannem Athanaſio ſuffectum dicit anno primo Hiſciami Chaliphæ, qui Chaliphatum iniit die 25. menſis Sciaabani anni Hegiræ 105. Chriſti 724.

Coſmas. XLIV. Coſmas Panopolitanus, ( male apud Abulbarcati interpretem *Benenſis* dictus ), Monachus S. Macarii, in locum Alexandri anno Chriſti 727. ſubſtitutus, quum menſes quindecim ſediſſet, obiit menſe Pavni, qui incipit die 26. Maii, anno Hegiræ 109. Chriſti 728.

Ceſ

Coſmas alter Melchitarum Patriarcha Alexandrinus factus eſt anno Hegiræ
108. Chriſti 726. Hiſciami Chaliphæ tertio; de quo hæc Elmacinus lib. 1. cap.
17. ex Annalibus Eutychii Alexandrini. ,, Anno tertio Chaliphatus Hiſciami
,, Coſmas Melchitarum Parriarcha Alexandriæ factus eſt. Orabant autem Mel-
,, chitæ Alexandriæ in templo Sancti Sabæ: nam Jacobitæ Ecclesias omnes oc-
,, cupaverant. Quare Coſmas illorum Patriarcha ad Hiſciamum Abdalmale-
,, chi filium profectus cum donis & muneribus, ei ſignificavit, Jacobitas tem-
,, pla omnia Melchitarum occupaſſe. Hiſciamus igitur ad ſuum in Ægypto Vi-
,, catium Abdallam Soccari filium ſcripſir, ut ſuas Melchitis Eccleſias traderet,
,, quæ in poteſtate Jacobirarum erant. Is vero Eccleſiam Annunciationis eis eri-
,, puit ,,. Subjungit idem Elmacinus ex Eutychio ,, Melchitas Alexandriæ ſine
Patriarcha fuiſſe nonaginta ſeptem annis, a Chaliphatu ſcilicet Omari filii Chet-
,, tabi, donec Coſmas Patriarcha factus eſt, quum Chalipha eſſet Hiſciamus
,, Abdalmalechi filius: Jacobitæ enim in Ægypro prævaluerant, & in omni-
,, bus ſedibus Epiſcopos Jacobitas conſtituerant: ſed & Patriarchæ Jacobita-
,, rum Epiſcopos in Nubia ordinaveranr: unde factum eſt, ut ab eo tempore
,, Nubia ſectam Jacobitarum amplexa fuerit ,, : Hucuſque Elmacinus, cujus
verba Erpenius quum paulo aliter ex Arabico inrerpretatus fuiſſet, anſam præ-
buit Sollerio pag. 78. exiſtimandi Nubiam eo primum tempore, quo Coſmas
uterque, Coptorum ſcilicet Melchirarumque Patriarcha, vivebat, Jacobiticam
factam fuiſſe: arque adeo in Æthiopiam ſeu Habaſſiam, quæ ultra Nubiam po-
ſita erar, eamdem Jacobitarum ſectam ſerius invectam fuiſſe. Verum neque
Elmacinus, neque Eutychius id aſſerunt; ſed tanrum cauſam reddunt, cur
olim Nubia & Ægyptus univerſa Jacobiticis erroribus infectæ eſſenr, quod ſci-
licet Jacobitæ in Ægypro prævaluerant jam inde a Chaliparu Omari, eo-
rumque Patriarchæ Epiſcopos in omnibus ſedibus tam Ægypti, quam
Nubiæ ordinaverant: id factum non ad tempora Coſmæ utriuſque reſtrin-
gentes, ſed jam antea contigiſſe affirmanres. Quid autem Erpenium move-
rit, ut ubique in hiſtoria Saracenica nomen *Melchitarum* pro *orthodoxo* red-
deret, non video. Etſi enim *Melchitæ* aliquando orthodoxi fuerint, dum
ſcilicet a Monophyſitis, aut Monothelitis diſſentientes, eamdem cum reli-
quis Græcis catholicis ſententiam colebant; id ramen nomen gentilitium eſt
e Syriaco, aur Atabico formatum, quod *Regium* ſeu *Imperialem* proprie ſo-
nar, hoceſt, Imperatoris Conſtantinopolirani ſectarorem. Neque vero Mel-
chitæ, quorum Patriarcham Coſmam Elmacinus ex Eurychio commemorat,
orthodoxi etant, ſed hæretici Monothelitæ, qui poſtea cum eodem Patriar-
cha Coſma ad orthodoxam Eccleſiam redierunt, ut ex his Theophanis ver-
bis conſtat ad annum ultimum Hiſciami, & primum Validis Chaliphæ, qui
erat Hegiræ 125. Chriſti 742. ,, Coſmas Alexandriæ Patriarcha cum ipſa ci-
,, vitate, Monothelitarum pravitate a Cyri, qui ſub Heraclio vixit, tem-
,, poribus eam civitatem obtinente, abjurata, & errore cogniro, ad ortho-
,, doxam Eccleſiam rediir ,,. Melchitæ igitur Ægyptii a Cyri temporibus
ad annum Chriſti 742. Monothelitæ, non orthodoxi fueranr. Ejuſdem Coſ-
mæ meminit infra Theophanes ad annum Incarnarionis 756. Conſtantini
Imperaroris 23. ubi air, eum cum Theodoro Antiocheno, ac Theodoro al-
tero Hieroſolymitano Patriarcha apoſtatam Epiphaniæ in Syria Epiſcopum
anathemati ſubjeciſſe. Jam vero ut ſupra relatam Coſmæ Melchirarum Pa-
triarchæ hiſtoriam ad Annales Eutychii Alexandrini conferamus, Elmaci-
nus ab Eutychio differt primum in anno Chaliphatus Hiſciami, nam is ha-
bet annum tertium, qui incidit, ut ſupra dixi, in annum Hegiræ 108. Chri-
ſti 726. Eutychius vero Tom. 2. pag. 385. aſſerit Coſmam factum Patriar-
cham anno Chaliphatus Hiſciami ſeptimo, qui erar Hegiræ 112. Chri-
ſti 730. Deinde Elmacinus ait recuperatam a Melchitis Eccleſiam Annun-
ciationis, ſeu Evangelii: Eutychius Eccleſiam Kaiſariæ: quo nomine

deſignari puto *Angelian*, Eccleſiam, Baſilicam, ſeu Cæſaream, ut vocant, Alexandriæ, de cujus nomine vocari ſunt *Angelitæ*. Addit Eutychius „ ab eo tempore, quo Georgius Patriarcha Alexandria Conſtantinopolim fu„ geret anno tertio Chaliphatus Omari, donec Patriarcha Coſmas con„ ſtitutus eſt anno ſeptimo Hiſciami, fuiſſe Cathedram Alexandtinam abſ„ que Patriarcha Melchita ſpatio annorum nonaginta ſeptem „. Atqui Omarus Chaliphatum iniit anno Hegiræ 13. die 23. Gemadi poſterioris, nimirum Chriſti 634. tertiuſque ejus annus fuit Hegiræ 15. qui cœpit 14. Februarii anno Chriſti 636. Hiſciami vero annus ſeptimus incidit in annum Hegiræ 117. Chriſti 730. a quo ad annum 636. fluxere anni 94. non 97. Quid? quod ex ſupradictis Georgius non attigit initium Chaliphatus Omari: obiit enim anno 627. vel, ut Sollerius affirmat, anno 630. cui additis annis 97. exurgeret annus 724. vel 727. Adde poſt Georgium fuiſſe Melchitarum Patriarchas Cyrum & Petrum uſque ad annum 650. Nullo igitur pacto calculus Eutychii ſtare poteſt.

Theodorus. XLV. Theodorus monachus Monaſterii Mataæotidis, Coſmæ ſucceſſit anno Hegitæ 109. Chriſti 728. Obiitque die 7. Mechir, 1. Febtuatii, anni Hegiræ 123. qui cœpit 26. Novembris anno Chriſti 741. Vacavit Sedes annum cum ſeptem menſibus.

Michael. XLVI. Michael, Coptis recentioribus decurtato nomine *Chael*, ( apud Erpenium Elmacini interpretem perperam *Abnachayl*, quum legendum ſit *Anba Chael*, hoceſt, *Abbas Chael*) : monachus S. Macarii ordinatus die 17. Thoth, 14. Septembris, anni martyrum 459. Chriſti 742. Hegiræ 124. qui cœpit 15. Novembris anno Chriſti 741., obiit die 16. Phamenoth, hoc eſt, 12. Martii anno Chriſti 766. martyrum 482. quum ſediſſet annos 23. cum dimidio. Haphezus, qui Michaelis electionem ratam habuit, Ægypto præfectus fuit ab Hiſciamo anno Hegiræ 124. & amotus a Valide Hiſciami ſuceeſſore anno Hegiræ 125. qui cœpit 4. Novembris anno Chriſti 742. Quare neceſſe eſt ordinationem Michaelis in eum quem dixi annum incidiſſe. Elmacinus circa Theodori & Michaelis ætatem ſibi non conſtat. Ait enim Theodorum anno Hegiræ 109. factum Patriarcham, ſediſſe annos 11. & obiiſſe 7. Mechir; Michaelem vero die 17. Thoth electum anno Hegiræ 120. Martyrum 460., obiiſſe anno 10. Manſoris Abugiaphari Chaliphæ, Hegiræ 145. quum ſediſſet annos 23. ſubditque juxta nonnullos Theodorum electum anno 1. Conſtantini filii Leonis, & ſediſſe annos 12. Michaelem autem electum anno 13. Conſtantini filii Leonis, Hegiræ 131. vel 130., ſediſſe annos 24. Quæ omnia turbata ſunt & confuſa. Nam annus primus & tertius decimus Conſtantini Copronymi filii Leonis Iſauri incidit in annum Chriſti 742. & 754.; Anni vero Hegiræ 109. 120. 130. 131. & 145. fuere Chriſti 728. 738. 747. 748. & 762. Annus denique Martyrum 460. cœpit anno Chriſti 743. Ad Michaelem Patriarcham Synodicas miſerunt Antiocheni Jacobitarum Patriarchæ Joannes & Iſaacus, quorum primus ab anno 740. ad annum 754. præfuit, alter eodem anno 754. quo Joanni ſucceſſit, ſuffocatus periit, poſtquam legatos in Ægyptum ad Michaelem miſiſſet Damaſci & Emeſæ Metropolitas, necnon Presbyterum & Diaconum ſuos Secretarios. Michael vero Synodicis reſpondere noluit, quod ii, quum Epiſcopi eſſent, ad Patriarchalem dignitatem contra Canones aſcendiſſent. Sub Athanaſio Iſaaci ſucceſſore, & Davide, qui Georgio in carcerem conjecto ſedem invaſit, nullæ Synodicæ ad Alexandrinos Patriarchas, neque ab his ad Antiochenos miſſæ. Porro fallitur auctor hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum apud Renaudotium pag. 211. quum ſcribit Joannem Athanaſio in Sede Antiochena ſuffectum anno Hiſciami I., hoceſt Hegiræ 105. qui cœpit 10. Junii anno Chriſti 723., & pag. 234. Athanaſium

Digitized by Google

Iſaaci ſucceſſorem tertio poſt electionem die obiiſſe; demum pag. 235. Davidem Georgio in vincula conjecto ſedem uſurpaſſe. Nam Joannes Patriarcharum iniit anno 740. perduxitque ad annum 754. Athanaſius autem quatuor circiter annis ſedem tenuit, ab anno ſcilicet 755. ad annum 759. Georgio denique anno 759. in Patriarcham electo, Schiſmatici Jacobitæ Joannem primo oppoſuere, qui ſedit ab anno 759. ad annum 756. deinde Davidem, qui anno 765. Georgium in carcerem detrudi curavit: manſitque in vinculis Georgius per novem annos uſque ad obitum Manſoris Abugiaphari, qui contigit die 6. menſis Dilhegæ anno Hegiræ 158. hoc eſt, menſe Octobri anno Chriſti 775. quemadmodum ex Abulpharagii Chronico Syriaco demonſtratum eſt in hiſtoria Patriarcharum Jacobitarum Tom. 2. Biblioth. Orient. a pag. 338. ad pag. 341.

XLVII. Mennas, Coptis *Minas*, Presbyter & monachus S. Macarii, patria Sebennytes, Arabibus *Semennudæus*, ( apud Abulbarcati interpretem perperam dictus *Semutenſis*), Michaeli anno Chriſti 766. ſuffectus, obiit anno 775. die ultima Tybi, 25. Januarii, quum ſediſſet annos fere novem. Vacavit poſt eum Sedes ad diem 16. Tybi, hoceſt, 11. Januarii, ſequentis anni. Quod ſubdit Elmacinus, ex quorumdam ſententia Mennam conſtitutum anno 3. Leonis filii Conſtantini Imperatoris, id nullo pacto ſtare poteſt: nam tertius Leonis annus incidit in annum Chriſti 778., adeoque obiiſſet Mennas anno Chriſti 787. quod falſum eſſe ex ſequentibus patet. In hiſtoria Mennæ apud Renaudotium pag. 237. quædam de Petro Diacono narrantur, quæ cum Chronico Apulpharagii conciliari nequeunt. Auctor enim ejus refert, *Petrum* „ *quum* Epiſcopatum a Menna petiiſſet, nec obtinuiſſet, „ conſcenſa navi in Syriam profectum, falſas ad Georgium Antiochenum „ Patriarcham ſubjectoſque eidem Epiſcopos litteras detuliſſe, quibus ſignificabatur Eccleſiam Ægyptiacam continua Præfectorum tyrannide „ oppreſſam, eſſe in ſummis anguſtiis, ſubſidiumque poſtulare. Georgium læto animo hominem excepiſſe, pecunias ei quantas potuit ſubminiſtraſſe, dediſſeque ad Metropolitas & Epiſcopos ſuos litteras, „ quibus eos hortabatur, ut Collectam facerent, quaſi in levamen publicæ apud Ægyptios calamitatis. Petrum corraſa pecunia ad Manſorem „ Abugiapharum profectum, accuſaviſſe Patriarcham, atque inter alia „ illud objeciſſe, eum artis chymicæ peritum eſſe, atque Chryſopœæ beneficio repleviſſe Eccleſias ſuas vaſis aureis & argenteis, quæ „ in theſaurum regium deferenda potius eſſent: litteras proinde ab eodem Chalipha ad Ægypti præfectum obtinuiſſe, quibus jubebatur, ut „ illum Patriarcham conſtitueret. Ægyptios Epiſcopos una cum Patriarcha conatibus Petri reſiſtentes, juſſu Præfecti coactos fuiſſe ad navale „ proficiſci, ubi per annum integrum manibus ſuis laborabant ad navium „ conſtructionem: poſtea in carcerem detruſos, ſed paucis poſt diebus „ liberatos, quum Diaconus ille ſceleſtus imprudenter adverſus Præfectum „ inſurrexiſſet, a quo in carcere conjectus eſt, ibique triennio detentus, „ donec is qui Præfecto Ægypti Succeſſor datus eſt, ſolutum Petrum ad „ Chalipham Abugiapharum remiſit, queſturum de injuria ſibi a prædeceſſore illata. Eum vero ut Principi placeret, chriſtianam fidem cum „ mahometana ſuperſtitione commutaſſe: honoribus igitur muneribuſque „ cumulatum, acceptis litteris regiis, cum ampliſſima auctoritate Ægyptum repetiiſſe, ulturum ſe de Patriarcha & Chriſtianis: ſed antequam „ adveniſſet, allatum fuiſſe nuncium de morte Chaliphæ, atque ita omnia perniciosa ejus conſilia evanuiſſe „. Quæ omnia quinto, vel ſexto Mennæ anno contigere: adeoque ex hujus Hiſtorici fide Manſores Abugiapharus obiiſſet anno Chriſti 771. vel 772. quod veram chronologiam

Mennas.

invertit. Prærerea Georgius Parriarcha Anriochenus juſſu Manſoris Abu-
giaphari anno Chriſti 765. antequam Mennas Parriarcha ordinarerur,
in vincula derruſus fuerat; manſirque in carcere, donec idem Manſores
in vivis fuit, hoc eſt uſque ad annum Chriſti 775. ut ſupra dixi. Pe-
trus igitur diaconus, qui Epiſcopatum a Menna petierat nec obtinue-
rat, a Georgio Antiocheno in vinculis detenro, neque pecunias, neque
commendaritias litteras accipere potuit, ſed a Davide, qui tunc Syris
Jacobitis præerat, ſi quidem vera ſunt, quæ de eo in hiſtoria Alexan-
drina narrantur.

Politianus, Eutychio Balatianus, in Coſmæ locum anno Manſoris 4.
Hegiræ 140. Chriſti 757. ſubrogatus, obiit anno Chriſti 802. quum
Melchitis Patriarcha Alexandrinus præfuiſſet quadraginta ſex annis. *Ne-
que in Synodo Nicæna ſecunda*, (quæ anno Chriſti 787. adverſus Icono-
machos habita eſt), *neque in antiquis Scriptoribus mentio ejus occurrit*, inquit
Renaudotius pag. 240. ſed fallitur: nam Nilus in libro de Synodis lo-
quens de Nicæno ſecundo Concilio Politianum diſerte nominat, his ver-
bis: ,, Sancta, & œcumenica ſeptima Synodus Nicææ ſecundo habita eſt,
,, imperantibus Conſtantino & matre ejus Irene, congregata a ſexcentis
,, ſexaginta tribus Sanctis Patribus adverſus Iconomachos. Præerant huic
,, Hadrianus Papa Romæ, Taraſius Conſtantinopolis, Politianus Alexan-
,, driæ, Theodoritus Antiochiæ, Elias Hieroſolymorum ,,. Photius in li-
bro de ſeptem Synodis pro Politiano habet *Apollinarium*: quum enim ei
Synodo trecentos & ſexaginta ſeptem interfuiſſe Epiſcopos ſcripſiſſet, lo-
cumque tenentes Hadriani Papæ & Patriarcham CP. Taraſium nominaſſet,
de Joanne ac Thoma, Vicariis Sedium Patriarchalium, hæc ſubjungit:
,, & Joannem ac Thomam ſingulari vivendi ratione celebres & ſacro ho-
,, nore inſignes, & totius Orientis Diœceſes Apoſtolicarum magnarum-
,, que ſedium gubernantes, nempe Apollinarii, & Theodoreti, & Eliæ,
,, quorum primus Alexandriæ, alter Antiochiæ, tertius Hieroſolymorum
,, erat Antiſtes ,,. In Actis ipſius Synodi, nomen Vicariorum, non Pa-
triarcharum exprimitur: Sic enim legitur: ,, Joanne & Thoma Presby-
,, teris & Vicariis Apoſtolicarum Sedium Orientalis Diœceſeos ,,: & in
,, Libello Synodico num. 787. ,, Joannes & Thomas Monachi & Presby-
,, teri, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani Diœce-
,, ſeos Orientis locumtenentes. Mendum itaque puto irrepſiſſe in librum
Photii, ubi Apollinarius pro Politiano legitur. Sed & Jacobus Goar hal-
lucinatur, quum Theophanis textum de Concilio Nicæno ſecundo ſic
reddit, perinde ac ſi Joannes & Thomas Patriarchæ fuerint, non Vica-
rii Patriarcharum. Ait enim in Edit. Pariſ. pag. 389. ,, Alexandriæ quo-
,, que & Antiochiæ Præſules Imperatrix *Irene*, & Patriarcha *Taraſius*
,, nunciis ſuis advocavere: nondum enim pax cum Arabibus icta expi-
,, taverat. Et Antiochia quidem Joannem illum magnum, virtute &
,, doctrina celebrem, non levibus Sanctitatis indiciis fulgentem, Patriar-
,, chæ Antiocheni quondam Syncellum; & Thomam Alexandrinum, vi-
,, rum religioſum & pietate inſignem, qui prius in Illyrico magnæ Ci-
,, vitatis Theſſalonicæ Archiepiſcopus claruerat, ex illis locis adduxerunt ,,
,, Et infra ,,. Eodem anno Imperatores miſerunt qui univerſos ſuæ di-
,, tionis Epiſcopos in annum convocarent: ad quos ab Adriano Papa
,, miſſi cum litteris homines, quos memoravimus, una cum Antiochiæ
,, & Alexandriæ Patriarchis acceſſerunt. Hæc Gnartius Theophanis in-
terpres. Verum longe aliter habet Theophanes, cujus Græcus textus ad
verbum ſic redditur ,,. Alexandriam quoque & Antiochiam Imperatrix
,, & Patriarcha nuncios ſuos miſerunt: nondum enim pax cum Arabi-

Digitized by Google

„ bus icta expiraverat: Et Antiochia quidem adduxerunt Joannem illum „ magnum, opere ac verbo celebrem & ſanctitate fulgentem, qui Pa„ triarchæ Antiocheni Syncellus fuerat; Alexandria vero Thomam, vi„ rum religioſum ac pietate inſignem, qui in Illyrico magnæ civitatis „ Theſſalonicæ Archiepiſcopus factus claruit. Eodem anno Imperatores „ miſerunt qui univerſos ſuæ ditionis Epiſcopos in unum convocarent: „ ad quos ex urbe Roma ab Adriano Papa miſſi cum litteris homines, „ quos memoravimus, una cum Antiocheno & Alexandrino acceſſerunt „: „ non quidem cum Patriarchis Antiocheno & Alexandrino, ut perperam interpretatur Goartius, ſed cum eorum Vicariis, ut confirmatur ex his ejuſdem Theophanis ad annum ſequentem verbis „: Tota æſtiva „ tempeſtate Nicæam Epiſcopi omnes convenere: neque vero eos, qui „ Romanæ Sedis, & Orientalium Thronorum perſonam referebant, di„ miſerat: quinimo adhuc tenebat penes ſe „. Sed de his ſatis.

XLVIII. Joannes Panopoli in Buſiritide natus, ex monacho S. Macarii, œconomus Eccleſiæ Sancti Mennæ die 16. Tybi, 11. Januarii anno Chriſti 776. per ſortem electus, obiit eodem menſe ac die, anno Chriſti 799. Martyrum 515. Elmacinus lib. 2. cap. 5. eum ordinatum ſcribit anno I. Moſis Hadii Chaliphæ, Hegiræ 169. qui cœpit 13. Julii anno Chriſti 785. & obiiſſe anno Martyrum 515. quum ſediſſet annos 13. in quo ſibi manifeſte repugnat: nam annus Martyrum 515. reſpondet anno Chriſti 799., a quo ſi tredecim anni Sedis Joannis demantur, inauguratum eum oportet anno 786., quum tamen ſupra ſcripſiſſet Mennam Joannis anteceſſorem ex ſua quidem ſententia deceſſiſſe anno 775. ex aliorum vero opinione, anno 787. Porro Joannes Synodicam ſcripſit ad Georgium Antiochenum, a quo & reſponſum accepit. Item Synodicam miſit ad Cyriacum, quæ extat in libro, cui titulus, *Fides Patrum*: Cyriacus autem alteram Synodicam ad eumdem Joannem miſit per Anaſtaſium Metropolitam Damaſci, qui in Ægyptum perrexit cum duobus Epiſcopis, & a Joanne humaniter exceptus eſt. Obiit vero Georgius Syrorum Jacobitarum Patriarcha anno Chriſti 790 cui ſuffectus Joſeph, Sedem tenuit ad annum 792. Joſephum excepit Cyriacus menſe Auguſto anno 793. obiitque anno 817. Elmacinus lib. 2. cap. 5. & Renaudotius pag. 242. Georgio Cyriacum proximum ſucceſſorem perperam faciunt. Joannes IV.

XLIX. Marcus Presbyter Eccleſiæ Cairenſis, die 2. Mechir, 27. Januarii anno Chriſti 799. ordinatus, obiit die 22. Pharmuthi, 17 Aprilis in feſto Paſchatis, anno Martyrum 535. Chriſti 819. Elmacinus ſibi non conſtat: nam pag. 122. ait Marcum ordinatum anno Raſcidi Chaliphæ 23. Hegiræ 193. qui eſt Chriſti 808. obiiſſe anno Martyrum 535. qui eſt Chriſti 819. Pagina vero 140. mutata ſententia ſcribit eum deceſſiſſe anno Hegiræ 211. qui cœpit 12. Aprilis anno Chriſti 826. Is Barſanuphianos hæreticos, qui a diebus Petri Mongi a communione Dioſcorianorum abſtinuerant, ad ſectam ſuam adjunxit. Scripſit autem myſtagogicas Catecheſes 21. & Heorſtaticas, ſeu Paſchales Epiſtolas 20. miſit quoque Synodicam ad Cyriacum Antiochenum per Epiſcopos Marcum Taneos, & Marcum alterum Phermæ, una cum Georgio Diacono & œconomo Eccleſiæ Alexandrinæ. Quumque Abrahamus Sedem Antiochenam adverſus Cyriacum invaſiſſet, Marcus datis ad eumdem Cyriacum litteris operam adhibuit, ut Schiſma Abrahamianorum comprimeret, de quo vide Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 343. Dionyſius Cyriaci ſucceſſor Synodicam miſit ad Marcum, qui reſponſum ei ſcripſit de utriuſque Eccleſiæ communione. Marcus II.

Euſtathius Abbas Cœnobii Kolair, hoceſt , Raithu , Politiano Melchitarum Parriatchæ ſucceſſit anno Chriſti 802. obiitque quarto poſt anno, qui erat Aaronis Raſcidi 20. Chriſti 806.

Chriſtophorus in locum Euſtathii ſuffectus , paralyſi correptus eſt , adeout Perrus Epiſcopus conſtirutus ſit, qui Parriarchale Officium tamquam Vicarius adminiſtraret, Epiſcopoſque ordinaret . Quumque Chriſtophorus annos 32. ſediſſet, obiit anno Chriſti 837.

Job, ( Eutychio Tom. 2. pag. 440. & 455. dictus Sophronius), Chriſtophoro ſucceſſit anno Motaſemi Chaliphæ 4. Hegiræ 221. qui reſpondet anno Chriſti 836. & 837. Is una cum Chriſtophoro Anriocheno, & Baſilio Hieroſolymitano ad Theophilum Imperatorem litteras pro cultu Sacrarum Imaginum miſiſſe dicitur in Epiſtola Conſtantini Porphyrogeniti pag. 91. obiit anno Chriſti 850. quum ſediſſet annos 13. Fallitur Renaudotius, quum pag. 289. de initio Parriarchatus Jobi , ſeu Sophronii loquens, annum Motaſemi quartum cum anno Hegiræ 230. Chriſti 844. conjungit: Motaſemus enim ex omnium hiſtoricorum fide regnum iniit die 18. Ragebi anno Hegiræ 218. qui cœpit die 26. Januarii anno Chriſti 833.

Jacobus. L. Jacobus S. Macarii monachus creatus anno Martyrum 535. Chriſti 819. Hegiræ 204. ( non 211. ut perperam legitur apud Elmacinum lib. 2. cap. 8. is enim annus eſſet Martyrum 542. non 535. ) obiit die 14. Mechir, 8. Februarii anno Chriſti 830., quum annos 11. ſediſſet . Ejus tempore in Ægyptum venit Dionyſius Patriarcha Antiochenus, ut conveniret Abdallam Taheri filium, Mamonis Chaliphæ Vicarium, Edeſſenorum ſcilicet Jacobitarum cauſa, quos Saraceni intolerandis malis afficiebant: adiitque Jacobum Patriarcham ; quumque apud eum aliquot dies manſiſſet, ad Cathedram ſuam reverſus eſt. Abdallas Ægypti Præfectus fuit, ut Elmacinus teſtatur lib. 2. cap. 8. ab anno Hegiræ 210. ad annum 213., hoceſt, ab anno Chriſti 825. ad annum 828. Quare Elmacino conſonat Abulpharagius, dum Dionyſii Patriarchæ profectionem in Ægyptum, & colloquium cum Jacobo Alexandrino collocat ad annum Alexandri 1136. Chriſti 825.

Simeon. LI. Simeon Monachus, patria Alexandrinus , creatus anno Chriſti 830., obiit die 3. Paophi, hoc eſt, 30. Septembris ejuſdem anni, quum ſediſſet menſes ſeptem cum aliquot diebus. Vacavit Sedes duobus circiter menſibus, non anno uno, ut in Chronico perperam legitur . Elmacinus lib. 2. cap. 9. ait, Simeonem ordinatum anno Hegiræ 222. qui cœpit 14. Decembris anno Chriſti 836. Verum id ſtare nequit ex iis , quæ ad annum Hegiræ 217. Chriſti 832. ab eodem Elmacino referuntur de bello, quod Mamones Chalipha ſuſcepit adverſus Bimairas Ægypti populos, quos Erpenius pag. 137. male reddit *Cives Taima*, pro ب *B* litteram ت *T* ſubſtituens. Nam in ea expeditione tam Dionyſius Antiochenus, quam Joſephus Alexandrinus Simeonis ſucceſſor interfuere , ut ex Abulpharagio oſtenſum eſt Tom. 2. pag. 346. & ſeq. & pluribus narrat Renaudotius in hiſtoria Alexandrina a pag. 279. Fallitur etiam Solerius, qui pag. 86. ſcribit Simeonom abdicato Parriarchatu Monachum factum fuiſſe, atque ad annum 841. ſupervixiſſe: Omnes enim hiſtorici illum eodem quo Patriarcharum iniit anno mortuum teſtantur . Verba autem Hagiologi Abyſini, qui eum monaſtico habitu indutum ſcribit , de monachatu ante Patriarcharum intelliguntur, ſuntque adeo clara , ut mirum ſit, perſpicaciſſimum auctorem ex iis collegiſſe, Simeonem dimiſſo Patriarchatu Monachum factum fuiſſe. *Salutem Simeoni* ( inquit Poeta Abyſſinus), *qui habitum Angelorum induit* , *& voluptates mundi con-*

*tempſit. Præteritis ſui Patriarchatus menſibus quinque cum dimidio* ( apud Sollerium pro quinque obrepſit quinquaginta ), *Dominus eum cito ſuſcepit, ſicut oravit & petiit, ut a pedum ſuorum infirmitate ſe recrearet.* Igitur poſt quinque cum dimidio a Patriarchatu inito menſes, Dominus eum ſuſcepit, nempe deceſſit, non Monachus factus eſt.

LII. Joſephus, Coptis *Juſabus*, monachus Sancti Macarii, patria Memphiticus, ordinatus die 21. Athyr, ſeu 17. Novembris, anno Martyrum 547. Chriſti 830. Obiit die 23. Paophi, ſeu 20. Octobris, anno Martyrum 567. Chriſti 850. Elmacinus pag. 144. de anno ordinationis Joſephi loquens, perperam componit annum Martyrum 547. cum anno Hegiræ 223. & ſexto Motaſemi Chaliphæ. Nam annus Hegiræ 223. cœpit die 3. Decembris anni Chriſti 837. Annus vero Martyrum 547. cœpit die 29. Auguſti anni Chriſti 830. Motaſemus autem Chaliphatum iniit die 18. Ragebi anni Hegiræ 218., hoc eſt, circa initium Auguſti anni Chriſti 833. Adeoque ſextus ejus annus incidit in annum Hegiræ 224., qui cœpit die 23. Novembris anni Chriſti 838. Joſephum Alexandrinum Patriarcham Dionyſius Antiochenus anno Chriſti 832. adiit, quum in Ægypto Legatione Mamonis Chaliphæ ad Bimaitas, ſeu Biſmiritas, uterque functus eſt, ut ſupra dixi. Mortuo autem Dionyſio menſe Auguſto anni Chriſti 845., qui erat Joſephi decimus-quintus, Joannes Dionyſii ſucceſſor Synodicam ad eumdem Joſephum anno ſequenti ſcripſit, per Athanaſium Euphemiæ Metropolitam ac Timotheum Damaſci miſſam, cujus meminit auctor vitæ Joſephi apud Renaudotium pag. 291. Joſephus.

LIII. Michael, per apocopen Coptis uſitatam *Chael*, Abbas Cœnobii Sancti Joannis in Valle Canopi ſeu Habib, creatus die 24. Athur, ſeu 20. Novembris anno Martyrum 567. Chriſti 850. Obiit die 22. Pharmuthi, hoceſt, 17. Aprilis, anno Martyrum 568. Chriſti 851. quum ſediſſet annum unum & menſes quinque. Elmacinus lib. 2. cap. 11. ait Michaelem electum anno decimo Motuaccheli Chaliphæ, Hegiræ 242. die 14. Athyr: quumque anno uno ac menſibus quinque ſediſſet, obiiſſe die 12. Pharmuthi, anno Martyrum 567. Verum hæc conciliari nequeunt: nam annus Hegiræ 242. cœpit die decima Martii anni Chriſti 856. Annus vero Martyrum 567. reſpondet anno Chriſti 850. & 851. Michael.

LIV. Coſmas Sebennytes, Coptis Semennudenſis, Abulbarcato interpreti Semenutenſis, monachus Sancti Macarii, ex Diacono Patriarcha creatus die 14. Epiphi, ſeu 8. Julii, anno Martyrum 568. Chriſti 852. Obiit die 21. Athyr, hoc eſt, 17. Novembris, anno Martyrum 575. Chriſti 858. quum ſediſſet annos 7. cum menſibus quinque. Scripſit Synodicam per Severum & Michaelem Epiſcopos miſſam Joanni Patriarchæ Antiocheno, qui Dionyſium excepit, ſeditque ab anno Chriſti 846. ad annum 873., abeoque reſponſum accepit. Fallitur proinde Renaudotius, dum pag. 295. ſcribit, ejus Synodicæ magnam partem referri in Tractatu de Fide Patrum; quæ enim ibi refertur, non hujus Coſmæ eſt, ſed alterius, qui inter Patriarchas Alexandrinos quinquageſimus-octavus recenſetur, ut Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 348. obſervavi. Elmacinus lib. 2. cap. 11. Coſmam ait Patriarcham conſtitutum anno Hegiræ 244. Martyrum 567. Sed hic calculus ſtare nequit: nam annus martyrum 567. eſt Chriſti 851. & 852. Annus vero Hegiræ 244. cœpit 19. Aprilis anni Chriſti 858. Coſmas II.

LV. Sanuthius, alii *Sanitius*, *Sennodius*, & *Scenuda*, patria Bethnonenſis, monachus & œconomus Eccleſiæ S. Macarii, ordinatus die 13. Tybi, 8. Januarii, anno martyrum 575. Chriſti 859. Obiit die 24. Pharmuthi, 19. Aprilis anno Chriſti 870. quum ſediſſet annos 11. menſes 3. Sanuthius.

eum aliquot diebus. Scripſit de more Synodicam per Paulum & Joannem Epiſcopos miſſam ad Joannem Antiochenum. Epiſtolas præterea Paſchales edidit, quibus & unam in Chriſto naturam unamque Perſonam propugnabat, & de legitimo Paſchatis die diſſerebat. Hæreticos demum Julianiſtas, Gajanitas, Barſanuphianos, & Quattodecimanos nonnullos communioni ſuæ adjecit: atque ita paulatim omnes fere Eutychianorum aliorumque hæreticorum ſectæ in unam Ægyptiorum Dioſcorianorum, quos Coptos vocamus, coaluere. Elmacinus lib. 2. cap. 13. ſcribit Sanuthium (qui olim Arſenius, ſeu, ut Erpenius legit, Oſanius dicebatur) Patriarcham creatum anno Hegiræ 252. martyrum 575. Verum annus Hegiræ 252. cœpit die 22. Januarii anno Chriſti 866. Annus vero martyrum 575. reſpondet anno Chriſti 859. & 860.

Michael Pachonii filius creatus Melchitarum Patriarcha anno Chriſti 850., quum annos 19. ſediſſet, obiit anno 869. Eutychius ait eum Cathedram tenuiſſe annos 24. & obiiſſe anno Hegiræ 256. qui cœpit die 9. decembris anno Chriſti 869. Ejus temporibus habitum fuit Concilium Conſtantinopolitanum IV. OEcumenicum VIII. adverſus Photium ſedis Conſtantinopolitanæ uſurpatorem, cujus Actio I. celebrata eſt die 5. Octobris anno Chriſti 869. & poſtrema exeunte menſe Februario anni 870.

Michael alter Gazenſis ab anno Hegiræ 256. Chriſti 870. ad annum Hegiræ 290. qui cœpit quinta Decembris anno Chriſti 902. Melchitis Patriarcha Alexandrinus præfuit per annos ſolares 33. Actione ſecunda Conciliabuli Photiani anno 879. lecta fuit hujus Michaelis Alexandrini Patriarchæ ad Imperatorem Baſilium Epiſtola, qua Synodi Octavæ contra Photium habitæ abolitioni ſuffragabatur. Vacavit poſt eum Sedes annis quatuor.

Michael II. L VI. Michael (alias *Chael*) poſt Sanuthii obitum anno Hegiræ 263. qui cœpit 24. Septembris anno Chriſti 876. Patriarchatum iniit, deceſſitque die 21. Mechir, ſeu 15. Februarii anno Chriſti 900. quum annos 24. ſediſſet. Vacavit ſedes annos 14. Sollerius pag. 89. Michaelem ab anno 870. ad annum 896. præfuiſſe ſcribit. Abulbarcatus ejus Ordinationem factam refert anno Hegiræ 268. Martyrum 597., Chriſti 881. obitum autem contigiſſe anno Hegiræ 297. Martyrum 625. Chriſti 909. die 20. Phamenothi, ſeu 16. Martii. Verum hæc conciliari nequeunt cum iis, quæ apud Elmacinum & Tractatum de Fide Patrum de hoc Michaele Patriarcha occurrunt. Elmacinus enim poſtquam annos Sedis Michaelis recenſuiſſet, ſubjungit de Achmete filio Tolonis, ejuſque filio Hamaruæo, Ægypti Præfectis, qui ingenti pecuniæ ſumma eumdem Michaelem multaverant. *Achmetes* (inquit pag. 176.) *filius* Tolonis vita ex-
„ ceſſit, antequam Michael partem alteram tributi ſibi impoſiti perſol-
„ veret. *Hoc* (eodem nimirum Michaele) *Patriarchatum* tenente occiſus quoque fuit Hamaruæus filius Achmetis filii Tolonis die 26. Tybi anni
„ 612. Diocletiani, nimirum die 21. Januarii anni Chriſti 896. & infra pag. 177. & 180. ait Hamaruæum interfectum anno Hegiræ 282. qui quum cœperit die 2. Martii anno Chriſti 895. inciderit oportet dies 21. Januarii, quo obiit Hamaruæus, in annum Chriſti ſequentem, hoc eſt, 896. In Tractatu vero de Fide Patrum, binæ extant ad eumdem Michaelem Synodicæ, quas Patriarchæ Antiocheni Theodoſius ac Dionyſius ſcripſere: quorum prior ſedit ab anno Chriſti 887. ad annum 896. alter ab anno 897. ad annum 909. Renaudotius pag. 327. citat Michaelem Janeos Epiſcopum, qui vitam hujus Michaelis Patriarchæ ſcripſit, affirmantem, Hamaruæum ſeu, ut ipſe legit, Hamaroviam, Achmetis

filium

filium, eidem Michaeli ſupervixiſſe. Ego certe eamdem vitam Arabice legens in ea ſcriptum invenio „ *Michaelem ſediſſe* annos 27. & obiiſſe „ die 21. Mechir, temporibus Hamaruæi filii Achmetis filii Tolonis „. Sed proculdubio ſupplendum eſt nomen *Geiſi* filii Hamaruæi, qui cæſo patre anno Hegiræ 282. ut modo ex Elmacino dicebam, Ægypti præfecturam accepit eodem anno.

LVII. Gabriel monachus Sancti Macarii anno Hegiræ 301. qui cœpit 7. Auguſti anno Chriſti 913. ordinatus, obiit die 21. Mechir, hoc eſt, 15. Februarii anno Hegiræ 309. qui cœpit 12. Maii anno Chriſti 921. Toto Patriarchatus ſui tempore manſit in monaſteriis Hiſtriæ, neque Cairum aut Alexandriam acceſſit, niſi urgentibus negotiis, quibus expeditis, ſtatim ad aſceteria, quæ in Valle Habib ſeu Canopi ſita erant, revertebatur. De eodem in Chronico Orientali dicitur, *Edictum illud inſtauravit, ut ſinguli viri & mulieres denarium ſolverent Patriarchæ quolibet anno* Id Edictum in vita ejuſdem Gabrielis Arabice vocatur *Diaria*, hoc eſt, penſio monaſtica, ſeu pro monaſteriis, cujus vocis etymon eſt *Dair*, cœnobium, & *Diara*, Cœnobia. Renaudotius pro *Diaria*, perperam legit pag. 330. *Denariata*, & *Denariat*, idque recte interpretatur *Denarii aurei unius annuam ab omnibus Chriſtianis viris & fœminis exactionem*. Hanc penſionem ex Gabrielis inſtitutione colligebant Epiſcopi in ſua cujuſque Diœceſi, & ad Patriarcham deferebant, qui ſoluto debito, reliquam pecuniam in eleemoſynas impendebat. De eadem penſione a Gabriele inſtituta loquitur Elmacinus pag. 196. -- *Ferunt, hunc inſtituiſſe Diariam, hoc eſt, monaſticam penſionem, a viris, & fœminis ſolvendam*. Quæ verba Erpenius ſenſu prorſus alieno ſic reddit: *Atque hic ædificaſſe dicitur monaſteria viris & mulieribus*: impoſuitque Sollerio, qui pag. 90. quum Chronicon Orientale ab Elmacino diſſentire obſervaſſet, utrumque conciliare nititur his verbis: „ Dicit præterea „ Elmacinus, quod viris mulieribuſque monaſteria conſtruxit. Hiſtoria „ e contrario illi impingit, quod ſingulis viris & mulieribus indixerit „ denarium Patriarchæ ſolvendum. Quid ſi ſalvandæ virtutis gratia di„ camus, exactos denarios condendis monaſteriis impenſos „? Quod addit Sollerius de anno obitus Gabrielis, quem die 15. Februarii feria quarta anno Chriſti 926. contigiſſe putat, id infra examinabitur. Gabriel.

Chriſtodulus Alepenſis in locum Michaelis Patriarchæ Melchitarum ſucceſſit anno Chriſti 906. Hic ordinatus fuit Hieroſolymis ab Elia Manſuri filio Patriarcha Melchitarum Hieroſolymitano: quumque Alexandriam veniſſet, Alexandrini negaverunt ſe eum recepturos, niſi ſuper eum repeteretur Oratio Patriarchalis, hoc eſt, oratio ad Patriarcham conſecrandum, quod factum eſt anno Hegiræ 294. Obiit anno Martyrum 649. Hegiræ 320. qui cœpit die 13. Januarii anno Chriſti 932. quum ſediſſet annos 26. Renaudotius pag. 342. in conciliando Hegiræ, Martyrum, & Chriſti anno, quo Chriſtodulum Eutychius Parricides obiiſſe ſcribit, mirum in modum hallucinatur: quum enim dixiſſet Chriſtodulum ex mente Eutychii deceſſiſſe anno Hegiræ 320. Martyrum 649. ſubjungit: *ſed triennio fallitur, quum Hegiræ 323. ſit Jeſu Chriſti 934. Martyrum 650.* Jam dixi annum Hegiræ 320. cœpiſſe die 13. Januarii anno Chriſti 932. cujus menſe Septembri inchoatus fuit annus Martyrum 649. adeoque calculus

Eutychii annum Hegiræ 320. cum anno Martyrum 649. conjungentis, recte procedit. Non item calculus Renaudotii, qui quum hic triennio deceptum fuiſſe Eutychium ſcribit, infra tamen pag. 346. ejuſdem Eutychii ſententiam probat, de Chriſtoduli morte inquiens: „ Obiit Chriſto„ dulus Melchitarum Alexandrinorum Patriarcha anno 320. quem Euty„ chius componit cum anno Martyrum 649. qui eſt Jeſu Chriſti „ 933 „.

Eutychius, Patricides, Arabibus *Said filius Batrik*, cujus Annales opera Eduardi Pocokii in lucem prodierunt, patria Cairenſis, profeſſione medicus, poſt Chriſtoduli obitum, ordinatus fuit Melchitarum Patriarcha anno primo Kaheri Chaliphæ, Martyrum 649. Hegiræ 321. qui cœpit die 1. Januarii anno Chriſti 933. Quumque annos 7. & menſes 6. ſediſſet, obiit feria ſecunda, exeunte menſe Ragebo, anno Hegiræ 328. qui cœpit die 18. Octobris anno Chriſti 939.

Coſmas III. LVIII. Coſmas poſt 15. Februarii anno Hegiræ 309. Chriſti 922. creatus, quum annos 12. ſediſſet, obiit die quinta Phamenoth, ſeu 1. Martii, anno Hegiræ 322. qui cœpit die 22. Decembris anno Chriſti 933. Scripſit binas Synodicas ad Antiochenos Jacobitarum Patriarchas Joannem, & Baſilium, & ab hoc reſponſivam accepit. Joannes autem Syris Jacobitis Patriarcha præfuit poſt Dionyſium ab anno Chriſti 910. ad menſem Novembrem anni 922 Baſilius vero ab anno 923. ad annum 935. Sollerius pag. 90. ait Gabrielem anno 910. creatum, obiiſſe anno 926. & Coſmam ejus ſucceſſorem ab anno 926. ad diem 27. Februarii anni 938. Patriarchatum tenuiſſe. In Chronico Elmacini pag. 196. Coſmas Patriarchalem Dignitatem iniiſſe dicitur anno Hegiræ, non trecenteſimo primo, ut perperam habetur in verſione Latina Erpenii, ſed trecenteſimo undecimo, qui cœpit die 20. Aprilis anno Chriſti 923. Verum ab utroque calculo nobis recedendum eſſe ſuadet Synodica, quæ in Tractatu de Fide Patrum exſtat a Coſma ad Joannem Antiochenum miſſa: Joannes enim, ut ex accuratis Syrorum monumentis conſtat, deceſſit menſe Novembri anno Chriſti 922. Ægyptum autem a Syria non ita diſtat, ut Joannis Antiocheni obitus per anni ſpatium latere Alexandrinis debuerit. Porro Coſmas ordinavit Æthiopibus Habeſſinis Metropolitam nomine Petrum, quem Rex ille benevole ſuſcepit & in honore habuit. Sed filius natu major, qui fratrem minorem regno ex patris ac Metropolitæ ſententia præpoſitum, bello aggreſſus ceperat, & in carcerem conjecerat, Menna & Victore monachis Sancti Antonii, qui in Æthiopiam obrepſerant, inſtigantibus, Petrum quidem in exilium miſit, ubi & ærumnis confectus deceſſit; Mennam autem falſas Coſmæ Patriarchæ nomine litteras deferentem, ſeque ab eo Metropolitanum ordinatum jactentem, pro Metropolita haberi juſſit. Re tamen ex aliis ejuſdem Patriarchæ litteris comperta, Mennas juſſu Regis interfectus eſt; Petri autem diſcipulus in eam Cathedram intruſus, etſi ordinationis expers eſſet. Atque hic Æthiopum ſtatu fuit uſque ad Philothei Patriarchæ tempora, de quo mox ſermo erit.

Macarius. LIX. Macarius patria Scebrenſis, monachus Sancti Macarii, menſe Pharmuthi, qui a vigeſimaſeptima Martii incipit deſinitque in vigeſimamquintam Aprilis, anno Chriſti 934. creatus, quum ſediſſet annos 20. obiit die ſecunda Tybi, hoc eſt, 28. Decembris anno Chriſti 954. Hegiræ 343. Martyrum 670. Vacavit ſedes uſque ad annum Hegiræ 345. Extat in Tractatu de Fide Patrum hujus Macarii Synodica ad Joannem Antiochenum, qui Baſilio ſucceſſit, ſeditque ab anno Chriſti 936. ad annum 956.

Theophanius.

L X. Theophanius Alexandrinus creatus anno Morii Chaliphæ 11. Hegiræ 345. qui cœpit menſe Majo anno Chriſti 956. Quumque ſediſſet annos 4. & menſes 6. occiſus fuit die decima Chojaeh , hoceſt, 6. Decembris anno Chriſti 960. Martyrum 977. Hegiræ 349. De ejus morte non convenit inter Scriptores Ægyptios. Nam Chronici auctor ſcribit ipſum, quod Chriſtum abnegaſſet, ab Epiſcopis occiſum & in mare projectum. Ajunt alii porrectum ei venenum. In vitis Patriarcharum dicitur ab immundo Spiritu correptus, quod veſtem Patriarchalem humeris detractam humi abjeciſſet, & coram Alexandrinis Civibus indigne conculcaſſet, adeout vinculis ferreis eum conſtringi oportuerit: poſtea quum illius curandi cauſa decreviſſent Epiſcopi, ut ex Urbe Alexandria Cairum deportaretur, ne palam fieret ejus furor, in imam navis partem detruſus fuiſſe; ibique quum magis ac magis furioſus blaſphemare cœpiſſet, quidam ex Epiſcoporum, qui illum comitabantur, Clericis, tantas blaſphemias impatienter ferens, ad eum noctu deſcendiſſe, impoſitoque ſuper os ejus cervicali, ſpiritu intercluſo, eum necaviſſe. Cauſa vero diſſidii ejus cum Alexandrinis hæc fuiſſe perhibetur, quod nimirum annuam mille aureorum penſionem, Eccleſiæ Alexandrinæ a prædeceſſoribus Patriarchis pendi ſolitam, aut imminui, aut remitti ab Alexandrinis poſtulaſſet: illis vero pertinaciſſime negantibus, quum nonnulli etiam Theophanio exprobraſſent, illum præter veſtem Dignitati Patriarchali convenientem nihil aliud habere, quo ſe ſuper alios tam impotenter extolleret; Eam inſuper veſtem non ipſius eſſe, ſed eorum munus, qui illam ipſi largiti fuerant: is ira tumidus habitum Patrarchalem, ut ſupra dictum eſt, in terram abjecit.

Mennas II.

L X I. Mennas, Coptis *Minas*, patria Sedlenſis, monachus S. Macarii, ineunte anno Chriſti 961. creatus, quum annos fere 11. ſediſſet, obiit die 15. Athyr, hoc eſt, 11. Novembris anno Chriſti 970. Vacavit poſt eum Sedes annum unum. Exſtant Synodicæ Patriarcharum Antiochenorum ad Mennam ſcriptæ, binæ ſcilicet Dionyſii, totidemque Joannis: necnon una Mennæ ad Joannem. Dionyſius autem ſedit ab anno 959. ad menſem Junium anni 961. Joannes vero ab anno 965. ad annum 985. Elmacinus pag. 230. annum Hegiræ 350. quo Mennam inauguratum ſcribit, cum anno Martyrum 678. componit: ſed minus recte; nam annus Martyrum 678. reſpondet anno Chriſti 962. Annus vero Hegiræ 350. cœpit die ſecunda Martii anno Chriſti 960. Auctor vitæ Mennæ teſtatur eum iniiſſe Patriarchalem Dignitatem anno Martyrum 673. triennio, poſtquam Axidæus Ægypto potitus fuiſſet. Is Martyrum annus reſpondet anno Chriſti 957. in quem tamen tertius regni Axidæi annus nequaquam convenit. Nam Mahometus Axidæus Abubecrus filius Taagi, cui familia Axidæorum (Akchidæos Renaudotius vocat, Erpenius Achſiidos) originem ſuam acceptam refert, anno Hegiræ 321. a Cahero Chalipha Ægypto præfectus fuit, eodemque anno depoſitus; Anno vero Hegiræ 323. menſe Ramadano Syriæ & Ægypti regnum occupavit: & anno 334. die 22. Dilhegæ obiit, filiusque ejus Abuhurus in imperio ei ſucceſſit, ſummam rerum adminiſtrante Caphuro ſervo: Obiit autem Abuhurus anno 349. fraterque ac ſucceſſor ejus Ali anno 355. quo memoratus Caphurus dignitatem regiam accepit, tenuitque ad annum 358. quo deceſſit. Atqui anni Hegiræ 321. 323. 334. 349. 355. & 358. cœperunt die 1. Januarii anno Chriſti 933. 11. Decembris 934. 13. Auguſti 945. 2. Martii 960. 28. Decembris 965. & 25. Novembris 968. Hallucinatur itaque auctor vitæ Mennæ, qui annum Chriſti 957. cum anno tertio Axi-

dæi, ſive is Abubecrus, ſive Abuhurus, aut Ali, vel Caphurus fuerit, componit.

Ephræm. LXII. Ephræm, qui olim Abraham vocabatur, gente Syrus, Zuraa parte natus, profeſſione negotiator ſeu mercator, Patriarcha creatus eſt anno Chriſti 971. Martyrum 687. Moezzo Chaliphatum in Ægypto tenente, ut in ejusdem Ephræmi vita diſerte legitur. Obiit autem Moezzus anno Hegiræ 365. qui cœpit die 10. Septembris anno Chriſti 975. Ephræmus vero quum annos tres cum aliquot menſibus ſediſſet, deceſſit menſe Januario anno Chriſti 975. Martyrum 691. Quamobrem Elmacinus hallucinatur, qui pag. 246. ſcribit Ephræmum in Sede Alexandrina conſtitutum Patriarcham anno Hegiræ 367. Martyrum 693. qui tertius erat Azizi Chaliphæ filii Moezzi, Chriſti autem 977. quumque ſediſſet annos 3. & menſes 6. obiiſſe anno Hegiræ 370. Chriſti 980. Juxta Sollerium pag. 92. die 12. Novembris 975. creatus, obiit 26. Januarii 979. Quod vero tam in Chronico Orientali, quam in ejus vita dicitur de Ephræmo, a Judæis nimirum eum provocatum, fide ſua montem tranſtuliſſe, id fabulæ loco habendum eſt, tum quia ab hæretico homine, qualis Ephræmus fuit, miraculum fieri nequivit: tum etiam quia de eodem miraculo diverſa ſunt Græcorum, Jacobitarum, & Neſtorianorum teſtimonia. Nam idem prorſus miraculum Relationi ſuæ de ſtatu hodiernorum Græcorum cap. 26. pag. 550. inſeruit Chriſtophorus Angelus, tamquam in Ægypto, & quidem in Urbe Cairo factum, ſed a Græco Patriarcha, non ab Ægyptio, neque ſub Chaliphis Pharemidis, ſed ſub Turcis Imperatoribus, ſexaginta circiter annis, antequam is ſcriberet: Scribebat autem anno Chriſti 1617. Marcus Paulus Venetus, qui anno 1295. in patriam rediit, lib. primo cap. 18. eamdem omnino hiſtoriam contigiſſe refert prope Tauriſium Perſidis urbem: & ſimile quid legitur in Vitis Patriarcharum Neſtorianorum apud Amrum. Quæ diverſæ populorum, temporum, locorumque circumſtantiæ ſuſpicionem augere potius, quam fidem facere debent, ut recte notat Renaudotius pag. 371. qui tamen caſtigatione indiget, quum de Græcis ſequioris ævi, hoc eſt, Schiſmaticis, loquens, eos ubique *Orthodoxos* vocat.

Philotheus. LXIII. Philotheus, qui ab Erpenio Elmacini interprete *Philoponus* male appellatur, quique in Codice Regio, quo Renaudotius uſus fuit, *Theophilus* alicubi dicitur, monachus S. Macarii, menſe Martio anno Martyrum 691. Chriſti 975. Patriarcha creatus, quum annos 24. ac menſes 6. ſediſſet, obiit 3. Athyr, ſeu 30. Octobris, anno Martyrum 716. Chriſti 999. Elmacinus pag. 246. Philothei inaugurationem ponit anno Hegiræ 371. qui cœpit 6. Julii anno Chriſti 981. adeoque ex ejus mente deceſſit anno Chriſti 1005. quum eum ſediſſe dicat annos 24. & menſes 7. Sollerius pag. 92. ſcribit Philotheum die 29. Martii anno Chriſti 979. ordinatum, deceſſiſſe 30. Octobris anno 1003. Quumque apud Elmacini interpretem legiſſet Philoponum velut Simoniacum, avarum, guloſum, & impium traduci; Philotheum vero ab Hagiologo Habiſſino tamquam Apoſtolicum virum commendari; Jobi Ludolphi conjecturam ſecutus, diſtinguendum eſſe voluit inter Philotheum & Philoponum, quorum hic, inquit, execrationem omnium metuerit, a Chalipha forte intruſus, ideoque indignus creditus ſit, qui inter Patriarchas nominaretur a Coptis Catalogi Kircheriani auctoribus, Abulbarcato, & Habiſſinis; iſte, ut Sanctus, fuerit poſteritati commendatus, quem Hagiologus ſic invocando honorat: *Salutem tibi Philothee Apoſtole, Patriarcha Alexandrine. Quum Æthiopibus præfeciſſent* ( *ii ſcilicet qui Philoponum volebant Patriarcham haberi* ) *impoſtorem, ita ut eſſent ludibrio vicinis & præda hoſtibus; ſub tuo*

*regimine ( o Philothee ) remoto illo , reſpiravit Æthiopia* . Hæc Sollerius: ſubdit-
„ que: *Certe* non facile ſibi quis perſuaſerit, in unam quadrare hæc eam-
„ demque perſonam. Similius vero eſt, Alexandrinos, repulſo Philopo-
„ no, Philotheum præpoſuiſſe , quorum virtutes & vitia , propter affi-
„ nitatem *nominis , Scriptores aliqui ſubinde confuderint*. Nihil tamen certius,
quam unum eundemque fuiſſe Philotheum , ſexageſimum tertium Alexandrinorum Coptorum Patriarcham, quem ſolus Erpenius pro Philotheo Philoponum vocavit, punctis diacriticis, queis id nomen in Textu Arabico exprimitur, non bene conſideratis. Fabulæ de duobus æqualibus Philotheo & Philopono, inter ſe de Dignitate Patriarchali contendentibus, ne veſtigium quidem apparet in hiſtoria Coptorum : ſed nec in ipſo Hagiologio Habiſſino, in quo ubi de Impoſtore loquitur Æthiopibus Præfecto, Metropolitanum intelligit, non Patriarcham; & ad tempora Coſmæ quinquageſimi octavi Patriarchæ reſpicit, quibus, ut ſupra dictum eſt, repulſo Petro legitimo Metropolitano, Mennas impoſtor haberi voluit tamquam verus Metropolitanus, quum manus impoſitionem non accepiſſet, neque a Patriarcha Alexandrino illuc miſſus fuiſſet : Petri inſuper diſcipulus, magiſtro defuncto, & Menna rejecto, in eamdem Cathedram Metropoliticam ab Æthiopiæ rege irruſus fuit , etſi ordinationis expers eſſet. Ad id factum referuntur Hagiologi Habiſſini verba, quæ ex Ludolpho deſcribit Sollerius: Sub regimine enim Philothei , remoto illo impoſtore, eiſque fortaſſe qui in ipſius locum pſeudometropolitani ſucceſſerant ( nam fieri vix poſſe exiſtimo, ut ab anno circiter 930. quo Coſmas vivebat, ad annum 975. quo Philotheus inauguratus eſt, vitam impoſtor ille produxerit: ) a Philotheo Patriarcha ordinatus fuit legitimus Æthiopum Metropolitanus, atque ita ſublato Schiſmate , Æthiopia reſpiravit. Rem geſtam Auctor vitæ Philothei ſic deſcribit . Sedente Philotheo miſit Rex Æthiopiæ litteras ad Georgium Nubiæ Regem, quibus ſignificabat, qua ratione pœnas a ſe & a ſubditis ſuis Deus exegiſſet propter ea, quæ ſuus deceſſor commiſerat adverſus Metropolitanum miſſum tempore Coſmæ Patriarchæ, ut ſupra dictum eſt. Rogabat itaque , ut precibus apud Alexandrinum Patriarcham interpoſitis , obtineret tandem, ut ille juxta veterem conſuetudinem ordinaret Æthiopibus Metropolitanum. *Hæc*, inquit, ad te, frater perſcripſi, veritus ne
„ apud nos aboleatur, & prorſus intereat Chriſtiana religio. Jam enim
„ ſex Patriarchæ Alexandriæ fuerunt, qui regionis noſtræ nullam ratio-
„ nem habuerunt, quæ ita permanſit deſolata abſque paſtore . mortui
„ quippe ſunt Epiſcopi & Sacerdotes noſtri, Eccleſiæque vaſtatæ ſunt .
„ Nec ignoramus juſte hæc mala nos perpeti eorum ratione, quæ con-
„ tra Metropolitanum a *nobis commiſſa ſunt*. His permotus Rex Nubiæ Georgius, ſcripſit ad Philotheum Patriarcham, qui monachum S. Macarii, Danielem nomine, ordinavit Æthiopiæ Metropolitam : is vero ab Æthiopum Rege omnibuſque ordinibus, ingenti totius regni gaudio, exceptus eſt . Itaque ob miſſum Æthiopibus Metropolitanum Danielem , Hagiologus Habiſſinus laudat Philotheum Patriarcham , virum cæteroquin impium & ſacrilegum , ut Copti ipſi affirmant . Porro Philotheus ſcripſit binas Synodicas ad Athanaſium Antiochenum, qui in Tractatu de Fide Patrum Dionyſius perperam vocatur: ab eoque unam reſponſivam accepit. Sedit autem Athanaſius, qui & Lazarus , ab anno Chriſti 986. ad annum 1003. Eodem Philotheo Coptorum Patriarcha claruit Arſenius Alexandrinus Melchitarum Patriarcha. Is ſororem habuit Græcam mulierem Chriſtianis parentibus natam, concubinam Azizi Chaliphæ , cujus auctoritate Arſenius quidem Patriarcha Ægypti conſtitutus fuit ,



Digitized by Google

Hieremias vero, ſeu Hermes, ejuſdem frater, Patriarcha Hieroſolymitanus.

Zacharias. LXIV. Zacharias Alexandrinus, œconomus Eccleſiæ S. Michaelis, creatus anno Hachemi Chaliphæ 7. Hegiræ 393. Mattyrum 718. Chriſti 1002. die 20. Paophi, hoc eſt, 17. Octobris, poſt inrerpontificium trium annorum. Sedit annos 28. obiirque anno Chriſti 1030. Martyrum 746. Hegiræ 421. die 8. Tybi; 3. Januarii. Elmacinus pag. 263. annum Hegiræ 393. cum anno Matryrum 720. componir, ab eoque Zachariam præfuiſſe uſque ad annum Martyrum 748. Sed, ut modo dixi, annus Hegiræ 393. reſpondet anno Marryrum 718. non 720. Sollerius pag. 93. Zachariam ſediſſe affirmat a die quinta Januarii anni Chriſti 1004. ad 3. Januarii anni 1032. Binas Synodicas ad Joannem Antiochenum ſcripſit Zacharias, quæ extant in Tractatu de Fide Patrum, quarum una ſcripta dicitur anno Hegiræ 403. qui cœpit 23. Julii anno Chriſti 1012. Joannes autem Antiochenus Jacobirarum Patriarcha præfuir ab anno Chriſti 1004 ad annum 1033. Sub Zacharia ſæviit mota in Chriſtianos ab Hachemo Chalipha perſecurio, in qua plurimi feruntur ex diverſis ſectis tam Jacobitæ, quam Neſtoriani, & Melchiræ pro Chriſti nomine occubuiſſe: ac præ cæteris in Chronico Orientali & apud Elmacinum laudatur Abunagiachus, cui nomen Gabrielis fuiſſe conſtat ex vita Zachariæ. Idem Hachemus non modo publicos Chriſtianorum cœtus edicto ſuo prohibuir, ſed etiam Eccleſias omnes tum in Ægypto, tum in Syria everti juſſit. Macrizius Mahometanus Scriptor teſtarur numerum earum quæ ab anno Hegiræ 403. ad annum 405. hoc eſt, ab anno Chriſti 1012. ad annum 1014. deſtructæ ſunt, fuiſſe triginta millia & amplius. Auctor vitæ Zachariæ diruras Eccleſias ſcribit anno Martyrum 727. Chriſti 1011. & reſtitutas anno Martyrum 737. Chriſti 1021. nam adeo inconſtans Hachemus fuir, ut quod anrea inſtanriſſime præceperar, id mutara ſententia vetare conſueverit, quemadmodum inſanam hominis indolem fuſe deſcribit Elmacinus pag. 259. Deum etiam ſe credi ſtultus princeps voluit, novamque ſectam cudere, adjutoribus duobus ex Perſide pſeudopropheris, quorum uni nomen fuit Mahometus filius Iſmaelis, cognomento Darazæus: alteri Hamza filius Achmetis, cognomento Hadi, de quibus idem Elmacinus pag. 264. Atque inde orta eſt ſecta Darazæorum, quos vulgo Druſos appellamus; Erpenius autem non obſervatis punctis Diacriticis, pro Darazæo legit *Dararæum*. Sed ut ad Zachariam revertar, Michael Epiſcopus Tandos, qui viram ejus deſcripſit, ait eum ſepultum fuiſſe in Eccleſia, quam *Derage*, hoc eſt, *de Scala* vocant; deinde cadaver translatum ad monaſterium S. Georgii apud Cairum urbem, quod vulgo *Dair-Habaſci*, ſeu *Monaſterium Habiſſinorum* dicitur. Id monaſterium, cujus & in Chronico Orientali fit mentio, ita appellabatur, quod ibi Habiſſini, ſeu Æthiopes monachi olim habitaverint, quorum loco poſtea Neſtorianos ſucceſſiſſe docer Abuſela Armenus, additque Jacobitas Ægyprios ſuo tempore illud occupaſſe. Ibi Cœmeterium Coptorum erat, & maxime Epiſcoporum Meſræ, ſeu Cairi. Statio inſuper Habiſſinorum militum, ibi ab Achmete Tolonis filio collocata, quorum de nomine *Borcat-Habaſci*, *Piſcina Habiſſinorum*, dicta eſt. Sollerius quum apud Erpenium Elmacini interpretem legiſſet *Zachariam in Æthiopia ſepultum*, quæ verba Eccleſiam Æthiopum, ſeu Habiſſinorum Cairenſem ſignificant, ea de Æthiopia regione intellexit, ibique ſepultum Zachariam credidit, antequam Alexandriam cadaver deportaretur.

Senuthius II. LXV. Senuthius monachus Sancti Macarii creatus anno Daheri Chaliphæ 11. Hegiræ 421. Martyrum 746. Chriſti 1030. die vigeſimaquinta Pha-

menoth, vigeſimaprima Martii. Obiit die vigeſimaſecunda Athyr, 29. Octobris anno Chriſti 1045. Martyrum 761. quum annos 15. ſediſſet. Elmacinus ſibi non conſtat: ait enim pag. 265. Senuthium ordinatum anno Daheri 10. Hegiræ 421. Martyrum 748. & obiiſſe anno Martyrum 774. quum annos 25. cum dimidio ſediſſet: infra vero pag. 279. de Chriſtodulo Senuthii ſucceſſore ſcribit, eum ordinatum anno Martyrum 764. quum annos 30. ſediſſet, deceſſiſſe anno Martyrum 794. Nam primo annus Hegiræ 421. reſpondet anno Martyrum 746. non 748. Deinde ſi obiit Senuthius anno Martyrum 774. quomodo Chriſtodulus ei ſucceſſiſſe dicitur anno Martyrum 764? Exſtat Dionyſii Antiocheni Synodica, & binæ Senuthii ad eumdem Dionyſium, quarum prima ſcripta eſt anno Martyrum 751. altera anno 752. Dionyſius vero Syris Jacobitis præfuit ab anno Chriſti 1034 ad annum 1044.

LXVI. Chriſtodulus Monachus Cœnobii S. Mariæ in Valle Habib, Chriſtodulus ſeu Canopi, quod Coptis vulgo *Baramus*, ideſt, *Romaorum*, ſive *Graecorum monaſterium* dicitur, (apud Renaudotium vero pag. 419. perperam *Monaſterium Primi* appellatur;) creatus fuit menſe Chojach, ideſt, Decembri, anno Martyrum 763. Chriſti 1046. poſtquam Sedes annum cum duobus menſibus vacaſſet. Sedit annos 31. obiitque die decimaquarta Chojach, 10. Decemb. anno Martyrum 794. Chriſti 1077. Exſtat Synodica Chriſtoduli ad Joannem Antiochenum miſſa per Gabrielem Epiſcopum Sa, & Michaelem Epiſcopum Taneos, qui vitas nonnullorum Patriarcharum Alexandrinorum ſcripſit, & a Zacharia Diaconus, a Senuthio Presbyter, ab eodem Chriſtodulo Epiſcopus ordinatus eſt. Tres præterea Joannis Antiocheni Synodicæ ad Chriſtodulum, quarum tertia lecta dicitur in Eccleſia S. Mariæ, & S. Sergii anno Martyrum 782. Chriſti 1066. Sedit autem Joannes, cognomento Bar-Suſan, ab anno Chriſti 1058. ad annum 1073. Sollerius hallucinatur, quum pag. 94. *Eccleſiam Moallakæ*, in qua Chriſtoduli cadaver ſepultum, cum Eccleſia *S. Mariæ in Vico Romæorum* eamdem facit: hæc enim in Cairo novo eſt, ubi nunc Coptorum Patriarcha domicilium habet; illa vero in Cairo vetere, in loco quem vocant *Kaſr-al-Sciamaa*, hoc eſt, *Caſtrum Ceræ*, eſtque dicata S. Mariæ, ubi Crypta viſitur, in qua Deipara cum puero Jeſu & S. Joſepho aliquandiu habitaſſe perhibetur. In vita Chriſtoduli, quam Mahubus Alexandrinus ſcripſit, hæc de ipſo narrantur: quod nimirum Alexandriæ Eccleſias ſex conſecravit. Prima S. Jo: Evangeliſtæ, ſecunda S. Mercurii, tertia S. Raphaelis Angeli, quarta S. Mennæ martyris, quinta S. Georgii, ſexta S. Marci Evangeliſtæ. Quo autem die Eccleſiam S. Raphaelis dedicavit, nimirum octava Meſori, anno Martyrum 764. ſeu prima Auguſti anno Chriſti 1048. Presbyterum unum, & Diaconos ſexaginta & amplius ordinavit: Conſtitutiones præterea promulgavit quoad Sacramenta, divina Officia, jejunia, & diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ apud Renaudotium pag. 421. & ſeqq. deſcribuntur. Miſit ad Georgium Regem Nubiæ Pamonem, & Georgium Epiſcopos, quorum hic Eccleſiam recens ædificatam conſecravit. Mercurium inſuper Epiſcopum in Æthiopiam allegavit, ut Abdonem, alias Cyrillum, qui pro Metropolitano ſe gerebat, quum ordinatus non fuiſſet, Metropolitanum conſecraret. Contentionem denique habuit cum Syris quibuſdam, in urbe Cairo habitantibus, quod Euchariſticum Panem ita conficiebant, ut præter farinam, fermentum, & aquam, etiam ſalis parum quid, & Olei ſtillam admiſcerent. Chriſtoduli temporibus cœpit Epocha *Gelalæa*, ſeu *Melichæa*, ita dicta a Ge- Epocha Gelalæa, ſeu
laleddino Melichſcia, tertio familiæ Selgiukidarum rege: cujus initium Melichæa.
Ulugbeghus dupliciter numerari affirmat, nempe ab anno Hegiræ 468.

quo obſervationes Aſtronomicæ juſſu Gelaleddini factæ fuerunt , & ab anno 471. quo factis comparatiſque obſervationibus , primo die menſis ſol meridie Arietis ſignum ingrediebatur. Annus autem Hegiræ 468. cœpit 16. Auguſti anno Chriſti 1075.& annus Hegiræ 471. cœpit 14. Julii anno Chriſti 1078.( non 1178. ut perperam legitur apud Renaudotium pag. 449. )

Cyrillus II.

LXVII. Cyrillus, olim Georgius appellatus , monachus S. Macarii , creatus Patriarcha Dominica Palmarum die 22. Phamenoth, hoc eſt, prima Aprilis, anno Martyrum 794. Chriſti 1078. Obiit apud Eccleſiam S. Michaelis in inſula Cairi, quæ *Mochtara*, ideſt *Electa* , dicitur , die 12. Payni, 6. Junii, anno Martyrum 808. Chriſti 1092. quum ſediſſet annos 14. menſes 2. Accepit anno Martyrum 795. Chriſti 1079. Synodicas litteras, quas Dionyſius Patriarcha Antiochenus ad Chriſtodulum miſerat cum Thoma Præsbytero, qui quum mortuum Chriſtodulum reperiſſet , eas Cyrillo reddidit , ſubſtituto hujus nomine. Dionyſius Feria ſexta ante Feſtum Palmarum anno Chriſti 1077. ordinatus, obiit menſe Decembri anno 1078 Porro Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ordinavit Æthiopibus Metropolitam , nomine Severum , nepotem Victoris , de quo ſupra dictum , quum adhuc in vivis eſſet Abdon alias Cyrillus , quem Chriſtodulus in Metropolitica Dignitate confirmaverat: adventante autem Severo, coactus fuit Abdon ex Æthiopia diſcedere : quumque Dahlakam veniſſet, a Præfecto ejus loci comprehenſus , Cairumque miſſus, capitali ſupplicio affectus eſt anno Martyrum 802. Chriſti 1086. Nubis etiam ordinavit Epiſcopum filium Georgii Regis, qui Salomoni avunculo regnum abdicanti vitamque monaſticam in Valle S Onuphrii, quæ decem diætis a Syene diſtat, amplectenti, in thronum Nubiæ ſucceſſerat: Georgio autem defuncto , Baſilius ipſius ex ſorore nepos id regnum tenuit , ex vulgata apud Nubas Indoſque conſuetudine, inter quos non filii , ſed nepotes ex ſorore hæredes regni inſtituuntur . Conſtituit Cyrillus , ut dimidia fructuum Epiſcopatuum pars Epiſcopo cederet , altera reſervaretur Cellæ S. Marci Evangeliſtæ, hoc eſt, Patriarchio : fructus autem Eccleſiatum Demiræ, Buſiridos, Panopoleos, Demenhuræ, & Elhanaſiæ attribuit monaſterio S. Macarii: mediam quoque fructuum Reſcidæ ( quam vulgo Roſſetum dicunt ) & Meſſilæ partem deſtinavit Eccleſiæ S. Marci Alexandriæ. Anno Martyrum 802. Chriſti 1086. habita fuit in urbe Cairo Synodus Epiſcoporum quinquaginta duorum, quorum nomina recenſet Renaudotius pag. 457. Cyrillus Synodicas Conſtitutiones in ſuperiorem Ægyptum miſit , quum in Eccleſiis Cairi aliiſque lectæ fuiſſent . Verum in Said , ſeu Thebaide , receptæ non fuerunt. Inter alias Conſtitutiones ea fuit, quæ Patriarchalem Habitum ſpectat : Cyrillus enim , ut in Chronico Orientali legitur , *Patriarchis Pallium conſtituit* , nimirum decrevit, ut Patriarcha Coptorum Alexandrinus Pallio uteretur , quod a multis ſæculis uſurpate deſierat . Sollerius pag. 95. exiſtimat *Cyrillum Patriarchis Antiocheno & Hieroſolymitano Pallium conſtituiſſe*: ſed fallitur : de iis enim Patriarchis ne verbum quidem in Chronico Orientale: neque vero Alexandrinus Patriarcha aliis Patriarchis legem præſcribere conſuevit, aut auſus fuiſſet. Sub Cyrillo , de quo loquimur , & Senuthio atque Chriſtodulo ejuſdem anteceſſoribus, ſingularis Epocha occurrit , a Mauhubo

Epocha Charagæa.

Manſoris filio , Diacono Alexandrino , qui nonnullorum Patriarcharum vitas ſcripſit, uſurpata . Ex tributo , quod ſingulis annis Chriſtiani Chaliphis pendebant , quodque *Charagium* Arabice vocant , *Charagæa* appellatur . Eam laudatus auctor cum *Helalea* , ſeu Lunari , quæ communis eſt Arabum Epocha, eademque *Hegira* dicitur, hoc pacto componit. Ait enim

in Præfatione ad vitam Chriſtoduli Patriarchæ de Moſtanſero Ægypti „ Chalipha loquens: *Hic* natus eſt feria tertia, die decima ſexta Gemadi „ poſterioris , anno Helalæo 410. regnumque iniit anno ætatis ſepti- „ mo , die Dominica , medio menſe Sciabano , anno Helalæo 427. „ qui reſpondet *menſi Barmudæ ( ſeu Pharmuthi ) anni Charagæi* 425. Atqui annus Hegiræ 427. cœpit die quinta Novembris anni Chriſti 1035. a quo ad medium menſem Sciabanum , ſeu ad diem decimam quintam Sciabani , fluxere integri menſes Lunares ſeptem , qui conficiunt dies 207. , quibus additi quindecim dies Sciabani ( qui octavus menſis eſt anni Lunaris Arabum ) erunt univerſim dies 222. Hos autem ſi a die quinta Novembris anni Chriſti 1035. ducamus , incidet dies 15. Sciabani anni Hegiræ 427. in diem 13. Junii anni Chriſti 1036. qui fuit biſſextilis ſub literis Dominicalibus *D. C.* Itaque juxta Mauhubum anno Chriſti 1036. annus Charagæus Helalæo minor erat duobus annis : dieſque 13. Junii reſpondebat menſi Pharmuthi , quum tamen ex communi Copterum calculo initium menſis Pharmuthi ducitur a die 27. Martii , ejuſque finis reſpondet diei 25. Aprilis . Quamobrem pro Pharmuthi legendum puto *Payni* , cujus dies decima nona reſpondet tertiæ decimæ Junii . Idem Mauhubus „ ſcribit : „ Eccleſias in Ægypto clauſas fuiſſe juſſu Nazuri , qui erat „ Moſtanſeri Chaliphæ Vicarius , anno ejuſdem Moſtanſeri 22. , He- „ giræ ſeu Helalæo 449. Charagæo 446. Martyrum 773. die quinta „ Payni , feria ſexta , qui characteres optime conveniunt in diem 30. Maii , anno Chriſti 1057. ſub litera Dominicali *E.* Addit Mauhubus *apertas fuiſſe Eccleſias anno Charagæo* 447. *die Dominica* , 22. *Paophi* , hoc eſt , 19. Octobris , ejuſdem anni Chriſti 1057. , in quem dies Dominica incidit . Demum quum de Synodo Cyrilli loquitur , eam celebratam *affirmat Sabbato , die* 22. *Meſori , anno Martyrum* 802. *Charagæo* 475. hoc eſt , 15. Auguſti anno Chriſti 1086. ſub litera Dominicali *D.* qui erat annus Hegiræ 479. , cujus initium die 18. Aprilis anni Chriſti 1086. Ex his Mauhubi calculis patet annum Charagæum in hoc ab Helalæo diſcrepare , quod Helalæus quidem utpote vagus , undecimque diebus & ſex horis communi Martyrum Chriſtique Epocha minor , certum fixumque initium non habet ; Charagæus vero inſtar Epochæ Martyrum a Coptis aliquandiu uſurpatus eſt, initio ejus menſibuſque ad initium menſeſque anni Coptici compoſitis . Quo autem primum tempore Charagæam Epocham Copti adhibere cœperint , & a quo Hegiræ , Martyrum , vel Chriſti anno initium ejus deduxerint , nullus , quod ſciam , Auctor literis prodidit . Hoc unum conſtat duobus fere ſæculis illam apud Scriptores Copticos uſurpatam fuiſſe , maxime Senuthii , Chriſtoduli , Cyrilli , Michaelis , & Macarii Patriarcharum temporibus . Joannes Saedi filius in vita Macarii Patriarchæ ſcribit , anno Hegiræ 501. ( cujus initium 22. Auguſti anno Chriſti 1107. ) ſublatam fuiſſe Chaliphæ juſſu rationem computandi ſecundum annos Charagæos : Eidemque anno reſpondiſſe Charagæum 497. Verba Joannis infra proferam . Interim ex teſtimonio hujus Auctoris compertum nobis eſt , annum Charagæum in uſu eſſe deſiiſſe anno Chriſti 1107. Ex iis vero , quæ ſupra ex Mauhubo retulimus haud improbabili argumento colligimus , illius Epochæ initium ducendum eſſe ab anno Hegiræ 358. quo Phatemidæ in Ægypto Chaliphatum inierunt . Id factum Elmacinus pag. 227. ait : *die Martis , decimaſeptima Sciabani , anno Hegiræ* 358. hoc eſt , 29. Junii

anno Chriſti 969. Inaugurati Phatemidæ novam exigendi a Subditis tributi rationem induxerunt, Solaribus Hegiræ annis uſi, non lunaribus. Quum enim reliqui Mahometani annos lunares adhibeant, qui dies 354 efficiunt; Phatemidæ Coptis indulgere cupientes, ut in exigendis tributis mitiores Abbaſidis Chaliphis ſe præberent, annum *Charagæum* (cujus initio ſcilicet tributum a ſubditis exigeretur) conſtare voluere menſibus Copticis, qui triginta dierum ſunt, quique adjunctis Epagomenis ad verum annum Solarem reducuntur. His igitur menſibus quum uſi fuiſſent in Ægypto ad ſupputandos annos Hegiræ, triginta tribus fere annis elapſis annus currens Hegiræ uno anno Copticum, ſeu Diocletianæum, hoc eſt, Martyrum, antevertebat: atque ea eſt diſcriminis ratio, quæ apud Mauhubum & Joannem Saedi notatur inter annum Helalæum & Charagæum. nimirum ab anno Chriſti 969. Hegiræ 358. quo cœpit primus annus Charagæus, ad annum Chriſti 1002. uno anno minor eſt Charagæus Helalæo: anno Chriſti 1035. duobus annis minor eſt: anno Chriſti 1068. tribus annis: anno Chriſti 1101. quatuor annis: & ſic de reliquis: quæ vera eſt ſupputandi annos Charagæos ratio, etſi apud Mauhubum aliquando ſe aliter habeat. Renaudotius in hiſtoria Alexandrina tam quoad Epochæ Charagææ Etymon, quam quoad rationem comparandi illam cum Helalæa, ſibi non conſtat. Etymon quidem pag. 419. ducit *a Charagæis ſeu Hæreticis Perſicæ religionis, quales erant Phatemidæ*: pag. vero 490. *anni Charagæi*, inquit, *Solares ſunt, ita dicti, quod ſecundum eos menſes, qui Ægyptiacum annum componebant, atque adeo Solares, Tributum, quod Charage appellant, exigeretur*. Illam autem Epocham ab Helalæa differre notat nunc *anno uno*, nunc *duobus*, *tribus*, *quatuor*, & *ſex etiam annis*. nam pag. 420. 433. 43. 53. & 68. componit annos Hegiræ 459. 65. 81. 85. cum annis Charagæis 453. 63. 80. 81.

Michael IV. LXVIII. Michael monachus Recluſus in monaſterio Sengiaræ (male apud Erpenium Elmacini interpretem pag. 289. *Detentus in carcere Sengiaræ*:) creatus Patriarcha die 12. Paophi, anno Martyrum 809. hoc eſt, 9. Octobris anno Chriſti 1092. (non 1093. ut autumat Renaudotius pag. 473.) anno Charagæo 482. Hegiræ 485. cujus initium 11. Februarii anni Chriſti 1092. Elmacinus pag. 289. de inauguratione Michaelis loquens, eam contigiſſe ſcribit *anno Martyrum* 809. *Hegiræ* 482. *Moſtanſeri Chaliphæ* 58. Atqui tam annus Martyrum 809. quam Moſtanſeri 58. reſpondent anno Hegiræ 485. non anno 482. Moſtanſerus enim juxta eumdem Elmacinum pag. 266. regnum iniit menſe Sciabano anno Hegiræ 427. cui ſi annos 58. addas, habebis annum 485. non 482. Obiit Michael die Dominica Pentecoſtes, ultima Pachon, hoc eſt, 25. Maii, anno Martyrum 818. Hegiræ 495. Charagæo 491. Chriſti 1102. quum ſediſſet annos 9. menſes 8. Eodem quo deceſſit anno ordinavit Æthiopibus Metropolitam Georgium monachum S. Macarii, qui quum ob incompoſitos mores omnium in ſe odia concitaſſet, a Rege Abiſſinorum in Ægyptum remiſſus fuit, ibique juſſu Aphdali præfecti in carcerem detruſus. Michaelis temporibus obiit Moſtanſerus Chalipha anno ætatis 67. regni 60. Hegiræ 487. Charagæo 484. ut notat Joannes Saedi filius, filii Sachiæ filii Mennæ Colzomitæ, qui Michaelis & ſequentis Patriarchæ vitas deſcripſit. Eamdem Epocham mortis Moſtanſeri aſſignat Elmacinus pag. 290. ſed Erpenius ejus interpres loco ſexaginta annorum regni, ſexennium poſuit, quum tamen Arabicus textus non ſex annos, ſed ſexaginta diſerte habeat. Demum ſub Michaele, ut idem Joannes Saedi refert, anno Hegiræ 492. menſe Ramadano, a Francis Hie-

roſolyma capta eſt: quumque ea urbs in Latinorum poteſtate eſſet, Coptis velut hæreticis Jacobitis non amplius peregrinationis religioſæ ad illam inſtituendæ conceſſa eſt facultas; ſed neque ad eam accedendi. Annus Hegiræ 492. cœpit 28. Novembris anno Chriſti 1098. Eodemque anno Hieroſolymam a Francis captam affirmant tam Mahometani, quam Chriſtiani Scriptores, Elmacinus pag. 292. & Abulpharagius in hiſtoria Dynaſtiarum pag. 243. Verum Latini, qui de bello Sacro ſcripſere, eam urbem in poteſtatem Francorum veniſſe narrant die 15. Julii anno Chriſti 1099. cui annus Hegiræ 493. reſpondet.

LXIX. Macarius monachus S. Macarii, creatus in eodem monaſterio **Macarius II.** die Dominica, 13. Athyr, hoc eſt, 9. Novembris, anno Martyrum 819. Chriſti 1102. Hegiræ 496. Alexandriæ vero ordinatus eſt in Throno collocatus Dominica, 11. Chojach, 7. Decembris, ejusdem anni. Sedit annos 26. dies 41. Obiitque 23. Chojach, 19. Decembris, anno Martyrum 845. Chriſti 1128. In hoc Patriarcha deſinit Chronicon Elmacini, & hiſtoria Joannis Saedi. Porro ex hoc Joanne id mutuati ſumus, quod ſupra de Epochæ Charagææ fine diximus. Verba ejus diligenter notanda ſunt in eorum gratiam, qui omnes Orientalium Cyclos Periodoſque ſcire cupiunt. *Anno quinto*, inquit, *memorati Patris Macarii Patriarchæ lectum fuit* edictum „ in aula majori Palatii, die Dominica, decimanona menſis Moharrami, „ anno Helalæo (*Hegiræ*) quingenteſimo primo, hoc eſt, die decima „ Torh, anno Charagæo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, quo „ edicebatur, ut hic annus Charagæus in memoratum Helalæum tranſi„ ret in perpetuum, nec amplius Charagæi nomine appellaretur: utque „ in omnibus contractibus ſignaretur annus Helalæo-Charagæus quingen„ teſimus primus. ut demum quælibet alia computandi ratio tam in „ contractibus, quam *in inſtrumentis omnino tolleretur*. Is erat annus Chriſti 1107. quo dies Dominica incidit in 8. Septembris, quæ tamen erat undecima, non decima menſis Toth: nam annus Hegiræ 501. cœpit 22. Auguſti anno Chriſti 1107. quo littera Dominicalis erat *F*. Idem Joannes poſtquam memoratum edictum retulit, nonnullos adhuc Epochæ Charagææ annos cum annis Martyrum, vel Hegiræ comparat, hoc pacto. Anno, inquit, Patriarchatus Macarii octavo, die Dominica, decimaſeptima menſis Seevali, anno Helalæo, ſeu Hegiræ 504. hoc eſt, quinta menſis Pachon, anno Charagæo 500. hora nona diei Dominicæ, ingens turbo ventorum pulveriſque exortus eſt ſecutis tenebris denſiſſimis, quales olim tempore Moſis in Ægypto fuere, itaut plerique domos ſuas reliquerint, exiſtimantes inſtare diem judicii: mox aer, inſtar flammæ, fervere ac rubeſcere viſus eſt, donec hora decima delapſo ingenti imbre, ventus pulviſque diſſipatus eſt, pulſiſque tenebris lux de more affulſit. Anno Charagæo 501. Martyrum 828. die 3. menſis Thoth, feria 6. hora 3. ingens terræmotus in urbe Cairo accidit. Id factum *die Dominica*, *anno Martyrum* 818. refert auctor Chronici Orientalis: ſed fallitur: tum quia eo Martyrum anno Macarius nondum Patriarchatum inierat: tum quia annus Charagæus 501. reſpondet anno Martyrum 828. non 818. Joanni Elmacinus conſonat, qui pag. 298. hæc habet: *Contigit* in Ægypto terræmotus ingens, „ feria ſexta, die tertia Thoth, anno Martyrum 828. hora die tertia: nimi„ rum die 31. Auguſti, anno Chriſti 1111. Demum ait Joannes, obiiſſe Sanutum Cairi Epiſcopum *Sabbato, die* 17. *Pachon*, *anno Charagæo* 506. *qui reſpondet anno Martyrum* 833. hoc eſt, Chriſti 1117. die 12. Maii: Aphdalum vero Ægypti protegem a Sicariis cæſum fuiſſe *die Dominica*, decimaquarta Chojach, anno Charagæo 511. qui reſpondet anno Martyrum 838. Hegiræ 515. poſtrema die menſis Ramadani.

Gabriel II.

LXX. Gabriel filius Toraich, ſeu Tarich ( perperam in Chronico Orientali *Taril*) olim *Abulala Saedus* dictus, ex Diacono Eccleſiæ S. Mercutii ( non Sergii, ut apud Renaudotium pag. 501.) creatus Patriarcha feria tertia, die 9. Mechir, hoc eſt, 3. Februarii, anno Martyrum 847. Chriſti 1131. quum poſt Macarii obitum ſedes vacaſſet annis duobus, totidemque circiter menſibus. Obiit feria 5. die 10. Pharmuthi, ſeu 5. Aprilis, anno Martyrum 861. Chriſti 1145. quum ſediſſet annos 14. menſes 2. Marcus Zaraæ filius, auctor vitæ Gabrielis, emortualem quidem ejus diem fuiſſe ſcribit decimam Pharmuthi: ſed anni Martyrum 862 non 861. Idem annum 862. ( qui eſt Chriſti 1146.) componit cum anno Hegiræ 539. contra communem ſupputandi rationem: nam annus Martyrum 862. Chriſti 1146. reſpondet anno vulgari Hegiræ 541. non 539. Temporibus Gabrielis, ut idem auctor notat, mortuo Gregorio Armenorum in Ægypto Patriarcha, qui ſub Cyrillo LXVII. in Ægyptum venerat, ibique domicilium fixerat, Ananias in ejus locum ſuffectus eſt, qui una cum multis monachis Armenis Cœnobii Zaheri, quod in urbe Cairo ſitum erat, occiſus fuit tunc quum Rodovanus Beheramo in ordinem redacto præfecturam Ægypti occupavit. In Æthiopia Rex Michaelem Metropolitam, qui ante ordinationem Habibus dicebatur, compellere conatur ad ordinandum in ea regione majorem numerum Epiſcoporum, quam conſuetudo permitteret. Is autem numerus a Canonibus & conſuetudine præſcriptus, ſeptem dumtaxat Epiſcoporum erat: Ægyptii enim Æthiopeſque exiſtimant, majorem ſeptenario Epiſcoporum numerum ſufficere ad ordinandum Metropolitam, vel etiam Patriarcham: atque ita propoſitum erat Regi Æthiopum ab Alexandrinæ Sedis ſubjectione recedere, ut quoties Metropolitanam ſedem vacare in Æthiopia contingeret, ibi Metropolitanus a Comprovincialibus Epiſcopis ordinaretur. Negavit Michael id ſine Patriarchæ arbitrio fieri poſſe. Quare ad Gabrielem Patriarcham litteras miſit Rex Æthiopum, quibus rogabat, ut eo privilegio Abiſſinos ornaret. Sed neque per ſuos Legatos, neque per Chalipham Ægypti, qui Patriarchæ mandaverat, ut Regi Æthiopum faceret ſatis, efficere potuit, ut ab antiqua conſuetudine recederet, qua Patriarcha quidem Alexandrinus Metropolitam Æthiopibus ordinabat; Metropolitano vero ſeptem dumtaxat in illa regione Epiſcopos conſecrare fas erat. Vixit Michael Habibus uſque ad tempora Joannis LXXII. Patriarchæ, qui a rege Æthiopum rogatus, ut alium Metropolitam ejus loco tamquam ſenio confecti ordinaret, negavit ſecundum Canones licere, ut vivo Metropolitano alter in ejus locum ſufficiatur. In Collectione Canonum Synodalium, nonnullæ Gabrielis Patriarchæ Conſtitutiones extant, quarum Epitomen Renaudotius exhibet pag. 511.

Michael V.

LXXI. Michael monachus S. Macarii, qui nec Coptice, nec Arabice legere, aut ſcribere noverat, per ſortem electus, Patriarcha conſecratus eſt feria 5. die 11. Epiphi, hoc eſt, 5. Julii, anno Martyrum 861. Chriſti 1145. Obiit feria 6. majoris Hebdomadæ, die 3. Pharmuthi, ſeu 29. Martii anni ſequentis, hoc eſt, martyrum 862. Chriſti 1146. Apud Marcum Zaraæ filium, qui Michaelis vitam deſcripſit, mendum manifeſtum ineſt: dicitur enim Michael ordinatus Patriarcha die Dominica, 5. Meſori anno martyrum 876. & obiiſſe feria 6. die 3. Pharmuthi anno Martyrum 863. quum ſediſſet menſes 8. dies 4.

Joannes V.

LXXII. Joannes filius Abulphatahi, Diaconus & monachus S. Joannis in Hiſtria, creatus Patriarcha die Dominica Pentecoſtes, 14. Payni, hoc eſt, 8. Junii, anno Martyrum 863. Chriſti 1147. obiit feria ſexta,

die 4. Pachon, 29. Aprilis, anno Martyrum 882. Chriſti 1166. Ægyprius auctor in vita Joannis, quem Renaudotius pag. 517. & 528. ſequitur, affirmat *Eum ordinatum Patriarcham Dominica, qua erat dies ſecunda Epagomenarum, anno Martyrum* 862. nimirum 25. Auguſti anno Chriſti 1147. *Obiiſſe autem die 4. Pachon anno* 883. *Martyrum*, ( qui erat Chriſti 1167. ), *quum ſediſſet annos* 19. *menſes* 8. Verum ex iis quæ mox de Matco Joannis ſucceſſore ex eodem auctore teferam, planum fit, in annis mendum ineſſe: prætet quam quod vigeſima-quinra Auguſti, ſeu dies 2. Epagomenarum, qua ordinatus Joannes dicitur, non in Dominicam incidit, ut ibi aſſeritur; ſed in feriam ſecundam, quum eo anno littera Dominicalis *E* fuerit. Renaudotius hallucinarur, quum initio vitæ hujus Patriarchæ, vocat eum *Joannem filium Kidarani monachum ex Cænobio D. Joannis*, & paulo poſt de Joanne altero ejusdem in Patriarchali Dignitate aucupanda competitore loquens, illum appellat *Joannem filium Kidarani*, hunc vero *Joannem filium Abulphetah*. Atqui Joannes Kidarani filius, qui Patriarchatum ambiit nec conſecutus eſt, eodem Renaudorio teſte pag. 514. fuit monachus S. Macarii, aliuſque omnino ab hoc Patriarcha, qui filius Abulphatahi audit. Quod vero ex Hagiologio Abiſſino ſcribit Sollerius pag. 97. hunc Joannem Parriarcham a tegia ſtitpe laudari, Eccleſiaſque Chriſtianorum inſtauraſſe, *juvante ipſum Rege Zenone de fructu tritici, vini, & olei*: id ad Joannem Abulphatahi ex ſolo commemorationis die, quo illum Abiſſini colunt, nimirum 4. Pachon, ſeu 29. Aprilis, perperam referri videtur. Zenonem Imperarotem proculdubio Hagiologus intelligit, cujus in Ægypti Eccleſias & monaſteria liberalitatem, necnon Anaſtaſii ſucceſſoris munificentiam, adhuc prædicant Copti. Zenone autem imperante nullus alius Joannes Alexandtinis Parriarcha præfuit, præter Tabenneſiotam, cognomenro Talajam, ejusdem Imperatoris juſſu anno 482. in locum Timothei Salophacioli ſuffectum: qui etſi orthodoxam fidem coluit, ab Hagiologo tamen hæretico laudari potuit, tum quia Eccleſias inſtauravit, tum quia ejus tempore Perrus Mongus Alexandrinæ Eccleſiæ incubavit, cujus ob teceptum Zenonis Henoticum aliaque facinora apud Dioſcorianos nullum fit in Hagiologio encomium, ut idem Sollerius notat pag. 60.

LXXIII. Marcus, olim Abulphatagius Zaraæ filius, gente Sytus, Marcus III.
creatus Patriarcha Dominica Pentecoſtes, die 18. Payni, 12. Junii, anno Martyrum 882. Chriſti 1166. Obiit Dominica die 6. Tybi, 1. Januatii anno Chriſti 1189. martyrum 905. Hegiræ 585. quum annos 22. & ſeptem menſes, minus undecim diebus, ſediſſet. In Arabica vita hujus Patriarchæ, menda quædam occurrunt, quæ Renaudorius pag. 531. fruſtra conciliare conatur. Nam in exemplari, quo idem Renaudorius uſus eſt, dicitur Marcus Patriarchatum iniiſſe *anno martyrum* 880. *Hegiræ* 566. In noſtro vero Codice, loco anni Hegiræ 566. pro quo Renaudotius annum 560. reponit, ) habetur annus Helalæus, ſeu Lunaris 585. Verum nulla ex his Epochis ſuſtineri poteſt. Non annus martyrum 880. ( qui reſpondet anno Chriſti 1164.), quia auctor vitæ Joannis, qui Marcum anteceſſit, affirmat eum obiiſſe anno martytum 883. ſed neque annus Hegiræ 566. aut 585. quorum neuter in annum Martyrum 880. congruit. Cauſa diſſidii, quod inter hunc Patriatcham, & Matcum Konbati filium contigit, in Chronico quidem Orienrali non exprimitur; ſed ex Ægyptiis Scriptoribus hæc fuiſſe perhibentur: quod ſcilicet Matcus Konbari filius, quum monachus & Sacerdos eſſet, populumque doctrinæ fama ad ſe pertractum juvare vellet, magnam curam adhibuit, ut omnibus ſuaderet, non poſſe obtineri alicujus peccati remiſſionem, niſi facta apud Sacerdo-

rem ejus confeſſione. Contra Marcus Patriarcha confeſſionis loco probaverat, ut ſuper fumante thuribulo, dum incenſum Sacerdos, aut Diaconus adoleret, vel preces publicæ in Eccleſia, aut privatim domi fierent, quiſque peccata ſua ſecreto apud Deum confiteretur. Adverſus hanc Patriarchæ Conſtitutionem de omittenda Confeſſione Sacramentali invectus eſt filius Konbari; diſputavitque etiam acriter adverſus Circumciſionem, quam idem Patriarcha præcipiebat, modo fieret ante Baptiſmum. Quamobrem a Patriarcha anno martyrum 890. Hegiræ 570. Chriſti 1174. excommunicatus, a Monophyſitica ſecta ad religionem Græcorum Melchitarum tranſiit, magnamque ſectatorum multitudinem ſuo exemplo pertraxit, ac præſertim Biſmiritarum, quorum ingentem numerum apud Eccleſias S. Gregorii, & S. Sabæ, quæ erant juxta Mocattamum Cairi montem, Abuſela Armenus ſuo tempore adhuc extitiſſe teſtatur. Ibi Marcus filius Konbari diem ſuum obiit anno martyrum 924. Marcus vero Patriarcha erroris ſui propugnatores habuit Michaelem Damiatæ Epiſcopum, & Joannem Abulmagedum, ſuum in Patriarchatu Succeſſorem, de quo in Chronico Orientali hæc leguntur: *Confeſſionem ab Eccleſia* Ægyptiorum „ abrogavit; Circumciſionem vero plurimum commendavit, ejus uſum „ præcipiens, in eoque *ſtabiliendo multum laborans*. Quare fallitur Renaudotius, qui pag. 550. & 567. ad Joannem LXXII. Patriarcham refert, quæ modo ex Orientali Chronico de Joanne LXXIV. deſcripta ſunt.

Joannes VI. LXXIV. Joannes, olim Abulmagedus Abugalebi filius, ex mercatores creatus Patriarcha die Dominica, 4. Mechir, 29. Januarii, ordinatus Alexandriæ die 11. Mechir, 5. Februarii, anno Hegiræ 585. martyrum 905. Chriſti 1189. Obiit feria 5. die 11. Tybi, 6. Januarii, anno Hegiræ 613. Martyrum 932. Chriſti 1216. Vacavit poſt eum Sedes annis 19. menſibus 5. diebus 10 quo tempore Ægyptiis Melchitis Alexandrinus Patriarcha præerat Nicolaus, cujus Epiſtola ad Honorium III. Summum Pontificem refertur a Raynaldo ad annum Chriſti 1223. Porro Joannes Abulmagedus, rogante Lalibela Scenudæ ſeu Sanurii filio, Æthiopiæ rege, Kilum Phuæ Epiſcopum ordinavit Æthiopum Metropolitam: qui quum inde ob patrata facinora fugiſſet, atque in Ægyptum rediiſſet, Rex Lalibela per Legatos alium a Patriarcha Metropolitanum poſtulavit. Ordinatus itaque fuit Iſaac monachus Sancti Antonii die 11. Phamenoth anno martyrum 926. Chriſti 1209.

Cyrillus III. LXXV. Cyrillus, olim David filius Laklaki patria Phajumenſis, poſt diuturnum diſſidium annorum 19. & menſium 5. tandem a Soltano Ægypti, cui tria aureorum millia promiſerat, diploma obtinuit, ut Patriarcha fieret, nequidquam reluctantibus aliis multis, qui vel hominem propter flagitia oderant, vel alios ad eam dignitatem evehere contendebant. ordinatus eſt itaque Hegumenus, ſeu Archipresbyter die 22. Payni, hoc eſt, 16. Junii; Patriarcha autem die ſequenti, anno Martyrum 951. Chriſti 1235. Obiit feria 3. die 14. Phamenoth, hoc eſt, 10. Martii, anno Martyrum 959. Chriſti 1243. Concilium Cairi celebravit anno martyrum 955. Chriſti 1239. in quo plures Canones condiri, qui extant in Nomocanone Eccleſiæ Alexandrinæ. Alias præterea duobus ſequentibus annis Conſtitutiones edidit, quæ in eodem Nomocanone ſubjunguntur. In hujus Patriarchæ vita deſinit Chronicon Orientale, & Hiſtoria Patriarchalis, cujus Epitomen edidit Renaudotius. De orto ipſum inter & Ignatium Antiochenum Jacobitarum Patriarcham diſſidio propter Hieroſolymitanam Diæceſim, in qua Cyrillus Metropolitanum ordinaverat, vide quæ adnotata ſunt Tom. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 371. quibus addendum eſt, Metropolitanum illum, a Cyrillo ordinatum, quum a

Jacobitarum Syrorum Patriarcha excommunicatus fuiſſet, perito a Francis, qui Hieroſolymis potiebantur, auxilio, Dignitatem ſuam, quoad vixit, retinuiſſe; Eamdem inſuper cum Latinis religionem, Dioſcoriana hæreſi rejecta, coluiſſe. Porro Cyrillus Eccleſias plurimas, & Monaſteria omnia ab Epiſcoporum jurisdictione exempta voluit, ſuæque reſervavit. Ejus autem temporibus floruere duo inſignes Theologi apud Coptos, germani fratres Benaſſali, ſeu Ebnaſſali, quorum opera in diverſis Bibliothecis extant. Locus obitus & ſepulturæ Cyrilli, in Chronico Orientali, & in Hiſtoria Patriarchali deſignatur, his verbis: *Obiit in monaſterio*
„ quod Sciamaæ, hoc eſt, ceræ appellant, ibique *ſepultus eſt*. Renaudo
„ tius pag. 592. *Patriarcha* quod ſuperfuit vitæ tranſegit in monaſterio
„ Elchemah, quod ipſi ſolum ſupererat, obſcurus & in ſummo ſuorum
„ contemtu, quum nemo inter eos qui aliqua pietatis, aut doctrinæ o-
„ pinione commendabatur, ullum cum ipſo haberet commercium, ne-
„ que ex tot monitionibus, depoſitioniſque *periculo melior evaſiſſet*. Id monaſterium in eo Cairi veteris, ſeu Babylonis Ægyptiacæ loco ſitum erat, quod Arabes *Kaar-al-Sciamaa*, ſeu *Caſtrum ceræ* vocant: Renaudotius in Sciamaæ nomine articulum Arabicum retinet, illudque ex genio linguæ Gallicæ per *Ch* ſcribit ſic, *Elchemah*. Ibi Eccleſiæ tres erant, altera S. Mariæ, S. Sergii altera, tertia S. Mariæ in Moallaka dicta. De priore hæc Renaudotius in vita Michaelis LVI. Patriarchæ Alexandrini pag. 324.
„ *Poſtquam libertati Michael Patriarcha* reſtitutus eſt, conſenſit *Achmedes fi-*
„ *lius Tolonis qui illum in vincula conjecerat*, ut viginti denariorum aureo-
„ rum millia duabus penſionibus perſolveret, mediam partem intra men-
„ ſem, alteram intra menſes quatuor. Joannes *Achmedis Secretarius*, &
„ Macarius ejus filius nomina fecerunt, tamquam ſponſores, atque ita
„ Patriarcha illis commiſſus eſt. Ille in domum eorum divertere noluit,
„ ſed recepit ſe in Eccleſiam S. Mariæ prope Caſtellum Elchemah, quæ,
„ inquit auctor hiſtoriæ, jam a Melchitis poſſidetur. De Eccleſia vero S. Sergii hæc idem Renaudotius pag. 424. in Vita Chriſtoduli Patriarchæ LXVI. *Poſtquam proclamatio Chriſtoduli ſolenniter facta* fuiſſet in monaſterio D.
„ Macarii, ſecundum conſuetudinem profectus eſt Miſtam (*in Cairum*
„ *vetus*, ſive *Babylonem Ægypti*) ut ibi quoque proclamaretur. Solebat
„ id fieri in Eccleſia S. Sergii in Caſtro Elchemah, parte illius urbis, ut
„ alibi dictum eſt, ubi arcis antiquæ veſtigia *ſupererant*, *& Pyræi reliquiæ*.
„ Tertia demum Eccleſia S. Mariæ dicata, quæ Moallaka dicitur, in vitis Patriarcharum Alexandrinorum frequenter memoratur: de qua idem
„ Renaudotius loc. cit. *Chriſtodulus* perſuaſus a Sacerdotibus Eccleſiæ B.
„ Mariæ Muallaca dictæ, in ea proclamari ſe juſſit, poſt longam inter
„ utriuſque *Eccleſiæ*, *S. Sergii ſcilicet*, *& S. Mariæ*, contentionem, nam Ec-
„ cleſia quidem *S. Sergii Catholica erat*, ſeu Cathedralis, Epiſcopi Cairenſis: quæ vero Moallaka dicebatur, in majori veneratione fuit ob Cryptam Deiparæ Virginis, de qua ſupra in vita Chriſtoduli. Hæc fuſius fortaſſe, quam oportuit, a nobis tractata ſunt, ut planum fiat, inanem eſſe Sollerii conjecturam pag. 99. ſuſpicantis, quod *Cyrillus oppreſſus*
„ *per calumniam*, octavo ſui Patriarchatus anno, in aliquod monaſterium
„ ſe receperit, ac forte ad Habiſſinos, inter quos, Canones novos ad
„ miſſam compoſuerit; & quaſi eo mortuo Patriarchatus vacaverit; re-
„ vera autem obierit ipſe XIV. Februarii MCCLI. ejusque morte poſt
„ ſeptem fere menſes certo cognita, proceſſum ſit ad electionem, ſeu
„ potius ordinationem ſucceſſoris, eatenus impeditam *ab iis*, *qui depoſiti*
*Cyrilli partes tenuerant*. Atqui ex dictis conſtat, Cyrillum Canones non in Æthiopia condidiſſe, ſed in Concilio Cairenſi: neque in Habaſſiam ſe

recepiſſe, ſed in monaſterium Caſtri Sciamaæ, quod in Cairo Vetere ſitum erat, ibique obiiſſe ac ſepultum fuiſſe, idque anno Chriſti 1243. non 1251.

Athanaſius III.

LXXVI. Athanaſius filius Colaili ( Soller. & Renaud. *Kalili*) ex Archipresbytero Eccleſiæ Moallakæ, Patriarcha creatus Dominica, die 5. Paophi, hoc eſt, 2. Octobris, anno Martyrum 967. Chriſti 1250. quum poſt Cyrilli obitum Sedes vacaſſet annis 6. menſibus 7. Obiit die I. Chojach, hoc eſt, 27. Novembris, anno martyrum 978. Chriſti 1261. Renaudotius pag. 599. & ſeq. Vanslebium ſecutus, anno Martyrum 967. cum anno Chriſti 1251. componit, adeoque ſedem vacaſſe ſcribit, antequam Patriarcha Athanaſius crearetur, per annos circiter octo: ſed non advertit vir doctus, Athanaſii inaugurationem contigiſſe die 5. Paophi: quæ quum diei 2. Octobris reſpondeat, ſequitur annum Martyrum 967. cœpiſſe die 29. Auguſti anni Chriſti 1250.

Gabriel III. Joannes VII.

LXXVII. Gabriel. 78. Joannes. Et Gabriel quidem filius ſororis Petri Epiſcopi Tanbedæ ( male apud Sollerium pag. 100. & Renaudotium pag. 600. *Tamidi*: ) ab incolis Cairi novi electus eſt Patriarcha, & conſecratus Hegumenus. Sed antequam Patriarcha ordinaretur, cives Cairi veteris electum Joannem Soccaræum filium Abiſaidi, ordinari Patriarcham curarunt die 6. Tybi anno martyrum 978. hoc eſt, 1. Januarii anno Chriſti 1262. menſe uno & tribus diebus poſt Athanaſii obitum: tenuitque Patriarchalem dignitatem annis 6. menſibus 9. Tum depoſitus fuit, & ordinatus Gabriel, qui Patriarchatum tenuit a die 24. Paophi, ſeu 21. Octobris, anni martyrum 985. Chriſti 1268. ( non 1269. ut perperam ſcribit Vanslebius apud Renaudotium pag. 601. ) uſque ad 6. Tybi, ſeu 1. Januarii, anni Martyrum 987. Chriſti 1271. quo depoſitus fuit Gabriel, vitamque privatam egit donec obiit. Joannes vero eodem die & anno iterum reſtitutus, ſedem tenuit uſque ad diem 26. Phatmuthi, ſeu 21. Aprilis, anni martyrum 1009. Chriſti 1293. quo deceſſit. Contigit autem obitus Gabrielis eodem anno quo depoſitus fuit, hoc eſt, martyrum 987. Chriſti 1271. De Gabriele & Joanne parum accurate Sollerius pag. 100. ſcribit: Nam Gabrielem ait Patriarcham inſtitutum die 24. Paophi anno Martyrum 985. hoc eſt, 21. Octobris anno Chriſti 1268. poſtquam Sedes vacaſſet annis 6. & menſibus 11. Obiiſſe die 7. Tybi anno Martyrum 987. ſeu die 2. Januarii anno Chriſti 1271. quum ſediſſet annos 2. menſes 2. dies 12 Joannem vero die 16. Tybi anno martyrum 987. ſeu 11. Januarii anno Chriſti 1271. inauguratum, obiiſſe die 27. Pharmuthi anno Martyrum 1009. ſeu 22. Aprilis anno Chriſti 1293. quum ſediſſet annos 22. menſes 3. dies 11. De Joanne Soccaræo illud notandum eſt, quod in hiſtoria Patriarchali narratur: eam nempe Soccaræorum familiam inter Coptos celebrem fuiſſe ob ſervatum in eorum ædibus Caput Sancti Marci Evangeliſtæ, de qua traditione hæc Abulbarcatus apud Renaudotium pag: 577. de S. Marco loquens: *Corpus ejus ſepultum in Eccleſia Orientali* ad „ maris litus, ibidem per annos multos quievit, donec Franci quidam „ Veneti per fraudem illud abſtulerunt Venetias, ubi hucuſque ſervatur. „ Caput ab illis relictum, depoſitumque fuit in domo filiorum *Sokari*, „ *ubi adhuc erat*. Severus Aſmonæorum Epiſcopus in vita Benjamini Patriarchæ apud eundem Renaudotium pag. 163. & 165. narrat, conflagrante Eccleſia S. Marci temporibus Benjamini, quando Alexandria ab Arabibus capta eſt anno martyrum 360. Chriſti 644. tertio ſcilicet anno poſtquam Amrus in Ægyptum invaſiſſet; Caput ejuſdem Sancti Evangeliſtæ inter pallia illius Eccleſiæ integrum repertum fuiſſe: quumque is qui illud abſtulerat, navim conſcendiſſet, eam numquam in altum de-

duci

duci potuiſſe: quo miraculo hominem ſtupefactum, illud Patriarchæ tradidiſſe, qui cum honore ſuſceptum, in arca ex ebeno collocavit. Sub Hachemo vero Chalipha & Zacharia Patriarcha LXIV. ut Michael Epiſcopus Taneos ſcribit apud eumdem Renaudotium pag. 392. ab Emiro quodam Turca iterum repertum fuit ſacrum illud caput: quumque homini dictum fuiſſet, Chriſtianos quæcumque poſtularet, ad illud redimendum daturos eſſe, illud Meſram, hoc eſt, in urbem Cairum detulit. Bekira Reſcidæus, vir inter Coptos nobilis, qui in exemplari Arabico quo uſi ſumus, Nekira appellatur, trecentis aureis perſolutis, illud accepit, & ad Zachariam Patriarcham detulit, qui tunc erat in Monaſterio Sancti Macarii: ſervatumque fuit in domo Zachariæ patris Jahiæ, qui quum periculoſe decumberet, ut in vita Chriſtoduli Patriarchæ LXVI. apud Renaudotium pag. 430. narratur, veriti Chriſtiani, ne eo mortuo domus obſignaretur, quia ille Officium Scribæ ſub Azeddaula Præfecto exercebat, atque ita tam inſignes reliquiæ perirent, thecam noctu abſtulerunt, & in vicinam Soccaræorum domum tranſtulere, Simoni Presbytero illam tradentes, qui poſtea Taneos Epiſcopus fuit. Hæc de Capite S. Marci vulgaris Coptorum opinio fert; auctor tamen vitæ Cyrilli Patriarchæ LXXV. teſtatur nonnullos de ea te dubium moviſſe: *Dicitur enim*, inquit, *fuiſſe caput Petri Hieromartyris: quia caput Marci Evangeliſtæ erat cum ejus corpore, quando Romæi* (ſeu potius Franci, hoc eſt, Veneti) *illud Venetias aſportaverunt.*

LXXIX. Theodoſius, olim Abdelmeſſias, filius Zavaiel Franci, (non Zevabelis, ut Sollerius & Renaudotius legunt) creatus Patriarcha die 10. Epiphi, ſeu — Theodoſius II.
4. Julii, anno Martyrum 1010. Chriſti 1294. obiit die 7. Tybi, ſeu 2. Januarii, anno Martyrum 1016. Chriſti 1300. Hæc ex Codice Patriarchali. Sollerius vero ex Vanslebio ait Theodoſium deceſſiſſe die 5. Tybi, ſeu 31. Decembris, anni Martyrum 1016. Chriſti 1299. Idem legitur in Appendice Catalogi Patriarchalis, quam Anonymus Tractatui Benaſſali de Kalendario Orientalium ſubjunxit: ibique Theodoſius dicitur filius Bumechini Franci. In Codice Coptico MS. Vaticano 13. narratur hiſtoria confecti Chriſmatis a Theodoſio Patriarcha anno Martyrum 1015. & ab ejus Succeſſore Joanne anno Martyrum 1021.

LXXX. Joannes filius Iſaaci ex nomo Buphi (male apud Renaudotium pag. — Joannes VIII.
602. *Kufi*, vel *Kuki*:) creatus die 19. Mechir, anno Martyrum 1016. ſeu 8. Februarii, anno Chriſti 1300. Obiit die 4. Payni, anno Martyrum 1036. ſeu 29. Maii anno Chriſti 1320. quum ſediſſet annos 20. menſes 3. dies 20. Ejus temporibus promulgatum fuit a Soltano Naſero Mohammad Kelauni filio Edictum, quo tam Chriſtianis, quam Judæis præcipiebatur, ut ſtatutam erga eos legem ſervarent. quam Omarus Chettabi filius olim capta Ægypto tulerat: ne Cidarim candidam capiti imponerent, ſed Chriſtiani cæruleam, Judæi croceam, Samaritani rubram: ne equis, aut mulis, ſed aſinis veherentur: ut etiam Eccleſiæ & Synagogæ omnes everterentur, præter eas, quæ ſubacta per Mahometanos Ægypto relictæ fuerant. Verum in eo tumultu clauſæ ſunt omnes reliquæ per annum & novem fere menſes, exceptis Eccleſiis Monaſteriorum, quæque erant Alexandriæ, perque Ægypti pagos, donec venit Laſcaris Legatus Andronici Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, qui petiit & obtinuit, ut in Cairo Vetere Jacobitis Ægyptiis Eccleſia Deiparæ, Moallaka dicta in Caſtro Sciamaæ, Melchitis vero Eccleſia S. Michaelis ibidem ſita aperiretur. Venit deinde Legatus Regis Barcinonenſis, hoc eſt, Jacobi Aragoniæ & Cataloniæ, apertæque ſunt Eccleſiæ in Cairo novo, Deiparæ quidem Coptorum in Vico Zovaila, & Sancti Nicolai Melchitarum in regione, quam vocant Benducanin, hoc eſt, Venetorum: ibi enim Conſul Mercatoreſque Veneti degebant. Hæc perſecutio a Macrizio narratur ad annum Hegiræ 700. qui cœpit die 16. Septembris anno Chriſti 1300. Ejuſdem meminit Abulbarcatus Auctor Cata-

logi Patriarcharum Alexandrinorum , quem Vanslebius Gallice interpretatus eſt, Sollerius autem Latine reddidit pag. 101. Utraque tamen interpretatio ex Arabico Abulbarcati Textu caſtiganda eſt ita. „ Tempore hujus Patriarchæ tam Chriſtiani, quam Judæi ad novas conditiones a Soltano adacti ſunt ; inter quas hæc fuit, ut ſcilicet Chriſtiani Cidari cærulea uterentur, utque inverſo utroque erure ad unum latus pendente equitarent, & aliæ hujuſmodi. Clauſæ ſunt etiam Eccleſiæ in Cairo vetere ac novo primum ; deinde in omnibus Ægypti Climatibus, præter Monaſteria, & præter Eccleſias Alexandriæ, & nonnullas alias pagorum Eccleſias. Sed intercedente pro eis Laſcari Legato Imperatoris Conſtantinopolitani, aperta eſt Eccleſia Dominæ de Moallaca in Caſtro Sciamaæ in Cairo vetere pro Jacobitis, & Eccleſia Michaelis in eodem loco pro Melchitis, poſtquam ſexcentis ac tribus diebus clauſæ fuiſſent : Poſtea deprecante etiam Legato Batchinonenſis, reſeratæ ſunt aliæ duæ Eccleſiæ in Cairo novo, Eccleſia ſcilicet Dominæ in regione Zovaila pro Coptis, & Eccleſia S. Nicolai in regione Venetorum pro Melchitis.

Joannes IX. LXXXI. Joannes patria Niciotes in Memphitica regione, creatus die I. Paophi anno Martyrum 1037. hoc eſt, 27. Septembris anno Chriſti 1320. Obiit 2. Pharmuthi, ſeu 28. Martii, anno Martyrum 1043. Chriſti 1327.

Benjaminus II. LXXXII. Benjaminus Democratenſis creatus die 15. Pachon, ſeu 10. Maii, anno Martyrum 1403 Hegiræ 728. Chriſti 1327. Obiit die 11. Tybi, ſeu 6. Januarii, anno Martyrum 1055. Chriſti 1339. Sedit annos 11. menſes 7. dies 27. Vacavit Sedes annum unum minus 5. diebus.

Petrus IV. LXXXIII. Petrus creatus die 6. Tybi, ſeu 1. Januarii, anno Martyrum 1056. Chriſti 1340. Obiit die 14. Epiphi, ſeu 8. Julii anno Martyrum 1604. Chriſti 1348.

Marcus IV. LXXXIV. Marcus ex Calliope ordinatus die 8. Thoth, ſeu 5. Septembris, anno Martyrum 1065. Chriſti 1348. Obiit die 6. Mechir, ſeu 31. Januarii, anno Martyrum 1709. Chriſti 1363. Ejus inaugurationis diem & annum neque Sollerius, neque Renaudotius aſſignant. Sed tam in Codice Patriarchali, ex quo Catalogum deſcribi curavimus, quam in Appendice ad Catalogum Benaſſali, eo quo diximus modo diſerte adnotatur. Anno Hegiræ 753. Chriſti 1352. teſte Maerizio inſtaurata ſunt in Ægypto adverſus Chriſtianos & Judæos edicta, de quibus ſupra dictum eſt, quum de Jo: Patriarcha 80. ſermonem fecimus.

Joannes X. LXXXV. Joannes, Damaſco oriundus, creatus Patriarcha die 5. Pachon, ordinatuſque die 12. ejuſdem, anno Martyrum 1709. Chriſti 1363. Obiit die 19. Epiphi, ſeu 13. Julii anno Martyrum 1085. Chriſti 1369. De hujus Patriarchæ obitu hæc Sollerius pag. 102. „ Dies mortis ignoratur, quia hic, inquit Vanslebius, deſinit Abulbarcati Patriarcharum Catalogus. unde colligitur eum vixiſſe anno noſtro 1363. „ Eadem habet Renaudotius pag. 610. Joannes, inquit, Damaſco oriundus, ordinatus anno martyrum 1709. Jeſu Chriſti 1365. (imo 1363) & in eo deſinit Abulbarcat, nec mortem iſtius Patriarchæ, aut quamdiu ſedem tenuerit, notavit: unde, quod Vanslebius obſervavit, ſub illo vixiſſe Abulbarcatum veriſimile eſt. Nomina ſequentium Patriarcharum margini Codicis, quo uſus eſt, quique extat in Bibliotheca Regia, inſcripta ſunt, nec una manu. „ Atque idcirco neque apud Sollerium, neque apud Renaudotium, ſequentium XVII. Patriarcharum ætas notatur : quam tamen ex Codice Patriarchali deſcriptam exhibebimus.

Gabriel IV. LXXXI. Gabriel Abbas Monaſterii in Thebaide, quod Moharrak, ideſt, combuſtum vocant: (ibi B. Virginem cum puero Jeſu ac Sancto Joſepho, poſtquam aliquamdiu Heliopoli & in Babylone Ægyptiaca commorati fuiſſent, habitaſſe ferunt Copti :) creatus die 11. Tybi, anno Martyrum 1086. hoc eſt, 6. Januarii anni Chriſti 1470. Obiit die 3. Pachon, ſeu 28. Aprilis, anno Martyrum 1094 Chriſti 1378. quum ſediſſet annos 8. dies 22. Ad hunc Patriarcham

deducitur Catalogus Patriarcharum Alexandrinorum apud Benaſſalum in
libro de Kalendario & Epochis Orientalium. Quum autem ex hiſtoria qui-
dem Patriarchali conſtet Benaſſalum ſub Cyrillo Patriarcha LXXV. circa
annum 1240. vixiſſe; In memorato autem Benaſſali libro fol. 103 idem au-
ctor annum ſcripti a ſe hujus operis nongenteſimum ſeptuageſimum quar-
tum *Martyrum, hoc eſt,* 1258. Chriſti fuiſſe teſtetur; palam fit, tam hunc,
quam reliquos Cyrilli ſucceſſores ab alio auctore additos fuiſſe.

LXXXVII. Matthæus ſedit annos 25. adeoque obiit anno Chriſti 1401. In Matthæus I.
Codice MS. Vaticano Coptico VII. fol. 1. extant manu Matthæi deſcripta
die 3. Chojach anno Martyrum 1115. hoc eſt 29. Novembris anno Chriſti
,, 1398. hæc verba: Ego Matthæus miniſter ſedis Marci legi hunc librum
,, (*Geneſis & Exodi Copto-Arabici*,) & in ſcriptura Coptica errores non pau-
,, cos deprehendi, qui emendatione indigent.

LXXXVIII. Gabriel Abbas Cœnobii Calamonenſis ſedit annos 17. men- Gabriel V.
ſes 10. Obiit anno Chriſti 1418. *Hic eſt*, ut inquit Renaudotius pag. 610.
,, qui Ritualem librum Sacramentorum ſecundum Eccleſiæ ſuæ diſciplinam
,, recenſuit, emendavit, & Patriarchali auctoritate confirmavit. Continet au-
,, tem Officiorum adminiſtrandorum regulas rituales: nam orationes primis
,, tantum vocibus plerumque deſignantur. Sunt autem Ordo Baptiſmi, Ab-
,, ſolutionis pœnitentium, Coronationis, ſeu Matrimonii, Ordinationis, &
,, Olei lampadis, ſeu unctiones infirmorum; præter ritus ſingulares ad cele-
,, brandam Liturgiam, preces ad dandum Schema, ſeu Habitum monaſticum
,, &c. Eſſe præcipuam illorum Rituum auctoritatem, manifeſtum inde eſt,
,, quod Codices recentiores accurate ſcripti, qualis unus Bibliothecæ Regiæ,
,, teſtantur Rubricas deſumtas fuiſſe ex Rituali Gabrielis. In eo notatur confir-
,, matum eſſe Ritualem illum librum anno Martyrum 1127. qui fuit Jeſu Chriſti
1427. imo 1411. Si enim anno Martyrum 1127. addantur anni 284 habebimus
annum Chriſti 1411. non 1427. Vanslebius, & Sollerius Rituale Sacramento-
rum non ab hoc Gabriele editum putant, ſed ab altero cognomine, qui inter
Patriarchas ſeptuageſimus eſt, Sedemque tenuit ab anno Chriſti 1131. ad an-
num 1145. Verum nominis ſimilitudine decepti ſunt.

LXXXIX. Joannes Macheſenſis, ſedit annos 22. menſes 11. dies 28. Quum Joannes XI.
accepiſſet ab Eugenio IV. literas per Fr. Albertum Ord. Minorum, eaſque coram
Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis in Eccleſia S Mariæ in Vico Zoile legiſſet,
reſcripſit ad eumdem Pontificem epiſtolam, datam Cairi 12. Septembris anno
Mundi 6940. Martyrum 1157. Chriſti 1440. miſſamque per Andream Abba-
tem Cœnobii S. Antonii, & Petrum Diaconum Oratores, quæ extat in Appen-
dice ad Concil. Florent. tom. 13. Concil. Labb. pag 1201. Ciaconius in vita Eu-
genii IV. ſcribit: *anno 1441. die 10. Octobris Abbatem S. Antonii in Ægypto* (Andream
ſcilicet) *Virum inſignem apud Imperatorem Æthiopiæ, vulgo Presbyterum Joannem vo-
catum, duodecim ferme Monachis comitatum Romam veniſſe*: fungebatur enim Le-
gatione tam Joannis Patriarchæ Alexandrini, quam Conſtantini Imperatoris
Æthiopiæ, ut diſerte legitur in Brevi Eugenii IV. *ad Canonicos & Capitulum S. Pe-
tri*, Tom. cit. Concil. Labb. pag. 1217. Hujus Legationis neque Sollerius, ne-
que Renaudotius meminit. Quod autem Joannes Patriarcha annum Mundi
6940. cum anno Chriſti 1440. comparat, id ex Ægyptiorum mente facit, qui
Chriſtum natum volunt anno Mundi 5500. nam Græci Conſtantinopolitani
nativitatem Chriſti octo poſt annis contigiſſe affirmant.

XC. Matthæus ex Said, hoc eſt, Ægypto ſuperiore, ſive Thebaide oriundus, Matthæus II.
Abbas Cœnobii Moharrak, ſedit annos 13. Is, Bernato teſte apud Sollerium,
ultimus fuit, qui Sacrum Chriſma confecerit, uſque ad annum 1703. quo no-
vum conſecravit Joannes XVI. Patriarcha CIII.

XCI. Gabriel Abbas Cœnobii S. Antonii in Deſerto Thebaidis, quod Mona- Gabriel IV.
ſterium in Araba vocant. Renaudotius pro Araba legit *Garba*, hoc eſt, *Occidente*.

dubiumque movet, an id Monaſterium, quod ipſe Occidentale vocat, idem ſit ac illud, quod vocavit Vanſlebius S. Antonii. Verum nihil in Ægypto notius, quam Cœnobium S. Antonii idem eſſe ac Cœnobium in Araba: idque non ad occidentem, ſed ad orientem Ægypti ſitum eſſe: a ſinu enim Arabico parum diſtare. Sedit Gabriel annos 8. menſem 1. dies 9.

Michael VI XCII. Michael, patria Sanmutenſis ( male apud Sollerium *Semellotti*) ſedit annum 1. menſes 3.

Joannes XII. XCIII. Joannes Nicatenſis ( Sollerio *Neggadenſis*, Renaudotio *Nekaddi*) ſedit annos 3. menſes 4. dies 9.

Joannes XIII. XCIV. Joannes, Meſra, ſeu Cairo vetere oriundus, ſedit annos 4. minus 4. diebus.

Gabriel VII. XCV. Gabriel Menſua oriundus ( Sollerio & Renaudotio *minſcianenſis* ) Abbas cœnobii moharrak, inauguratus die Dominica, quarta menſis Paophi, anno martyrum 1242. ( Chriſti 1526. ) obiit menſe Paophi anno martyrum 1285. ( Chriſti 1569. ) quum ſediſſet annos 43. quemadmodum ad calcem manuſcripti Codicis Arabici poſt Cronicon Orientale ab Ecchellenſi editum legitur. Hujus tempore exaratum Ritualem librum Sacramentorum lingua Coptico-Arabica habemus in Bibliotheca Vaticana Cod. mſ. 25. cujus folio 95. dicitur *codex ſcriptus cura & opera Philothei, temporibus Gabrielis Patriarchæ XCV.* Ad eumdem juſſu Pii IV. Summi Pontificis anno 1561. legationem ſuſcepit Chriſtophorus Rodericius Soc. Jeſu, eo exitu, quem memorat Sacchinus Hiſtor. Societ. par. 2. lib. 5. a num. 135. & lib. 6. a num. 121. Primum, ut inquit Sollerius pag. „ 102. totius fraudulentæ machinationis telam exorſus eſt Abrahamus „ quidam Syrus, Romæ ad quadriennium commoratus, optime habitus, „ multiſque ornatus muneribus; quorum vice nonniſi ſummam ingrati„ tudinem & perfidiam Pontificio Nuncio exhibuit. Patriarcha Gabriel, „ ſenex verſutus, ita ſe ad omnem ſimulationem formavit temperavitque, „ ut acceptis, quæ Roma deferebantur, donis non exigui pretii, & per„ ſonam & obedientiam & fidem exuerit, quam binis primum in lite„ ris, tum coram Roderizio ſæpius & palam fuerat profeſſus. Quum autem hæc, ut modo dicebam, ſub Pio IV. anno Chriſti 1561. contigerint, planum fit inter hunc Patriarcham Gabrielem, & Joannem octogeſimum nonum vel Sedem vacaſſe per annos 55. vel horum ſeptem Patriarcharum tempora non recte eſſe diſpoſita: nam ex calculo, quem juxta auctorem Catalogi Patriarchalis exhibuimus, ſequitur, Joannem LXXXIX. obiiſſe anno Chriſti 1441. Matthæum XC. anno 1454. Gabrielem XCI. anno 1462. Michaelem XCII. anno 1463. Joannem XCIII. anno 1467. Joannem XCIV. anno 1471. & Gabrielem XCV. anno 1514. adeoque a Joanne LXXXIX. ad hunc Gabrielem XCV. eſſet hiatus annorum 55. qui inter annum 1514. & 1569. deſiderantur. Quid? quod Joannes LXXXIX. ut conſtat ex Appendice ad Concilium Florentinum, literas miſit ad Eugenium Papam IV. anno Chriſti 1440. ejuſque legatus Andreas cum ſociis Romam ingreſſus eſt die 10. Octobris anno 1441. ut ſupra dictum eſt: adeoque patet, eum ante annum 1441. non obiiſſe. Gabriel Patriarcha XCVII. in epiſtola ad Clementem VIII. teſtatur tempore hujus Patriarchæ Ambroſium Epiſcopum in Ægyptum veniſſe. Verba ejus apud Baronium Tom. VI. Annalium hæc ſunt. Certiorem etiam reddimus Patris Papæ Sanctitatem, „ quod tempore Patris Patriarchæ Anba Gabrielis in Patriarcharum numero „ Alexandrinæ regionis nonageſimi quinti, venit ad eum Nuncius Patris Pa„ pæ urbis Romæ, Vir doctus & virtute præditus, nomine Ambroſius E„ piſcopus Aurienſis, qui in Eccleſiis noſtris *Ægyptiis celebravit*. Sub eodem Gabriele XCV. Secretarius erat Gabriel XCVII. ut idem ſubjicit: Et ego

Digitized by Google

humilis Gabriel Scriba litterarum Patriarchæ atque famulus, & hujus Epiſtolæ ſcriptor, his actibus præſens eram.

XCVI. Joannes Monfalutenſis, ad quem ſcripſit Gregorius XIII. ut teſtatur Gabriel Succeſſor in Epiſtola ad Clementem VIII. his verbis: *Certiorem* autem te facimus, Pater ſpiritualis, olim veniſſe filium benedictum „ Joannem Baptiſtam cum litteris Domini Patris Papæ Gregorii XIII. ad Pa„ trem Patriarcham Anba Joannem in Patriarcharum numero *nonageſimum ſextum*. Sedit annos 15. menſes 4. Joannes XIV.

XCVII. Gabriel Cairenſis, antea Senuthius appellatus, ſedit annos 17. Hic litteras a Sixto V. accepit per Joannem Baptiſtam miſſas. Epiſtolam quoque ſcripſit ad Clementem VIII. die 16. Athyr anno Martyrum 1310. hoc eſt, die 22. Novembris anno Chriſti 1593. perque Joſephum & Abdelmeſſiam Presbyteros, & monachos Cœnobii S. Macarii in Deſerto Nitriæ miſit, qua Romanæ Sedis Primatum agnoſcebat, & fidem orthodoxam profitebatur. Exſtat apud Baronium ad calcem Tomi VI. Annalium: cui ſubjungitur ejuſdem Patriarchæ Gabrielis admonitio ad memoratos Joſephum & Abdelmeſſiam Legatos, eodem die, menſe, & anno ſcripta: necnon *Epiſtola Joannis Hegumeni*, ſive Archipresbyteri Eccleſiæ Alexandrinæ, ad eundem Clementem VIII. miſſa per Hieronymum Vecchiettum, & Barſumam Archidiaconum Eccleſiæ S. Marci Alexandriæ, exarata Sabbato die 12. Chojach anno Martyrum 1310. ideſt, die 18. Decembris anno Chriſti 1593. Demum *Profeſſio fidei Joſephi, Abdelmeſſiæ, & Barſumæ*, emiſſa coram ſummo Pontifice Clemente VIII. & Cardinalibus Romæ die 15. Januarii anno Chriſti 1595. Eminentiſſimus Baronius Dignitatem *Hegumeni*, ſeu ut Arabes pronunciant, *Comus*, qua Joannes in Eccleſia Alexandrina fungebatur, *Chorepiſcopatum* interpretatur; ſed minus recte: ut etiam menſis Athur, ſeu Hathur, perperam dicitur *Natur*; & Deſertum Nitriæ, ſive Harron, ( ut Arabes proferunt ), in Latina earum litterarum interpretatione vocatur *Atrum*. Exſtant in Bibliotheca Vaticana nonnulli Codices mſſ. Coptici & Arabici, per eam occaſionem ab Hieronymo Vecchietto comparati. Item *profeſſio fidei* Arabice a memoratis Joſepho & Abdelmeſſia anno Chriſti 1586. nomine Gabrielis Patriarchæ Alexandrini emiſſa, Cod. Arab. Vatic. 169. & 187. nimirum, antequam idem Gabriel Patriarcha litteras ſuas ad Clementem VIII. miſiſſet. Ad eundem Gabrielem Patriarcham XXVII. extat Epiſtola Presbyterorum, Diaconorum, & populi Meniet-Amri, ſeu Nomi Amri in Delta Ægypti, de Paſchate & Kalendario novo, ſcripta anno Martyrum 1311. Chriſti 1595. de qua Tom. I. Biblioth. Orient. pag. 625. Obiit Gabriel in Deſerto Nitriæ in Monaſterio S. Macarii die 19. Pachon anno Martyrum 1318. hoc eſt, 14. Maii anno Chriſti 1602. Porro de Legatione illa Gabrielis Patriarchæ ad Clementem VIII. ut Sollerius pag. 103. & Renaudotius pag. 611. obſervant, dubium a nonnullis movetur, an acta vera ſint, ac præſertim ab Auctore Hiſtoriæ Criticæ *De Fide & moribus nationum Orientalium*, Francofurti anno 1648. pag. 134. dum ait, *Aulam* Romanam multum demiratam eſſe, „ quod Baronius tam facile Acta illa publicaſſet ſub nomine veri *Patriar*„ *chæ Alexandrini & Eccleſiæ Copticæ*. Hoc autem argumento utitur, quod primus produxerat Georgius Douſa in Itinere ſuo Conſtantinopolitano, ad quem quum de Legatione illa Gabrielis Patriarchæ Alexandrini eſſet allatum, negavit, ſuperſtite Meletio Piga, quo Alexandriæ familiariter uſus fuerat, eſſe poſſe Gabrielem in eadem Dignitate. Verum, ut docte reſpondet Renaudotius, ignorabat Douſa, quod omnes ſciunt, a Dioſcoro ad hæc uſque tempora, præſertim a capta per Mahometanos Ægypto, ( ſi primum ſæculum excipimus, quo ferme toto Alexandrini Orthodoxi Antiſtite caruerunt, ) duos ſemper Alexandriæ fuiſſe Patriarchas, Græcum & Copticum: & talis erat Gabriel. Gabriel VIII.

Ita de eo dubitari non poteſt. De litteris vero ab eo ſcriptis non magis videtur dubitandum: nihil quippe frequentius a multis ſæculis, quam ſimiles Orientalium Patriarcharum, & Epiſcoporum ad Romanos Pontifices Epiſtolæ. Joannem LXXXIX. Coptorum Patriarcham ad Eugenium IV. ſcripſiſſe, ſupra vidimus. Meletius Piga fuit non Coptorum, ſed Melchitarum Patriarcha Alexandrinus: cujuſmodi ſine dubio fuit Theophilus ille, cujus ad annum Chriſti 1523. meminere Spondanus & Raynaldus. Hujuſmodi fuit & Samuel Capaſulis, Alexandrinus Græcorum Melchitarum Patriarcha, qui menſe Julio anno Chriſti 1712. litteras miſit ad Clementem XI. in Conſiſtorio habito die 28. Aprilis 1713. lectas, in quibus vetus Græcorum Schiſma ejuſque errores ejurabat, ac orthodoxæ fidei profeſſionem edebat. Quod in gratiam Cl. Viri Fabricii notavi, qui Tom. 8. Biblioth. Græcæ pag. 597. hunc Samuelem in numero Patriarcharum Coptorum ponit; Gabrielem vero XCVII. affirmat, litteras ad Urbanum VIII. ſcripſiſſe, enormi anachroniſmo, quum Clementem VIII. dicere debuiſſet.

Marcus V. XCVIII. Marcus Bajadenſis, antea Abdelmeſſias vocatus, creatus eſt Patriarcha die 15. Thoth anno Martyrum 1319. hoc eſt, die 12. Septembris anno Chriſti 1602. Sedit annos 16. Obiit die 30. Tybi anno Martyrum 1334. ſeu 25. Januarii anno Chriſti 1617. Renaudotius fallitur, quum eum mortuum ſcribit anno Chriſti 1610.

Joannes XV. XCIX.. Joannes ex Melave, ſedit annos 9. Sollerio ac Renaudotio *Melavani*, & *Melavienſis*.

Matthæus III. C. Matthæus, Joannes dictus, ex Tuch patria Tuchenſis, ſedit annos 18. Hic litteras miſit ad Urbanum VIII. ejuſdem tenoris, cujus fuerant litteræ Gabrielis XCVII. ad Clementem VIII.

Marcus VI. CI. Marcus Bagiurenſis( Renaudotius pro Bagiur legit *Mahjur*:) ex Monaſterio Sancti Antonii in Araba, creatus Patriarcha die 17. Pharmuthi anno martyrum 1362. hoc eſt, 12. Aprilis anno Chriſti 1646. Obiit die 15. Pharmuthi anno Martyrum 1373. ſeu 10. Aprilis anno Chriſti 1657. quum ſediſſet annos 11. Sollerius eum Patriarcham factum ſcribit *anno Martyrum* 1362. *Chriſti* 1645. ſed annus Chriſti 1645. reſpondet anno Martyrum 1361. non 1362. Vacavit ſedes uſque ad diem 26. Novembris anni Chriſti 1660. hoc eſt, annis tribus, menſibus ſeptem, & diebus 16. Fallitur itaque Auctor Catalogi Patriarchalis, qui interpontificium duraſſe ſcribit annis 5. menſibus 3.

Matthæus IV. CII. Matthæus Meſrenſis, hoc eſt, ex Meſra ſeu Cairo oriundus( Sollerius pag. 104. pro Meſrenſis habet *Mirenſem*:) ex monaſterio Sanctæ Mariæ in Baramus, ſeu Romæorum, quod eſt unum e Monaſterii Nitriæ, creatus Patriarcha die 30. Athyr, ſeu 26. Novembris, anno Martyrum 1377. Chriſti 1660. Renaudotius vocem Copticam *Piromæos*, quam Arabes *Baramus* proferunt, interpretatur *in Eremo*; quaſi *B-erimos*: ſed minus recte. *Vivebat adhuc Matthæus*, inquit Vanslebius, *quum Cairi exiſterem anno* 1673. *qui erat annus Martyrum* 1389. Obiit die 11. Meſori, ſeu 4. Auguſti, anno Martyrum 1391. Chriſti 1675. Vacavit poſt ejus obitum ſedes uſque ad menſem Januarium anni Martyrum 1392. Chriſti 1676. quo Joannes ei ſucceſſit, nempe annum unum, menſes quinque. Atque ita Sollerii dubitatio tollitur, qui pag. 104. Chronologiam Copticam conciliari poſſe negat in iis, quæ de Patriarchis dicuntur a Marco XCVIII. ad Joannem CIII. Porro Matthæi temporibus anno Martyrum 1389. indictum fuit Chriſtianis tributum pro Eccleſiis & mulieribus triginta millium denariorum argenteorum: anno vero Martyrum 1390. qui erat Hegiræ 1084. ſeptuaginta quinque millium denariorum argenteorum, qui conficiebant tres, ut vocant, crumenas, hoc eſt, mille quingentos aureos. Eodem anno Martyrum 1390. menſe Chojach inſtauratum fuit Edictum, quo jubebantur Chriſtiani Cæruleis faſciis uti: vini quoque uſus interdictus, Cellæque Vinariæ everſæ. Tum clare-

Digitized by Google

bant Coptorum primates, Meſri Tuchenſis, Reſcalla Phegtenſis, Neſralla ejuſque frater Abdelmeſſias, Barſumas filius Dibi, & Peſoes Saidenſis.

CIII. Joannes Tuchenſis, cteatus Patriarcha anno Martyrum 1392. Chriſti 1676. Conſecravit Chriſma anno Chriſti 1703. In Catalogo Patriarcharum Alexandriæ, quem ex autographo Cellæ Patriatchalis exſcripſi, id notatum legitur, quod Bernatus die 11. Aprilis anno Chriſti 1706. ad Sollerium ſcripſir, nimirum anno Martyrum 1422. Chriſti 1706. Joannem Patriarcham numeraſſe annos regiminis triginta, & menſes decem. Obiir anno Martyrum 1434. Chriſti 1718. circa Feſtum Pentecoſtes, quum ſediſſet annos 42. Vir fuit a Catholica fide Summoque Romano Pontifice non alienus; ejuſque beneficio ac liberalitate e Nitrienſibus Cœnobiis atqne Parriarchali bibliotheca plures manuſcripti Codices Romam advecti ſunt, ut in Præfatione ad Tom. 1. Bibliothecæ Orientalis narravi: Quumque aliqnando exprobraſſem ei abuſum contra apertiſſimam Evangelii veritatem corrupris Coptorum moribus introductum, atque a Patriatchis non ſine cæterorum Chriſtifidelium offenſione vel probatum vel ſaltem toleratum, repudiandi ſcilicet, viviſque prioribus alias ſuperducendi uxores: illud a ſene erga doctrinam orthodoxam optime animato impetravi, ut publico edicto per Eccleſias Ægypti ac Thebaidis promulgato declararet, matrimoninm quidem rite ſemel contractum, eſſe indiſſolubile, quod vinculum, nec Patriarcham aut Epiſcopos poteſtatem habere vel illnd diſſolvendi, vel alterutri conjugum concedendi, ut vivente altero ad novas auptias tranſeat; id ſi Patriarcha vel Epiſcopi, præſidum Mahomeranorum metu, indulſerint, noverint omnes, eos divinis legibus adverſari, nullumque robur iniquæ diſpenſationi ineſſe. Quo facto ſublatus eſt magna ex parte is abuſus, de quo Sollerius ex Sacchino & Bernato docte diſſerit pag. 135. & ſeq. Joannis temporibus claruere inter Coptos docti nobileſque Viri Joannes Cairenſis, & Georgius Tuchenſis: multi inſuper tum Eccleſiaſtici, tum Seculares ab hæreſi ad Catholicam religionem tranſiere.

Joannes XVI.

CIV. Petrus Monachus Cœnobii Sancti Pauli in Thebaide, creatus Patriarcha quadrageſimo poſt Joannis obitum die, anno Martyrum 1434. Chriſti 1718. Obiit morbo epidemico ſublatus anno Chriſti 1727. quum novem annos ſediſſet, qnibus inſtigante Lotfalla primario inter Coptos Scribas viro negotium popularibus ſuis orthodoxam fidem amplexis facere non deſtitit.

Petrus V.

CV. Joannes, olim Abdeſſajed, ex monacho S. Pauli patriarcha creatus anno 1727. adhuc ſupereſt hoc anno Chriſti 1730.

Joannes XVII.

# DISSERTATIO III.

## Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum Series,

## *A Severo ad præſentem diem.*

Severus.

I. Severus Sozopoli in Piſidia natus, Tripoli in Phœnicia in templo S. Leontii martyris baptizatus, a Legum ſtudio, cui in Academia Berytenſi operam dederat, ad vitam monaſticam ſe tranſtulit in monaſterio Theodori inter Gazam & Majumam poſito, ubi Romanum & Mennam aliis Mamam, in Dogmatibus Eutychianis magiſtros & Abbates habuit. Quumque de his cum Nephalio, ( qui antea in eadem cum ipſo ſecta fuerat, poſtea tamen Chalcedonenſi Concilio & doctrinæ eorum qui duas in Chriſto naturas aſſerunt, conſenſit: ) in diſputationem veniſſet, a Nephalio ejusque fauctoribus una cum aſſeclis ſuis e Monaſterio pulſus, inde Conſtantinopolim ſe contulit, pro ſe proque illis, qui cum eo ejecti fuerant, legationem obiturus: fuitque Apocriſiarius inter eos, qui Petri Mongi Alexandrini erant, Zenonis Imperatoribus temporibus. Ibi Monophyſitarum partes acriter tutari cœpit, donec ejecto fraudibus Soterichi Cæſareæ & Philoxeni Hierapolis Archiepiſcoporum, juſſuque Anaſtaſii Imperatoris Flaviano Patriarcha, *Severus ad Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ promotus eſt anno Urbis Antiochiæ quingenteſimo ſexageſimo primo, menſe Dio, Indictione ſexta currentis tunc circuli*, inquit Evagrius lib. 3. cap. 33. hoc eſt, menſe Novembri anno Chriſti 512. ut late oſtendit Noriſius differtat. 3. de Epochis Syro-Macedonum cap. 6. Sex annis ſedem tenuit, quibus Henoticum Zenonis Imperatoris ſuſcipiens & anathema Synodo Chalcedonenſi Tomoque S. Leonis Papæ dicens, mirum quantum in Catholicos debacchatus fuerit, conjuncta Philoxeni Hierapolitani & Petri Apameenſis opera uſus, ut apparet ex Epiſtolis Monachorum Syriæ ſecundæ ad Hormiſdam Papam, ad Joannem & Mennam Conſtantinopolitanos Patriarchas, & ad Quintam generalem Synodum, in quibus Severi ſcelera narrantur. Anaſtaſio e vivis ſublato, quum Juſtinus ſenior gubernacula Imperii ſuſcepiſſet, in Synodo Conſtantinopolitana ſub Joanne Patriarcha, ſententia depoſitionis in Severum ejuſque aſſeclas lata fuit, & miſſo Imperator Vitaliano magiſtro militum, comprehendi hominem juſſit, dato etiam mandato Irenæo Comiti Orientis, ut blaſphemam ejus linguam abſcinderet. Quod ubi Severus per Theodotam Auguſtam reſcivit, prævidens quid ſibi immineret, relicta Antiochia, clam nocte deſcendit Seleuciam, & conſcenſa navi, Alexandriam fugit. *Id contigit menſe Gorpiæo, quem Romani Septembrem vocant, anno Urbis Antiochiæ quingenteſimo ſexageſimo nono*, inquit Evagrius lib. 4. cap. 4. hoc eſt, anno Chriſti 518. ut late probant Noriſius & Pagius. Dum Cathedram occupavit, mutuas de ejuſdem hæreſeos communione dedit accepitque Epiſtolas Synodicas ab Alexandrinis Patriarchis Joanne Niciota XXX. Dioſcoro juniore XXXI. & Timotheo XXXII. multa etiam ad eamdem hæreſim confirmandam ſcripſit, ut homilias enthroniſticas CXXV. Philalethem, Epiſtolas, aliaque opera. Poſtquam autem Alexandriam appulit, mota eſt inter ipſum & Julianum Halicarnaſſæum quæſtio de Corruptibili & Incorruptibili.

tem-

tempore Timothei Alexandrini circa annum Chriſti 519. vel 520. de qua hæc Liberatus in Breviario hiſtoriæ Eutychianiſtarum cap. 18. *Alexandriæ mortuo Dioſcoro Juniore , Timotheus Eccleſiæ ipſius ſuſceperat Epiſcopatum , a quo gratiſſime ſuſcepti Severus & Julianus , ſedebant ad Labranum ,* ( ſeu , ut alii legunt , ad laborem . ) *Sub iſto Timotheo de Corruptibili & Incorruptibili apud ipſam Eccleſiam quæſtio mota eſt hoc modo . Requiſivit quidam Monachus Severum , quid oporteret dicere Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti , Corruptibile , an Incorruptibile . Ille reſpondit ei : Sanctos Patres Corruptibile illud dixiſſe . Hoc audientes quidam Alexandrinorum , quum requiſiviſſent Julianum in alio loco ſedentem , quid & ipſe diceret de eadem quæſtione ; Ille dixit , Sanctos Patres contraria dicere . Horum itaque ſinguli ſtatuere reſponſum proprium volentes , ſcripſerunt libros adverſus alterutrum . Qui venientes in multitudinem Civitatis , Eccleſiam illam diviſerunt: & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari ; verum Incorruptibilis aſſertores , Phantaſiaſtas* . Timotheus , ac Theodoſius Severi ſententiam ſectabantur ; Juliani Cajanus , & qui poſt eum Phantaſiaſtarum Patriarchæ fuere . Extant Severi & Juliani ſcripta e Græco in Syriacum translata de Corruptibilitate vel Incorrupribilitate Corporis Chriſti in Codd. MSS. Vaticanis Nitrienſibus XXIX. & XXX. quorum prior exaratus eſt anno Græcorum 839. Chriſti 528. alter pro Scetenſi Monaſterio emptus a Moyſe Niſibeno Abbate anno Græcorum 1243. Chriſti 932. Quum vero ob illam controverſiam in Ægypto tumultus in dies augerentur , Severus Theodoræ Imperatricis patrocinio fretus , Conſtantinopolim ſub Juſtiniano qui anno 527. Imperium inierat , proficiſcitur , ibique Anthimo , qui errorem propediem erat depoſiturus , atque ita Sedem Conſtantinopolitanam , ad quam Epiphanio die 5. Junii anno 535. defuncto ex Trapezuntina Eccleſia aſcenderat , retenturus , ſuadet , ut Sede catere malit , quam fidem orthodoxam profiteri , ut teſtatur Evagrius lib. 4. cap. 11. ex ejuſdem Severi litteris ad Theodoſium Alexandrinum , qui anno Chriſti 535. ejuſdem Theodoræ Auguſtæ opera in Eccleſiam Alexandrinam intruſus fuerat . Quamobrem ſententia Agapiti Papæ intra menſem Martium anni 536. Anthimo depoſito ejuſque in locum Menna ſubſtituto , Severus quoque Conſtantinopoli ejectus , in Ægyptum rediit , ibique Monachi ſpecie randiu deliruit , donec in oppido quodam apud Alexandriam , cui nomen Sacha , obiit die 28. Februarii anno Græcorum 850. Chriſti 539. cadaver ad Monaſterium Zegiagæ , ſeu Vitri , quod in Maræoride ad Occidentalem Alexandriæ partem ſitum eſt , a Dorotheo qui Severum in Sacha urbe exceperat , translatum fuit . Ægyptii Scriptores apud Renaudotium in hiſtor. Alexandrinorum Patriarcharum pag. 138. tradunt Severum per triginta annos Sedem Antiochenam tenuiſſe : adeoque ex eorum ſententia obiere neceſſe eſt anno Chriſti 542. non 539. Verum in rebus Antiochenis major fides Syris , quam Ægyptiis auctoribus adhibenda eſt . Severi nomen magno in honore fuit & adhuc eſt apud Monophyſitas Syros , Ægyptios , Æthiopas : is enim Sectarios in diverſas circa Incarnationem Verbi ſententias ſciſſos , ad unam eamdemque doctrinam redegit , quam etiam nunc tenent , ab Eutychianis, Julianiſtis , aliiſque ejus furfuris hæreticis alienam , ut in Diſſertatione de Syris Monophyſitis expoſui , de qua hæc Gregorius Abulpharagius , & ipſe Severianus Monophyſita , in Chronico Dynaſtiarum in Anaſtaſio Imp. *Hoc etiam tempore claruit Severus Patriarcha Antiochiæ , qui plurimos edidit*

*libros de recta ſententia circa unam Naturam ex duabus Naturis , Divinitatis ſcilicet ac humanitatis , abſque commiſtione , confuſione , aut corruptione , ſed iis , ut erant , permanentibus , inſtar duarum hominis naturarum ex duabus anima & corporis naturis , & inſtar naturæ corporis ex duabus materiæ & formæ naturis , abſque converſione animæ in corpus , aut materiæ in formam , & viceverſa* . Quamobrem illum tamquam parentem & doctorem venerantur omnes quotquot ſuperſunt Monophyſitæ, tum quia Acephalorum ipſe caput fuit , ſciſſoſque populos in una confeſſione conjunxit : tum quia diſcipulum habuit Jacobum Baradæum vel Zanzalum , acerrimum ejuſdem erroris propugnatorem , a quo tam Ægyptiis , quam Syris nomen *Jacobitarum* inditum eſt . Fuit autem Jacobus monachus & Presbyter in monaſterio Phaſiltæ in Meſopotamia , Severo in primis charus , quo e Sede Antiochena dejecto , inque Ægypto , ut ſupra dixi , vita functo , ipſe partes Sergii Monophyſitarum Patriarchæ adverſus Ephræmum Antiochenum Catholicorum Patriarcham tutatus eſt , tantoque hæreſim illam ardore propugnavit , ut Epiſcopus ejus ſectæ fieri metuerit : de quo vide quæ notata ſunt Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 424. Tom. 2. pag. 62. & 326. & in Diſſertatione de Monophyſitis, ubi de Epiſcopis Edeſſenis: Eum enim Edeſſenum Epiſcopum fuiſſe ferunt ; etſi alii ſcribunt, nulli ſedi hominem addictum, ſed ubique apud gregales ſuos Metropolitico jure defunctum.

Sergius. II. Sergius Presbyter , ex urbe Tela ſeu Conſtantina oriundus , Monachus Cœnobii Halenſis , poſt Severi interitum , in ejus locum a Monophyſitis ſubrogatus , a Joanne Anazarbæ Epiſcopo anno Chriſti 539. ordinatus eſt . Sedit annos 3. obiit anno Chriſti 542. Hic Jacobum Baradæum Epiſcopum conſecravit ; etſi nonnulli Jacobitæ perhibent , paucos quoſdam Epiſcopos in quodam Caſtro ſub cuſtodia publica temporibus Juſtiniani detentos , quorum unus Theodoſius Alexandrinus fuerit , per manus impoſitionem Jacobum Conſtantinopoli per eos dies commorantem ordinaſſe . Porro Sergius Patriarcha alius eſt a cognomine Sergio Epiſcopo Edeſſeno , qui a Petri Callinicenſis , Antiocheni poſt Paulum Nigrum Patriarchæ , factione recedens , propriam ſectam fecit , de qua Timotheus in libro de receptione hæreticorum apud Cotelerium tom. 3. pag. 400. *Præter hos decima ſexta fuit ſecta illa Sergii , quæ a Petri factione receſſit , propriamque conſtituit familiam* . Renaudotius in hiſtor. Alexandrina pag. 144. ex Coptis Scriptoribus refert , in Severi locum *Theophanem* quemdam , ſeu *Theophilum* , ut vocat pag. 145. electum fuiſſe , & in monaſterio Ammonii ordinatum , ibique ſedem collocaſſe . Sed neque apud Syros Jacobitas , neque apud Catholicos in Serie Patriarcharum Antiochenorum ullus fuit Theophanes aut Theophilus poſt Severi obitum . Nam Patriarchæ Antiocheni Severo ejecto anno Chriſti 518. hi fuere ex Chronographia S. Nicephori : Paulus per annos tres, Euphraſius per quinque, Ephræmius Amidenſis per duodeviginti , Domnus annis 14. Anaſtaſius annis 11. Gregorius annis 24. Anaſtaſius ſecundo annis 6. Anaſtaſius alter annis 9. Atque hic poſtremus obiit anno Chriſti 609. vel 610. Sub Sergio in Oriente inter Monophyſitas clari habiti ſunt Jacobus Baradæus , Theodorus Edeſſæ Epiſcopus, Joannes Euphemiæ , Conon Tarſi , Eugenius Seleuciæ in Iſauria , Joannes Philoponus ; & Julianus Epiſcopus, alius ab Halicarnaſſenſi , qui Nubas Æthiopaſque erroribus Monophyſitarum infecit.

Paulus Niger. III. Paulus , cognomento Uchama , ſeu Niger , patria Alexandrinus , Monachus Cœnobii Gubæ , Theodoſii Alexandrini diſcipulus ,

poſt Sergii obitum a Jacobo Bradæo & Eugenio Seleuciæ in Iſauria Epiſcopo, vel, ut alii ſcribunt, a Thoma Theodori in Epiſcopatu Edeſſeno ſucceſſore, anno Chriſti 542. Patriarcha ordinatus, quum Alexandrinam Sedem, quæ Theodoſio in exilium pulſo vacabat, ambiiſſet, ab Athanaſio Theodoræ Auguſtæ ex filia nepote diſcedere ex Ægypto coactus, apud Aretham Gabalæ filium Atabum regem ſe recepit: inde Byzantium profectus, Juſtiniani Imperatoris opera adductus eſt, ut Synodum Chalcedonenſem amplecteretur. Mox in Syriam reverſus, libellum ſupplicem Jacobo Baradæo obtulit, ut in communionem Monophyſitarum reciperetur: quod Jacobus Monderi Arethæ filii precibus exoratus feciſſet, niſi Alexandrini obſtitiſſent, qui Schiſma Syros inter & Ægyptios moliebantur. Coacta igitur factionis ſuæ Synodo, Jacobus Sententiam depoſitionis in Paulum tulit anno Chriſti 578. Quumque eodem anno in Cœnobium Romani, quod in Ægypti finibus ſitum eſt, una cum Syncellis ſuis Sergio & Juliano, cæteriſque Epiſcopis & Archimandritis Syris abiiſſet, ut Patriarcham in locum Pauli ſubrogaret, obiit die 30. Julii, tribus poſt diebus, quam Joannes Carraminenſis Epiſcopus, & Sergius ejuſdem Jacobi Syncellus ibidem deceſſerant. Jacobo autem vita functo, Epiſcopi & Monachi Syri in Cœnobio Ananiæ congregati, elegerunt Patriarcham Petrum Pauli Callinicenſis filium. Paulus autem Niger e Syria fugiens, Conſtantinopoli quadriennium delituit, ibique deceſſit anno Chriſti 582. In vita Petri XXXIV. Patriarchæ Alexandrini legitur, *eum a Paulo Nigro Antiocheno Monophyſitarum Patriarcha non ſine turbis ac ſeditionibus in locum Theodoſii anno Chriſti 567. ordinatum fuiſſe*. Unde colligitur, Paulum Nigrum, poſtquam circa annum 542. ex Ægypto, ut ſupra dixi, ejectus fuiſſet, Theodoſio Syris apud Conſtantinopolim vita functo, iterum in Ægyptum migraſſe anno 567. ibique Petrum Patriarcham conſecraſſe: mox Byzantium ſe recepiſſe propter ſeditiones, quæ in Petri ordinatione ſecutæ fuerant; Demum Conſtantinopoli cum Juſtiniano ea illi contigiſſe quæ ſupra narrata ſunt. Paulo Nigro Antiochenum Syrorum Monophyſitarum Patriarchatum gerente, Ægyptiis ejuſdem Sectæ præfuere Patriarchæ Theodoſius XXXIII. Petrus XXXIV. & Damianus XXXV. Pax tamen & concordia, quæ inter Antiochenos Severum & Sergium, & inter Alexandrinos Joannem Niciotam, Dioſcorum juniorem, Timotheum ac Theodoſium firmata fuerat, ſub Paulo Nigro rupta eſt. Damianus, quum Pauli cauſa in Synodo agitaretur, Synodicam ſcripſit ad Jacobum Baradæum & ad univerſos Orientales Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, cujus meminit Petrus Pauli in Anthiochena Sede Succeſſor, ut dixi Tom. 2. Bibliot. Orient. pag. 80. Ipſe etiam Damianus teſte Gregorio Bathebræo in Chronico Syriaco in vita Pauli Nigri, in Syriam profectus, viventi Paulo Succeſſorem ſubſtituere conatus eſt quemdam Severum in Eccleſia Antiochena, quæ Caſſiani dicitur: Sed ab eo, qui tum Antiochenam orthodoxorum Sedem regebat, repulſus, Byzantium abiit, indeque Alexandriam regreſſus eſt, quum Mondero Atabum Dynaſtæ pollicitus fuiſſet, fore ut a Pauli depoſitione abſtineret. Sed promiſſis adeo non ſtetit vir ſeditioſus æque ac doloſus, ut potius Ægyptios inter & Syros Schiſmatis ſe auctorem futurum comminatus fuerit, niſi Jacobus Baradæus Paulum Dignitate Patriarchali dejiceret: quod & fecit, ut ſupra dixi. Pauli temporibus vixit Achudemes Metropolita Orientis a Jacobo Baradæo ordinatus, qui multos fertur ad fidem Chriſti

*Abrah. Ecchell.* X ij

adduxiſſe ; quumque Epiſcopalem Dignitatem ab anno 559. ad annum 575. tenuiſſet, juſſu Perſarum Regis cæſus fuit.

Petrus junior IV. Petrus junior, cognomento Callinicenſis, in locum Pauli Nigri, ut ſupra dictum eſt, ſubrogatus, anno 578. a Joſepho Amidæ Epiſcopo ordinatus fuit. Mox Alexandriam petiit, ut ortos ibidem ob Petri Alexandrini ordinationem anno 567. a Paulo anteceſſore ſuo factam tumultus compeſceret. Damianus tunc Sedem illam poſt Petri interitum occupabat. Quumque Stephanum quemdam Sophiſtam, qui de naturarum Chriſti proprietaribus diſputabat, tamquam doctrinæ Monophyſitarum adverſantem condemnaſſet, mota eſt quæſtio inter Petrum Antiochenum, & Probum atque Joannem Archimandritam itineris ejus ſocios, qui Stephani Sophiſtæ opinioni adhærebant. Damianus quoque in Probum vehementer commotus, poſtquam hominem ex Ægypto in Orientem ejeciſſet, effecit, ut a Petro Antiocheno anathematizaretur. Sed Joannes Archimandrita pro illo intercedens, quum nihil aut deprecando, aut perturbando profeciſſet, Sententiæ Probi ac Stephani patrocinium palam ſuſcepit, ſcripſitque librum Apologeticum, quem coram Epiſcoporum Synodo legi rogabat. Congregata eſt itaque Synodus in Guba, quod eſt Caſtrum in Meſopotamia ad Euphratis ripam ſitum, in qua Stephanus Sophiſta, Joannes Archimandrita & Probus damnati ſunt. Tunc Probus & Joannes, relicta Stephani opinione, Chalcedonenſis Concilii fidem amplexi ſunt, & ad Anaſtaſium Antiochiæ Orthodoxorum Patriarcham profecti, ei adhæſerunt atque ab eodem ſuſcepti fuere. Aliud quoque diſſidium cum Damiano Alexandrino circa Trinitatis myſterium habuit. Damianus enim, quum doctrinam Joannis Philoponi Tritheitarum parentis impugnaret, in hunc errorem præter alios incidit, ut perſonas & proprietates in Divinis unum idemque eſſe affirmaret. Adverſus hanc Damiani Sententiam ſcripſit Petrus librum in quatuor Partes diviſum, quarum unaquæque Pars viginti quinque capita complectitur. Gregorius Bathebræus auctor eſt, Petrum generalem ea de re conventum indicere cogitaſſe, ſed Damianum obſtitiſſe: tum vero arrepto calamo Petrum tres adverſus Damianum tractatus conſcripſiſſe, quibus oſtendebat, Proprietates quidem aliquando pro Perſonis uſurpari, non tamen cum iis unum idemque eſſe: alioquin quum plures Proprietates unaquæque perſona habeat ( v. g. Pater innaſcibilitatem, generationem activam qua Filium producit, & ſpirationem activam qua Spiritum Sanctum ſpirat, ) in plures etiam perſonas eam dividi oporteret; & Chriſtus, qui ut Filius a Patre, ut homo a matre Deipara genitus eſt, non una, ſed duplex perſona eſſet. Hinc ſciſſi in factiones Monophyſitæ, Petrum alii ſequebantur, alii Damianum: & a Petro quidem dicti ſunt *Petritæ* ſeu *Petriani*, de quibus hæc Timotheus in libro de receptione hæreticorum apud Cotelerium Tom. 3. pag. 440. *Petriani affirmant hypoſtaſim eſſe ſolas proprietates abſque ſubſtantia: eamque ob quæſtionem adeo cum ſecta Damianiſtarum contenderunt, ut ſcripta multa utrinque prodierint. quæ certamen eorum teſtantur.* Addit idem Timotheus, *Petritas confiteri Deum ex veritate, ſubſtantia & natura quemque per ſe, Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum Sanctum: item profiteri tres hypoſtaſes, ac tres perſonas, & unamquamque hypoſtaſim Deum eſſe vere, ſubſtantialiter; & naturaliter. Unum Deum, unamque ſubſtantiam ac naturam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eos dicere, non numero, ſed perfecta æqualitate. Demum illos recipere Theodoſium, Severum, Petrum Mongum, & Dioſ-*

*corum ; nequaquam Damianum , nec Paulum Nigrum , quorum doctrinæ repugnant*. A Damiano autem appellati ſunt Damianitæ, qui non modo Petritas reiiciunt, ſed etiam Cajanitas: & Paulum quidem Nigrum antea pro Epiſcopo Antiocheno habuere; ſed illum poſtea repudiatunt, quod communicaſſet Eccleſiæ Catholicæ Synodumque Chalcedonenſem approbaſſet, tametſi quammaxime poſtea a Catholica Eccleſia receſſerit, & Concilium Chalcedonenſe abnegaverit. Recipiunt autem Damianum, Theodoſium, Petrum, Dioſcorum & Severum. De eorum doctrina tam quoad Incarnationis myſterium, quam quoad Trinitatem fuſe diſſerui in Diſſertatione de Monophyſitis. Obiit Petrus Callinicenſis anno Græcorum 902. Chriſti 591. quum tredecim annis ſediſſet. Cadaver in Cœnobio Gubenſi ſepultum. Petri temporibus Kamjeſus claruit, qui Achudemæ poſt tres annos ſucceſſit, vixitque ab anno 578. ad annum 609. quo obiit: hic autem plures diverſis in locis Epiſcopos ordinavit, qui Jacobiticam ſectam adverſus Neſtorianos in Oriente ſuſtinerent. Per eadem tempora vixere Epiſcopi Ninivitæ, qui in Cœnobio S. Matthæi degebant, Garmæus ſcilicet, Tobias, Jeſuzacha, Sahada, Simeon, & Chriſtophorus, quorum alter alterum excepit. Petro autem defuncto, ut inquit Dionyſius in hiſtoria Eccleſiaſtica, reſumptis Joannes Archimandrita & Probus viribus, rogant Anaſtaſium Antiochiæ Patriarcham, ut ex cunctis Cœnobiis monachos Antiochiam convocari jubeat, quibuscum ipſi diſceptarent, oſtenderentque novam a Petro ejuſque aſſeclis, excogitatam fuiſſe fidem, quum differentiam quidem phyſicæ ſignificationis naturarum, ex quibus eſt Chriſtus, confiterentur; numerum vero earumdem naturarum negarent. Collecti igitur ex eorum conſilio monachi, & in urbem Antiochenorum per vim adducti, ſex integros menſes ibidem detenti fuere, tomis octo utrinque editis, nullo tamen fructu. Similem diſputationem, Cononem & Eugenium inter & Paulum ac Stephanum, initam coram Joanne Regiæ urbis Epiſcopo, Juſtino juniore imperante, refert Photius in Bibliotheca Cod. 24. Verum quod de Anaſtaſio Antiochiæ Patriarcha a Gregorio Barhebræo affirmatur, Joannem ſcilicet ac Probum a Petro Callinicenſi damnatos ad Anaſtaſium confugiſſe ejuſque doctrinam ſuſcepiſſe; Petro autem defuncto auctores eidem Anaſtaſio fuiſſe, ut Monachos Antiochiam convocaret; id, inquam, cum recta Chronologia conciliari non poteſt, niſi Gregorii nomen pro Anaſtaſio ſubſtituatur: Petrus enim, qui ab anno 578. ad annum 591. Monophyſitis præfuit, non Anaſtaſio Antiocheno Patriarchæ æqualis fuit, ſed Gregorio, ut ex ſequenti Antiochenorum Præſulum Serie palam fit.

Paulus in locum Severi anno 518. ſubſtitutus, quum tres annos ſediſſet, abdicatur anno Chriſti 521

Euphraſius anno 521. Paulo ſubrogatus, Chalcedonenſis Synodi Patrum, & ipſius Papæ Romani nomina diptychis expunxit: poſtmodum vero metu pœnitens redditus, quatuor Synodos publice promulgavit, ut inquit Theophanes in Chronographia ad annum Incarnationis ſecundum Alexandrinos 513. obiit anno 526. die 19. Maii, Antiocheni terræmotus agitatione obrutus, quum annos 5. ſediſſet.

Ephræmius ( nonnullis perperam *Euphræmius* dictus ) patria Amidenus, ex Comite Orientis, in Euphraſii locum Patriarcha ordinatus anno 526. divinum prorſus fervorem adverſus hæreticos exercuit. Quumque annis 18. ſediſſet, deceſſit anno 545. ut Pagius oſtendit in Critica Baronii.

Domnus Ephræmio ſucceſſit anno 545. Quumque annos 14. ſediſſet, obiit anno 559.

Anaſtaſius ( male *Sinaita* dictus , ) Domno ſucceſſit anno 559. Quumque undecimo Epiſcopatus ſui anno , hoc eſt , Chriſti 570. in Synodales Epiſtolas Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui Joannem Alexandrinum conſecraverat, atque etiam in ipſum Joannem Alexandrinum, qui ordinatus fuerat, reſcriptis ſuis invectus fuiſſet, Juſtini junioris man dato Sede depulſus eſt , & in ejus locum Gregorius Monachus & Byzantiorum Monaſterii Apocriſiarius promotus.

Gregorius in Anaſtaſii locum anno 570. ſubſtiturus, de multis criminibus accuſatus , abſolvitur in Synodo Conſtantinopolitana anno 588. Moritur anno 593.

Anaſtaſius in Sedem ſuam anno 593. poſt Gregorii mortem reſtitutus , ſedit uſque ad annum 598. quo obiit . Univerſim , ex quo primum Patriarcha inauguratus eſt, vixit annos fere 40. nimirum ab anno Chriſti 559. ad annum 598. Sed eo ejecto Gregorius Sedem tenuit per annos 24. nimirum ab anno 570. ad annum 593.

Anaſtaſius alter , martyr nuncupatus , poſt Anaſtaſii ſenioris obitum Patriarcha ordinatus anno 598. ut ex Epiſtola S. Gregorii Magni ad eum ſcripta colligitur. Seditione mota anno 609. ab Hebræis Antiochenſibus occiditur. Nunc ad Patriarchas Monophyſitarum redeundum eſt.

Julianus I. V. Julianus, Petri Callinicenſis Syncellus, Monachus Cœnobii Kenneſrinenſis , in locum Petri anno 591. ſuffectus , quum annos 3. & quinque menſes ſediſſet , obiit anno 595. Hic Sergium Edeſſæ Epiſcopum , cognomento Armenum, qui una cum Joanne fratre in Scripta Petri Callinicenſis inſurrexerat , acriter reprehendit : quumque ſententias , quibus ii offenſi fuerant, expoſuiſſet, effecit, ut ab illis impugnandis abſtinerent. Dionyſius in Chronico ſcribit Athanaſium ordinatum anno Græcorum 915. hoc eſt , Chriſti 604. Julianus itaque ex ejus mente . Vixit uſque ad annum Chriſti 604. niſi dicatur Sedes vacaſſe poſt Juliani obitum annis 10.

Athanaſius I. VI. Athanaſius I. cognomento Camelarius, patria Samoſatenus, Monachus Cœnobii Kenneſrinecenſis, tertio poſt Juliani mortem die ab Epiſcopis ordinatus eſt Patriarcha anno Græcorum 906. Chriſti 595. vel, ut alii ſcribunt , anno Græcorum 908. Chriſti 597. conſectatus fuit a Severo Sectæ Monophyſiticæ Hieroſolymorum Epiſcopo in Cœnobio Ken neſrinenſi . Hæc Gregorius Bathebræus in Chronico Syriaco . Verum Dionyſius , ut ſupra dixi , teſtatur illum Patriarcham ordinatum anno Græcorum 915. Chriſti 604. Utrumque auctorem ſic conciliabis , ut dicatur Athanaſius quidem deſignatus Patriarcha anno Chriſti 595. vel 597. Ordinatus autem anno 604. etſi enim Barbebræus ſcribit , illum , poſtquam electus fuit , ab Epiſcopis impetraſſe , ut non ante ordinaretur , quam commiſſi ſibi a Monachis Camelarii munus per annum impleret ; probabile tamen eſt , ordinationem ejus uſque ad annum 604. dilatam fuiſſe. Porro Athanaſius Severum fratrem ordinavit Samoſatæ Epiſcopum . Idem Alexandriam anno Græcorum 927. Chriſti 616. profectus , concordiam cum Anaſtaſio Alexandrino inter Syros & Ægyptios Jacobitas inſtauravit , quæ ſub Petro & Damiano rupta fuerat . Obiit eodem Gregorio teſte anno Græcorum 942. Chriſti 631. in Cœnobio Gatumitarum ſepultus, poſtquam annos 36. ſediſſet. Dionyſius in Chronico obitum Athanaſii ad annum Græcorum 955. Chriſti 644. conſignat. Gregorius opinionem quorumdam refert ajentium, Athanaſium ſediſſe annos 44. Ita Athanaſii inauguratio & mors incertæ ſunt. Illud tamen conſtat , cum exeunte anno Chriſti 628. in vivis fuiſſe : eo enim anno Athanaſius Hierapoli in Syria cum Heraclio Imp. congreſſus eſt ;

quumque duas in Chriſto naturas unamque Dei virilem operationem con-
feſſus fuiſſet , incaurum Principem in errorem Monothelitarum vel pri-
mus induxit , vel ſaltem a Cyro & Sergio tribus ante annis inductum ,
in eodem perverſo Dogmare confirmavit. Scio hanc Athanaſii cum He-
raclio congreſſionem ramquam fabuloſam rejici a Combefiſio in hiſtoria
hæreſis Monothelitarum Diſp. 1. §. 6. & a Pagio in criticа Baronii ad
annum 629. & potiſſimum eorum argumentum eſſe , quod nulla ejus
mentio fiat in Actis ſextæ Synodi , aur apud eos Scriptores , qui tunc
vixere : Solum Theophanem in Chtonographia ad annum Incatnationis
ſecundum Alexandrinos 621. illius colloquii meminiſſe, quod ſcilicet Pau-
lum Severianum , cum Athanaſio confunderet . Verum tam certos illius
hiſtoriæ characteres habemus , ut de ejus veritate dubium movere non
liceat. Nam primum diſerta ſunt Theophanis verba , nec eſt , cur eum
arbitremur Athanaſium cum Paulo Severiano confudiſſe : ait autem ſic :
*Hoc anno, Heraclii ſcilicet vigeſimo , quum Imperator adhuc Hierapoli morare-
tur, Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, vir vafer & pernicioſus, ut ex in-
nata ſibi vafritie ſunt Syri omnes , ad eum acceſſit : motiſque cum Imperatore
de fide ſermonibus, ſi modo Synodum Chalcedonenſem vellet admittere, Patriar-
cham Antiochiæ ſe eum conſtituturum Heraclius promiſit. Is enunciatis in Chri-
ſto Naturis duabus , hæreſim ad tempus ſimulans , propoſitam Synodum proba-
vit, & recepit. Tum vero de operatione & voluntatibus Imperatorem interro-
gavit : Quales aſſerere deceat , geminas , an unicam ? Imperator inuſitata ſibi
vocum novitate implicatus, Sergio CP. Epiſcopo ſcribit. Is Cyrum Phaſidos Epi-
ſcopum ad ſe accerſitum interrogat, & in unicam voluntatem & actionem pa-
riter unicam conſentire reperit . Sergius etenim , ceu patria Syrus , & Jacobitis
parentibus ortus, unam phyſicam volendi actionem, unamque operationem in Chri-
ſto confeſſus , & ſcripto teſtatus eſt . Imperator utriuſque ad invicem comparata
ſententia, concordem eis poſtmodum invenit Athanaſium*. Deinde præter Theo-
phanem Antiochus Monachus homil. 130. & Zonaras tradunt Athana-
ſium natione Syrum a ſuis Patriarcham appellatum , Epiſcopatum
Antiochenum ambiiſſe e id quod narrationem Theophanis confir-
mat , Tertio , colloquium Athanaſii cum Heraclio diſerte memo-
rat Gregorius Abulpharagius ſeu Barhebræus in Chronico Syriaco,
etſi ea reticet quæ ad hæreſim Monotheliticam, admiſſumque Chalcedo-
nenſe Concilium ſpectant : Sic autem ſcribit : *Quum Imperator Mabugum*
( hoc eſt Hierapolim) *abiiſſet, acceſſit ad eum Mar Athanaſius cum duode-
cim Epiſcopis ſuis, a quibus ille libellum Fidei exegit: quumque ii obtuliſſent ,
legit eum laudavitque: non tamen eos vexare deſtitit , ut Synodum Chalcedo-
nenſem ſuſciperent : idque quum minime obtinuiſſet , iratus Heraclius litteras ad
omnes ditionis ſuæ partes miſit, quibus edicebat, ut quicumque ſibi non adhære-
ret, naribus auribuſque mutilaretur, boniſque omnibus ſpoliaretur . Tum vero
plurimi ad eum defecerunt*. Demum Sophronius Epiſcopus Hieroſolymita-
nus in ſua Synodica, diſerte anathema in Monothelitas pronunciat , in-
que ipſum Athanaſium: *cum quibus & eorum impietatis ſucceſſores anathe-
ma ſint & catathema : Athanaſius pariter Syrus , Apozygariuſque ille Athana-
ſius( Alexandrinus fortaſſe Jacobitarum Patriarcha ejuſdem Athanaſii Syri æqua-
lis ) , & qui eorum inconvenientem convenientiam inconvenienter & indocte
ſuſcipiunt*. Quum igitur Athanaſium Monothelitam fuiſſe teneamus , &
Epiſcopatum Antiochenum ambiiſſe, & cum Heraclio Imperatore Hiera-
poli colloquium habuiſſe, non eſt cur Theophanis narratio velut fabu-
loſa rejiciatur. Combefiſii argumenta ſolvit Goarus notis in Theopha-
nem editionis Pariſienſis pag. 609. Venetæ pag. 218. *Quod vero* , ait Pa-
gius, *plane autem falſum , Athanaſium Jacobitarum fuiſſe Patriarcham , quum*

*auctor Chronici Orientalis Patriarcharum Jacobitarum accuratum Catalogum ſcripſerit, ejuſque non meminerit;* Non advertit vir doctus, binas fuiſſe ab initio exortæ hæreſos Jacobiticæ ſeu Monophyſiticæ, & eſſe etiamnum Ecclesias Patriarchales, Alexandrinam ſcilicet Ægyptiorum, & Antiochenam Syrorum: Auctorem vero Chronici Orientalis non Antiochenorum Jacobitarum, ſed Alexandrinorum Patriarcharum Catalogum texere: Athanaſium autem Syris Jacobitis, non Ægyptiis Patriarcham præfuiſſe. Qui Antiochenos Patriarchas recenſent, poſt Athanaſium Martyrem, qui ut ſupra dixi, anno Chriſti 609. a Judæis occiſus fuit, hunc Athanaſium hæreticum collocant, quem & Anaſtaſium nonnulli appellant. Sed quum hic anno 628. ut modo dicebam, ab Heraclio Patriarchatum Antiochenum obtinuerit, & anno 631. deceſſerit, ſequitur ſedem illam per annos viginti, hoc eſt, ab anno 609. ad annum 628. antea vacaſſe; ab Athanaſio autem per quatuor incompletos annos occupatam fuiſſe. Nec mirum, quod Sedes Antiochena tamdiu vacaverit: Nam Choſroes Perſarum Rex Antiochiam duobus poſt Anaſtaſii Martyris cædem annis, hoc eſt, anno Chriſti 611. expugnavit: Syriamque univerſam atque Palæſtinam tenuit uſque ad annum 628. quo illo perempto Siroes filius regnum iniit, & quidquid pater Romanæ Ditionis eripuerat, Heraclio reſtituit. Id factum die 3. Aprilis anno Chriſti 628. quum Heraclius in Caſtris ad Canzacum poſitis commoraretur: ibi enim quum Legatus Siroæ pro pace inter utrumque regnum ſtabilienda adfuiſſet, Heraclius Theodorum fratrem cum literis & a Rege Perſarum Siroe viris delegatis miſit, qui Perſas Edeſſæ, in Palæſtina, Hieroſolymis, & in cæteris Romanorum Civitatibus repertos, cum pace in Perſiam reducerent. Quum vero paucis poſt menſibus ex urbe Edeſſa, ubi Eccleſiam ſub Choſroæ temporibus a Neſtorianis occupatam Orthodoxis reſtituerat, Hierapolim veniſſet, ibi cum Athanaſio, ut ſupra dictum eſt, colloquium habuit: idque circa menſem Octobrem anni 628. ut oſtenſum eſt Tom. 3. Biblioth. Orient. pagina 415. & ſeq. Choſroes anno 624. ut Heraclio Imperatori ægre faceret, Orthodoxos in ditione ſua poſitos vexavit, eoſque ad amplexandam Neſtorianam hæreſim adegit, Edeſſenamque Eccleſiam Catholicis ereptam, tradidit Neſtorianis. Hæc Græci Scriptores tradunt; quibus addit Gregorius Barhebræus Scriptor Syrus Jacobita, ab eodem Choſroe immiſſos fuiſſe in Meſopotamiam Jacobitas Epiſcopos Samuelem, Jonam, & Eſaiam, eoſque Eccleſiis Amidæ, Edeſſæ, ac Telæ ſeu Conſtantinæ præfectos: & Samuelem quidem atque Jonam in Aſſyriam, unde venerant, redire compulſos, propterea quod in Diæceſes Patriarchæ Athanaſio ſubditas, ipſi non a Patriarcha, ſed a Primate Orientis, quem Maphrianum vocant, electi, intruſi fuiſſent: Eſaiam vero Edeſſenam Eccleſiam tamdiu tenuiſſe, donec ab Heraclio Imp. anno 628. paucis poſt Paſchalem Solemnitatem diebus relegatus fuit. Sub eodem Athanaſio Jacobitæ Orientales cum Occidentalibus coaluere, hoc eſt, Aſſyrii cum Syris, ſic tamen, ut Orientales Primatem ſeu Maphrianum ſibi præficerent, qui Antiocheno Occidentalium Patriarchæ ſubeſſet. Id factum a Gregorio Barhebræo narratur in Chronico ad annum Græcorum 940. Chriſti 629. quo Maruthas quinto poſt Samuelis obitum anno Magnus Orientis Metropolitanus ſeu Catholicus, ordinatus eſt ab Epiſcopis Chriſtophoro Ninives, Georgio Sigaræ, Daniele Nuhadræ, Gregorio Beth-Raman, & Jazdephane Sciaharzul, a quibus ordinati etiam fuere Aitallaha Gumalæ in Ditione Margenſi, & A-

cha

cha Epiſcopus Anbaræ ſeu Pheroz-Saporis. Quæ ſit ea magni Orientis Metropolitani, ſeu Maphriani, hoc eſt, Catholici ſive Primatis, dignitas, quibuſque prærogativis ornata, expoſui in Diſſertatione de Syris Monophyſitis §. VIII. Obiit autem Maruthas anno Chriſti 649. quum viginti annis Catholicus ſeu Maphrianus Orientis fuiſſet. Ex quo Pagii conjectura de Athanaſio Patriarcha refellitur ajentis; *Athanaſius Syrus videtur unus fuiſſe ex illis Catholicis, qui Patriarchæ Antiocheno ſubdebantur, qui ideo Patriarchatum illum ambiebat*. Athanaſius ambivit Antiochenum Orthodoxorum, non Jacobitarum Patriarchatum: hoc enim jam potiebatur, ut ſupra dictum eſt; illum vero obtinuit, quum duas Chriſti naturas Synodumque Chalcedonenſem coram Heraclio admiſiſſet. Ipſe autem adeo non fuit unus ex illis Catholicis, qui Patriarchæ Antiocheno ſubdebantur, ut potius ſectæ ſuæ Catholicum hujuſmodi primus inſtituerit.

VII. Joannes I. a Sedris cognomentum adeptus, Athanaſii diſcipulus, Joannes I. ex monacho Cœnobii Euſebonæ, ad Patriarchalem Dignitatem evectus, ab Abrahamo Niſibis Epiſcopo anno Græcorum 942. Chriſti 631. ordinatus eſt. Evangelia e Syriaco in Arabicum juſſu Amri Saadi filii Arabum Dynaſtæ interpretatus fuit. Quumque annos 18. ſediſſet, obiit anno Græcorum 960. menſe Decembri, hoc eſt, exeunte anno Chriſti 648. Amidæ in templo Zoaræ ſepultus. Dionyſius in Chronico Joannem ab anno Græcorum 955. ad annum 961. ſediſſe refert, hoc eſt, ab anno Chriſti 644. ad annum 650. Ejuſque temporibus claruiſſe Epiſcopos Jacobitas, Joannem Arabum, Simeonem Edeſſæ, Matthæum Alepi, Thomam Amidæ: quibus Gregorius addit Severum Sabochtem Epiſcopum Kenneſtinenſem, & Thomam Heracleenſem Mabugi & Germaniciæ, qui Sacrum Evangeliorum Codicem & reliquos novi Teſtamenti libros ad Græcorum exemplarium fidem reſtituit poſt primam verſionem Philoxeni Mabugenſis ſtudio elaboratam. Diximus ſupra, Athanaſium non Jacobitis tantum præfuiſſe, ſed Catholicis etiam ab Heraclio Patriarcham Antiochenum conſtitutum. Quis vero in hoc munere ei ſucceſſerit, colligitur ex Epiſtolis S. Martini I. Papæ. Quum enim ſciret Pontifex per relationem a Stephano Dorenſi Epiſcopo in Synodo anno 649. lectam, laborare vehementer Eccleſiam Antiochenam ob *Macedonium* poſt Athanaſium in ea ſedentem; ad hoc corrigendum delegat vicem ſuam Joanni Epiſcopo Philadelphiæ creatum in Oriente Vicarium Apoſtolicæ Sedis, ad quem ſcribit hæc Epiſtola V. Idem Sanctus Pontifex Epiſtola XI. ad Eccleſiam Hieroſolymitanam & Antiochenam ſcripta nunciat, Monothelitarum hæreſim in Concilio fuiſſe damnatam, ordinationemque *Macedonii* Antiochiæ, & *Petri* Alexandriæ perperam eſſe factam. Itaque ex his planum fit, binos Patriarchas, eoſdemque hæreticos, in Eccleſias Antiochenam & Alexandrinam intruſos fuiſſe, quorum alter Monophyſita eſſet, alter Monothelita. De Petro jam dictum eſt in Serie Patriarcharum Alexandriæ, eum ſcilicet Cyro defuncto tunc ſucceſſiſſe, quum Benjaminus Patriarcha XXXVIII. Ægyptiis Monophyſitis præeſſet. Quum vero Syri Jacobitæ in locum Athanaſii Joannem ſubrogaſſent, Macedonius a factione Monothelitarum intruſus eſt, idemque ſucceſſorem habuiſſe videtur *Macarium*, qui anno 681. in ſexta Synodo Oecumenica depoſitus fuit, miſſuſque Romam, ut in monaſterium detruderetur.

VIII. Theodorus, in Scetenſi eremo primum, deinde in Kenneſrinenſi Cœnobio Monachus, ab Abrahamo Emeſæ Epiſcopo eodem quo Joannes obiit anno ordinatus, quum annos 18. ſediſſet, deceſſit anno Græcorum 978. Chriſti 667. Dionyſius in Chronico reſtatur eum anno Græcorum 962. Chriſti 651. electum, obiiſſe anno Græcorum 976. Chriſti 665. Hic Denham in locum Maruthæ Catholicum Orientis ordinavit, te- Theodorus.

ſte Gregorio Barhebræo in hæc verba : *Eodem anno , quo Maruthas Maphrianus , deceſſit & Joannes Patriarcha Athanaſii præceptoris ſui ſucceſſor : eumque Theodorus Patriarcha excepit , qui Maphrianum Orienti ordinare deſiderans , quomodo Patriarcha Alexandriæ Abiſſinis Metropolitam inſtituit , litteras hac de re ad Epiſcopos & Primates Orientis dedit , poſtquam eos ſibi conciliaſſet eorumque conſenſum habuiſſet . Namque fœdus cum ipſis ſanxerat litteris Syſtaticis & Epiſcoporum Occidentalium teſtimoniis firmatum , quod quum Patriarcha deceſſiſſet , Maphrianus electo manum imponeret : & ſicuti abſque Patriarcha Maphrianus , ſic abſque Maphriano Patriarcha haudquaquam eligeretur . Tum vero Tagritenſes Denham diſcipulum Maruthæ elegerunt , & ad Patriarcham Theodorum adduxere qui eum Tagrito univerſoque Orienti Maphrianum ordinavit .* Sedit Denha annos 10. Obiitque die 3. Novembris anno Chriſti 659. Vacavit poſt ejus obitum Maphriani Dignitas per decennium.

Severus. IX. Severus , cognomento Bat-Maske , ideſt , filius Pincernæ , ex Cœnobio Phaghimtæ ſeu Saphyli , quod apud Rheſinam Meſopotamiæ urbem ſitum eſt , Amidenſis olim Epiſcopus , a Joanne Tarſenſi ordinatus eſt Patriarcha anno Græcorum 979. Chriſti 668. Obiit anno Græcorum 991. Chriſti 680. quum annos 12. ſediſſet . Dionyſius in Chronico , Severi inaugurationem ad annum Chriſti 665. conſignat . Severum inter , & Epiſcopos Sergium Zachonium atque Ananiam Cattaminenſem alioſque Meſopotamiæ Præſules orta eſt contentio , ad quemnam Ordinatio Epiſcoporum ejus regionis pertineret , ad Patriarcham ne , an ad Metropolitas . Severus exemplo Alexandrini Patriarchæ cunctorum ſibi ordinationem Epiſcoporum vendicabat . Illi contra , Nicænos Canones allegabant , quibus definitur , ut Epiſcopi a proprio Metropolitano ordinentur . Synodus hac de re anno 676. in Tellata celebrata fuit , in qua tamen quum nemo a propria ſententia dimoveri voluiſſet , Severus Epiſcopos , Epiſcopi Severum anathemate perculerunt : duravitque hujuſmodi diſſidium per annos 4. donec Severus obiit . Epiſcopi a Joanne Ninives Metropolita , qui poſtmodum Maphrianus fuit , reconciliati ſunt . Severus anno Græcorum 980. Chriſti 669. Barjeſum Maphrianum Orientis ordinavit , qui obiit die 17. Decembris anno Græcorum 995. Chriſti 683.

Athanaſius II. X. Athanaſius II. cognomento Baladenſis , in Synodo Rheſinæ poſt Severi obitum ab Anania Mardæ & Capharturæ Epiſcopo anno Græcorum 995. Chriſti 684. Patriarcha ordinatus eſt , quum Sedes per annos 4. vacua fuiſſet. Obiit anno Græcorum 997. Chriſti 686. Dionyſius obitum Athanaſii ad annum Chriſti 704 differt . Fuit autem Athanaſius Severi Sabochræ Kenneſrinenſis Epiſcopi diſcipulus , & in Cœnobio Kenneſrinenſi Græcam linguam edoctus , in Monaſterio Malchi interpretandis in Syriacum ſermonem libris incubuerat , Quumque morti proximus eſſet , Sergio Zachonio Metropolitæ præcepit , ut Georgium Arabum Epiſcopum crearet : quem is ordinavit menſe Novembri , duobus poſt Athanaſii obitum menſibus , anno Græcorum 998. Chriſti 686. Porro Athanaſius ordinavit Abrahamum Maphrianum anno Græcorum 995. Chriſti 684. qui eodem anno deceſſit , Succeſſoremque habuit Davidem ab Orientalibus Epiſcopis Maphrianum ordinatum anno Chriſti 685. Davide autem poſt ſex menſes defuncto , quum Sedes Maphriani ſeu Catholici per annum cum dimidio vacaſſet , Joannes cognomento Saba , hoc eſt , Senex , qui Ninives & Monaſterii S. Matthæi Metropolita fuerat , ab Orientalibus ſubrogatus , ſedit annum cum dimidio , obiitque anno Chriſti 688. quo Denha hujus nominis ſecundus die 13. Martii ad Catholici Dignitatem erectus fuit . Sub eodem Athanaſio Patriarcha contigit unio Armenorum cum Jacobitis , de qua infra ſermo erit . Item ſub eodem claruit Jacobus Edeſſenus , qui in Cœnobio Aph-

Digitized by Google

thonii, quod Kenneſrinenſe dicitur, Græcam linguam & Sacras litteras edoctus, Alexandriam quoque ſtudiorum cauſa profectus, tandem Edeſſam delatus, illius Eccleſiæ Epiſcopus creatus eſt. Eam tamen Sedem, improborum quorumdam Clericorum factione exagitatus, ſponte reliquit. Sed & cum Patriarcha Juliano, qui Athanaſium excepit, cæteriſque Epiſcopis pro Eccleſiaſticorum Canonum obſervantia acriter pugnavit: quumque nihil profeciſſet, ad Monaſterium Jacobi de Chiſuma ſe recepit. Ejus in locum Edeſſæ Epiſcopus conſecratus eſt Abibus. Jacobum vero Monachi Euſebonæ ad ſe acceſſivere, apud quos per annos undecim Græcam Scripturarum lectionem docuit. Quam ob rem a Monachis in Græcos male animatis vexatus, ad Cœnobium Teledæ migravit, ibique novennio commoratus, veteris Teſtamenti libros emendavit. Interea Abibo mortuo, Edeſſeni Patriarcham adiere, ut Jacobum ad ſuam Eccleſiam redire juberet. Paruit Jacobus. Sed poſt quatuor a recepta Sede menſes in Occidentem profectus, ut libros & diſcipulos ſuos ad ſuam Eccleſiam aſportaret, quum ad Monaſterium Teledenſe perveniſſet, libroſque ſuos præmiſiſſet, vita functus eſt die 5. Junii anno Græcorum 1019. Chriſti 708. Dionyſius in Chronico mortem Jacobi conſignat ad annum Græcorum 1021. Chriſti 710. eoque anno ſuffectum in ejus locum Abibum teſtatur: anno vero Græcorum 1017. Chriſti 706. habitam a Juliano Patriarcha Synodum, eique inter cæteros Epiſcopos Jacobum adfuiſſe. Quo tempore poſt Severi obitum Sedes Patriarchalis Jacobitarum vacabat, antequam Athanaſius in ejus locum ſubſtitueretur, habita eſt Conſtantinopoli ſexta Synodus anno Chriſti 681. adverſus Monothelitas, in qua depoſito Macario, Theophanes ad eam Cathedram promotus fuit. Vixit autem Theophanes ad annum Chriſti 685. eoque mortuo Antiochena Diœceſis in duas factiones ſciſſa eſt, in Melchitas ſcilicet, & Maronitas: quarum unaquæque ſuos habere cœpit Patriarchas: & Maronitis quidem primus Patriarcha præfuit Joannes, qui olim Monachus fuerat in Cœnobio S. Maronis ad Orontem in ſecunda Syria ſito, ſeditque ab anno Chriſti 685. ad annum 707. quo obiit. Succeſſorum ejus Seriem uſque ad præſentem diem alibi dabimus. Melchitis vero poſt Theophanem in Antiochena Sede inconſulto Clero a Conone Papa præfectum fuiſſe Conſtantinum Eccleſiæ Syracuſanæ Diaconum, refert Anaſtaſius. Sed comperto, ut ſubdit, hominis ingenio malo pravoque, & novitatis diſcordiæque cupido, eodem Pontifice jubente a Præfectis Imperatoris comprehenſus & in carcerem detruſus eſt. Quam ob rem nullus apud Orientales Scriptores in Serie Patriarcharum Antiochenorum Conſtantino locus: ſed poſt diuturnam annorum quadraginta Sedis vacationem Stephanum quemdam monaſtici inſtituti Syrum, Hiſamo Arabum Duce permittente, in Antiochenſium Sede Epiſcopum collocatum ferunt. Id anno 2. Conſtantini Copronymi, Chriſti 742. contigiſſe, teſtatur Theophanes. Atque ita ad hodiernum uſque diem Melchitis, Maronitis, & Jacobitis Patriarcha præfici conſuevit.

II. Julianus II. cognomento Romanus, hoc eſt, miles, quod patre milite natus eſſet, qui ſub Davide Armenio temporibus Heraclii Imperatoris ſtipendia fecerat, in Cœnobio Kenneſrinenſi monaſticam vitam profeſſus, Græcamque linguam edoctus, Amidæ ab Athanaſio Sarugenſi Epiſcopo ordinatus eſt Patriarcha anno Græcorum 999. Chriſti 688. Sedit annos 21. obiitque anno Græcorum 1019. Chriſti 708. Scripſit binas Synodicas ad Simeonem & Alexandrum Alexandrinos Ægyptiorum Patriarchas XLII. & XLIII. Quum autem Cœnobitæ S. Matthæi ſcriptis ad Julianum litteris novum ab eo Metropolitanum in locum Joannis Julianus II.

Sabæ poſtulaſſent, quem ajebant, utpote ſenio confectum, a regimine Cœnobii & ab Epiſcopali onere ſe ſubduxiſſe, eorumque precibus Julianus ſatisfeciſſet, orta eſt ipſum inter & Orientales diſcordia, Maphriano Denha potiſſimum incentore, ægre ferentibus ſcilicet Orientalibus, quod Patriarcha in Diœceſim Maphriano ſubjectam manus miſiſſet, ordinationeſque eorum Epiſcoporum ſibi vendicaſſet. Sed Julianus rejecta in Cœnobitas Matthæanos culpa, Epiſcopos Optimateſque Orientis, nequidquam reclamante Denha Maphriano, induxit, ut ſublato ſchiſmate ad unitatem redirent. Tum vero in Denham quæſitum fuit, qui Patriarchæ ſubmittere ſe detrectabat: & coacta Synodo decretum, eo amoto Bacchum Akulæ, ideſt, Cuphæ, Epiſcopum, Orienti præficiendum eſſe. Denha vero, quum in Cœnobio Kenneſrinenſi biennium manſiſſet, ab Elia Juliani ſucceſſore in Sedem ſuam reſtitutus eſt, obiitque die 19. Octobris anno Græcorum 1039. Chriſti 727.

Elias.

XII. Elias monachus Cœnobii Gubæ, deinde Euphemiæ Epiſcopus, poſtquam eam Eccleſiam annis 18. rexiſſet, in locum Juliani Patriarcha ſuffectus fuit anno Græcorum 1020. Chriſti 709. Duobus poſt annis Antiochiam jubente Valide Arabum Rege cum monachis & Clericis ingreſſus, novam Jacobitis Eccleſiam ibi fundavit. Obiit anno Græcorum 1034. Chriſti 723. quum annos 14. ſediſſet. Dionyſius Eliæ obitum ad annum Græcorum 1040. Chriſti 729. conſignat, ejuſque temporibus floruiſſe refert Epiſcopos Jacobitas Abibum ejuſque ſucceſſorem Conſtantinum Edeſſæ, Simeonem Haran, Theodorum, ac Thomam, cognomento Stylitam, Amidæ.

Athanaſius III.

XIII. Athanaſius III. Archimandrita Cœnobii Gubæ, menſe Aprili anno Græcorum 1035. Chriſti 724. ordinatus Patriarcha in monaſterio Cattaminenſi per Theodoſium Rheſinæ Epiſcopum, vel, ut apud alios auctores legitur, ordinatus Edeſſæ a Georgio Arabum Epiſcopo. Obiit anno Græcorum 1051. Chriſti 740. quum annos 15. ſediſſet. Dionyſius ejus mortem ad annum Chriſti 746. protrahit. Hic Synodicam ſcripſit ad Alexandrum Patriarcham Alexandrinum XLIII. Denhæ autem Maphriano Paulum ſubrogavit, qui quum Tagritenſes cæteroſque Orientales inter ſe & cum Occidentalibus conciliaſſet, obiit die 5. Martii anno Græcorum 1068. Chriſti 757. Athanaſius vero Patriarcha congregata, ut inquit Gregorius Barhebræus, Synodo anno Græcorum 1037. Chriſti 726. Armenos cum Jacobitis Syris conjunxit. Audiatur Barhebræus. *Hic unionem cum Armenius fecit, quum Joannes quidam eſſet illorum Catholicus. Julianiſtæ enim, qui Gregoriani appellabantur, inque regione Maipheractæ habitabant, Armenos concitabant, dicentes: Corpus Chriſti a Jacobitis corruptibile aſſeri. Quoniam vero Armeni non aliam corruptionis ſpeciem noverant, præter illam, quæ Corpori poſt animæ ſeparationem contingit, ea Jacobitarum propoſitione offendebantur. Quamobrem Patriarcha Athanaſius ſex doctos Epiſcopos elegit, & ad Joannem Catholicum miſit. Et multi quidem Armeni Epiſcopi convenerunt. Sed quum diu multumque laboraſſent Epiſcopi, ex Doctorum libris demonſtrationes eis proferentes, non tamen eis perſuadere potuerunt; Nam ex libris veteris & novi Inſtrumenti teſtimonia poſcebant, quibus corruptio de Corpore Domini diceretur. Tum vero noſtri Epiſcopi illud teſtimonium produxere, quod Paulus in libro Actuum de Chriſto pronunciavit: ſuſcitavit eum Deus a mortuis, & non amplius videbit corruptionem. Quumque illi verſionem ejus Libri Armenico Sermone conſuluiſſent, eamdem utrobique Sententiam deprehenderunt, cognoveruntque vocem illam, non amplius, planum facere id ſemel antea contigiſſe. Catholicus igitur valde lætatus eſt, ut qui unionem ſummopere deſiderabat. Verum neque ſic in-*

Digitized by Google

*duci potuerunt Armeni, ut dictionem illam uſurparent, ſed pueriles cauſas allegabant, a doctrinæ rationibus quam maxime alienas. Eo itaque in negotio utraque pars œconomia uti debuit, ut concordiam perficeret, quod & contigit: & noſtri quidem Epiſcopi Sacrificium peregerunt, communicantibus Armenis: tum vero Armenis Liturgiam offerentibus, communicarunt Syri: atque ita in unitate fidei conjuncti, Tomum Synodicum confecere: & qui Syriace quidem conſcriptus erat, apud Armenos manſit; qui vero Armenice, apud nos Syros. Hæc contigere anno Græcorum milleſimo trigeſimo ſeptimo, qui erat annus Armenorum centeſimus trigeſimus quintus.* Hæc Gregorius Barhebræus, immani anachroniſmo: nam annus Græcorum milleſimus trigeſimus ſeptimus reſpondet anno Chriſti 726. Annus vero Armenorum centeſimus trigeſimus quintus incidit in annum Chriſti 686. non 726. Epocha enim Armenorum, quæ Turcomanorum dicitur, cœpit tempore Moyſis vigeſimi tertii eorum Catholici ſeu Patriarchæ, anno Chriſti 551. ut conſtat ex Patriarchali ejus gentis hiſtoria apud Clementem Galanum lib. 1. Conciliationis Eccleſiæ Armenæ cum Romana cap. XI. pag. 105. Ut igitur Armenicam Epocham cum Græca conciliemus, pro anno Armenorum 135. quem Barhebræus cum anno Græcorum 1037. conjungit, reponendus eſſet annus 175. qui anno Chriſti 726. Græcorum 1037. reſpondet. Verum obſtat Chronologia Armenica, quo minus hanc unionis Armenorum cum Jacobitis hiſtoriam ad tempora hujus Athanaſii referamus: ex dictis enim patet, hunc Athanaſium ab anno Chriſti 724. ad annum 740. Jacobitis Patriarcham præfuiſſe. At Joannes ille Armenorum Catholicus, ſub quo dicitur Athanaſius unionem Armenorum procuraſſe, non huic Athanaſio, ſed alteri hujus nominis ſecundo, cognomento Baladenſi, æqualis fuit, ſucceſſitque Eliæ Jelivodano Patriarchæ Armenorum XXXIII. qui in Serie eorum Patriarcharum apud Galanum lib. 1. pag. 198. anno Armenorum 112. (Chriſti 663.) Sedem iniiſſe, eamque per annos 24. (nimirum utrinque incompletos) tenuiſſe legitur; adeoque anno circiter Chriſti 686. qui poſtremus Athanaſii Baladenſis erat, obiiſſe. Eo anno Joannes, Oznienſis appellatus, in locum Eliæ ſubrogatus eſt, unionemque cum Jacobitis perfecit, de qua hæc in Patriarchali Armenorum hiſtoria apud Galanum pag. 201. *Domnus Joannes Oznienſis e Provincia Daſcerana, annos 11. Hic juſſu Omaris Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis, Synodum congregavit in urbe Manaſchierti* ( Managerda ) *in confinibus Harcanæ Provinciæ* ( Araki ) *ubi convenientibus cum Armenis ſex Aſſyrus Epiſcopis, definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio. Et poſtquam Armenii Aſſyriorum voluntati obſequuti fuere, in ſuum unius cujuſque locum reverſi ſunt.* Itaque Barhebræus hallucinatus eſt, tum quia ad Athanaſii tertii tempora refert quæ ſub ſecundo contigere; tum quia annum Armenicum 135. cum anno Græcorum 1037. copulat. Meminit Conciliabuli Manaſchiertenſis Iſaacus Armenus Catholicus ſeu Patriarcha in Oratione invectiva adverſus Armenos a Combefiſio relata in hiſtoria hæreſis Monothelitarum pag. 359. ubi ait: *Armenios omnem adverſus Eccleſiam Catholicam defectionem ſtatuiſſe in Synodis habitis in Satanicis ac diabolicis dæmoniacisque eorum locis, cum appellato Tiben, tum Mantzicierti*; nimirum in Conciliabulis Thevinenſi, & Manaſchiertenſi, quorum primum celebratum fuit a Nierſe ſeu Narſete Patriarcha XXI. paulo poſt annum Chriſti 500. alterum a Joanne Oznienſi XXXIV. circa annum 986. de quibus vide Galanum lib. cit. pag. 85. & 201.

Joannes II.

XIV. Joannes II. Monachus Cœnobii Zuchenienſis, deinde Hauræ & Haran Epiſcopus, ab Athanaſio Sandalenſi Maipheractæ Epiſcopo per fraudem in locum Athanaſii anno Græcorum 1051. Chriſti 740. Patriar-

cha ſuffectus, eumdem inaugurationis ſuæ auctorem turbas excitantem, Synodo quæ in Tarmana Cytenſis ditionis pago habita fuit, repreſſit; Epiſcopos vero, qui in Synodo Telæ ipſum Athanaſium ſummum & principem Epiſcoporum ac Metropolitam magnum proclamaverant, excommunicavit. Epiſcopi anathematis ſententia conterriti, Athanaſio relicto, abſolutionem a Patriarcha poſtularunt. Verum Athanaſius nihilo melior effectus, Epiſcopos quoque inſtituere cœpit, in quorum numerum etiam adlegit Iſaacum Haranitarum, & Joſue Bacrum Sigaræ, amoto Elia ejuſdem urbis Epiſcopo, qui primam S. Gregorii Theologi Partem Commentariis illuſtravit. Obiit Joannes menſes Octobri anno Græcorum 1066. Chriſti 754. quum annos fere 15. (non 16. ut ſcribit Barhebræus) ſediſſet. Cadaver in Bedia pago ad Euphratem ſito conditum. Amidenſem Diœceſim in duas dividens, partem Severo ejuſdem urbis Epiſcopo, & partem Eſaiæ Aſpharinenſi regendam dedit. Synodicam ſcripſit ad Michaelem Alexandrinum Patriarcham XLVI. Sub eo floruere Jacobitæ Epiſcopi, Conſtantinus ac Timotheus Edeſſæ; Conſtantinus Samoſatæ; Simeon & Dionyſius Haran; Coſmas, Saba, Severi duo, & Aba Amidæ; Serguna Mardæ; Elias Sigatæ; Athanaſius Sandalenſis Maipheractæ, & David Daræ, qui poſtmodum ad Patriarcharum evecti fuere. Ejuſdem temporibus Conſtantinus Copronymus ex Germanicia, Dulichia, Melitene, Theodoſiopoli Syros & Armenios Monophyſitas eduxit, inque Thraciam tranſtulit, ut narrat Theophanes ad annum Conſtantini 5. & 11. Leo Copronymi filius anno imperii ſui tertio ex Germanicia multitudinem magnam Syrorum Jacobitarum in Thraciam captivos abduxit, Cedreno teſte. Idem Theophanes ad annum Conſtantini 2. (qui erat Chriſti 742.) refert Iſamum, al. Hiſciamum, Arabum Regem permiſiſſe, ut Antiochiæ Græcis Melchitis Patriarcha crearetur Stephanus, poſtquam ea Eccleſia per annos 40. Paſtore orbata fuiſſet. *Hoc anno, inquit, Iſam Arabum dux mortuus eſt. Is Sanctam Antiochiæ Eccleſiam Paſtore jam annos 40. viduatam, Arabibus nimirum Patriarcham eligi prohibentibus, in priorem ſtatum repoſuit. Quempiam enim monaſtici inſtituti Syrum, nomine Stephanum, ruſticum quidem, at pietate clarum, Chriſtianis in Oriente poſitis, ſi modo hunc admitterent, Patriarcham eligendi liberam fecit poteſtatem. Illi divinitus hoc fieri arbitrati, ipſum Stephanum in Theopolcos Sede Epiſcopum collocant: atque ita ad hodiernum uſque diem eligendo Patriarchæ nullum impedimentum a Saracenis affertur.* Quum Theophanes Antiochiæ Patriarcha anno Chriſti 685. deceſſiſſet, ut ſupra dictum eſt, eique a Conone Papa ſuffectus Conſtantinus, paulopost e dignitate excidiſſet; colligitur, illam quadraginta annorum Sedis Antiochenæ vacationem, de qua Theophanes, ab anno circiter Chriſti 686. ad annum 726. numerandam eſſe: adeoque Stephanum juſſu Iſami Patriarcham conſtitutum, ab anno circiter Chriſti 726. ad annum 744. Sedem tenuiſſe: obiit enim anno Conſtantini 4. Chriſti 744. eodem Theophane teſte, eique Theophylactum Presbyterum Edeſſenum Antiochiæ Patriarcham ſubrogari permiſit Maruanus Iſami ſucceſſor. Quumque Theophylactus die 29. Junii anno Conſtantini 10. Chriſti 751. obiiſſet, Theodorus Vicarii filius e minori Armenia oriundus in ejus locum Patriarcha ordinatus eſt, qui vivebat anno Chriſti 763. Conſtantini 23. quo una cum Theodoro altero Hieruſalem, & Coſma Alexandriæ Patriarchis, & Suffraganeis Epiſcopis die Sanctæ Pentecoſtes anathematizavit Epiſcopum Epiphaniæ Iconomachum. Hucuſque Theophanes de Patriarchis Melchitis. Porro ex uno Theophylacto antea Presbytero Edeſſeno deinde Patriarcha Antiocheno, duos fecit Cl. Vir. Fabricius in Biblioth. Græca Tom. 6. pag. 284. quorum unum

ait fuiſſe Theophylactum Antiochiæ Epiſcopum, de quo Theophanes, alterum Theophylactum Edeſſenum Presbyterum, cujus Cedrenus mentionem facit. Tam Cedrenus, quam Theophanes de uno eodemque Theophylacto loquuntur. Thodoro denique circa annum Chriſti 768. defuncto, vel, ut alii ſcribunt, ejecto, Theodoritus Patriarcha ſucceſſit, qui poſtremo Manſoris Chaliphæ anno, hoc eſt, Chriſti 774. in carcerem conjectus eſt, ut infra ſermo erit: & anno Chriſti 787. Joannem Vicarium ſuum ad ſeptimum Concilium oecumenicum miſit, ut in Serie Patriarcharum Alexandrinorum dictum eſt.

XV. Iſaac Monachus Cœnobii Cartaminenſis, deinde Epiſcopus Haran, juſſu Abugiaphari Manſoris Arabum Regis in locum Joannis anno Chriſti 754. Patriarcha ſuffectus eſt, & Rheſinæ a Jacobo cœco Reſchiphæ Epiſcopo ordinatus. Periit anno Patriarchatus nondum expleto; ejuſdem Manſoris juſſu ſuffocatus, Cadaver in Euphratem projectum. Miſit Synodicam ad Michaelem Alexandrinum Patriarcham XLVI. per Metropolitas Damaſci & Emeſæ, ut in Serie Patriarcharum Alexandriæ dictum eſt. Iſaac.

XVI. Athanaſius IV. patria Sandalenſis, ex Monacho Cœnobii Cartaminenſis renunciatus Maipheractæ Epiſcopus, ſub Joanne II. Patriarcha turbas plurimas excitavit, adeo ut Epiſcopos etiam ordinare alioſque deponere auſus fuerit. Poſt Iſaaci cædem juſſu Abugiaphari Manſoris electus Patriarcha, ab Haranitis, quod Abdinenſem quemdam Iſaaci diſcipulum ipſis invitis Epiſcopum ordinare deliberaſſet, noctu ſuffocatus eſt anno Græcorum 1070. Chriſti 759. Cadaver in Cœnobium Cartaminenſe a Monachis elatum: ubi tamquam Sanctus colitur, licet Eccleſiæ turbator, ut Barhebræus obſervat, & illegitimus Patriarcha fuerit. Dionyſius a Rege Abugiapharo occiſum Athanaſium refert: hunc enim rumorem in vulgus ſparſere qui ipſum interfecerant, ut idem Barhebræus notat. Athanaſius IV.

XVII. Georgius ex Baaltan pago, Monachus Kenneſrinenſis, deinde Theodori Samoſatenorum Epiſcopi Syncellus, in Synodo Mabugenſi anno Græcorum 1070. Chriſti 759. coacta, poſt Sandalenſis obitum, omnium Epiſcoporum, præter Davidem Daræ, & Joannem Calliniei, conſenſu, ex Diacono Patriarcha electus ordinatuſque eſt. Dionyſius tam Georgii ordinationem, quam intruſionem Joannis Callinicenſis ad annum Græcorum 1066. Chriſti 755. deſcribit: Sed amanuenſis mendum eſt, qui loco non ſuo ea appoſuit, quæ ad annum Græcorum 1070. Chriſti 759. transferenda ſunt. Ait autem Dionyſius de Synodo Mabugenſi loquens & Georgii electione. *Ei Synodo interfuere Joannes Epiſcopus Callinici, Timotheus Edeſſæ, David Daræ, Aba Amidæ, Serguna Mardæ, Stephanus Chaboræ, Conſtantinus Samoſatæ, Cyriacus Turabdini, Dionyſius Haran, Elias Sigaræ, Paulus Tagriti, Zacchæus Charmæ, Jonas Nuhadræ, aliique ex Syria bene multi. Quum vero abſenti Georgio ſuffragium ſcripta manu dediſſent, & conſecrationis munus ipſi jam collaturi eſſent, Joannis cujuſdam Monachi impulſu Schiſma inter eos ortum eſt. Nam qui ex Meſopotamia erant, ac præſertim Cartaminenſes & Athanaſiani, antequam Georgius ordinaretur, ſeſe ſubduxere: factoque conventu Joannem Callinici Epiſcopum, qui primus omnium Georgio ſuffragium dederat, Patriarcham conſtituunt. Et Occidentales quidem omnes atque Moſulani Georgio parebant; Orientales vero Joannem ſequebantur.* Vixit autem Joannes uſque ad annum Græcorum 1074. Chriſti 763. quo obiit, etſi Dionyſius mortem ejus duobus poſt annis contigiſſe ſcribit. Eo autem defuncto Synodus Epiſcoporum Meſopotamiæ, Moſulanorum & Occidentalium in Sarugenſi Civitate habita fuit, in qua omnes Georgio Pa- Georgius.

triarchæ conſentire, ac inſuper decreverunt, Epiſcopali honore amovendos eſſe quotquot Joannes Callinicenſis ordinaverat. Præfuit ei Synodo Georgius Patriarcha: interfuere autem David Epiſcopus Daræ, Aba Amidæ, Serguna Mardæ, & Conſtantinus Samoſatæ. Sed biennio poſt, ideſt, anno Græcorum 1076. Chriſti 765. vel, ut ſcribit Dionyſius, anno Græcorum 1078. Chriſti 767. indignati in Georgium Patriarcham Epiſcopi, quos ille in Synodo Sarugenſi exauctoraverat, Abdallam Abugiapharum Manſorem Arabum Regem adeunt, accuſantes Georgium, quod tyrannidem in Syros Jacobitas exerceret. Abugiapharus conjecto in vincula Georgio, Epiſcopis dat facultatem, alium in ejus locum quem vellent Patriarcham ſubſtituendi. Communibus igitur Suffragiis eligitur David Epiſcopus Daræ, qui licet in cunctos manſuetudinem præ ſe ferret, neminem tamen ſibi obſequentem habuit præter eos qui ipſum ordinaverant: Vertebatur enim ei in crimen, quod Georgium prodidiſſet. Hinc Schiſma ortum eſt inter Jacobitas, quorum nonnulli Davidem pro Patriarcha habebant; alii Georgii nomen, donec is in carcere manſit, prædicare in Eccleſia non deſtitere. Manſit Georgius in carcere novem annos, donec Abugiapharus in vivis fuit. Bathebræus narrat, eodem tempore juſſu Abugiaphari Chaliphæ Bagdadenſis in carcerem detruſos fuiſſe Georgium Jacobitarum, Theodoritum Græcorum Melchitarum, & Jacobum Neſtorianorum Patriarchas, quos Cyprianus Niſibis Neſtorianorum Metropolita dimittendos curavit a Mohdio ſeu Mahadio Chalipha Abugiaphari filio ac Succeſſore, quo anno regnum auſpicatus eſt, nimirum Chriſti 775. Hegiræ 158. Georgius itaque vinculis ſolutus eſt, hac conditione, ut Patriarchæ titulum abjiceret, dum David viveret. Ille vero quum Tagritum veniſſet, cognita Joannis Chionitæ Maphriani cauſa, quem ipſe in Synodo Epiſcoporum Orientalium anno Chriſti 757. electum ordinaverat, quemque Tagritenſes multorum criminum accuſabant, reum deprehenſum eodem anno 775. depoſuit, ejuſque loco Joſephum Maphrianum conſtituit. Tum vero Georgius Meſopotamia relicta, in Syriam ſe contulit: ubi amotis quos David ordinaverat Epiſcopis, decem alios conſtituit. Demum in regione Claudiæ in Cœnobio Barſumæ anno Græcorum 1101. Chriſti 790. deceſſit. Synodicam ſcripſit ad Joannem Alexandrinum Patriarcham XLVIII. ab eoque reſponſivam accepit. Sub Georgio cœpta eſt famoſa apud Syros Jacobitas quæſtio de iis Liturgiæ verbis: *Panem Cœleſtem frangimus*, de qua vide quæ adnotata ſunt Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 341. Ejuſdem temporibus claruere Simeon, Zacharias & Elias Epiſcopi Edeſſæ: Dionyſius & alter Dionyſius Haran: Joannes & Sabinus Telæ: aliique quorum ſupra memini, quum de Synodis Mabugenſi ac Sarugenſi ſermonem feci.

Joſeph. XVIII. Joſeph Monachus Cœnobii Gubæ, in Synodo Epiſcoporum, qui in Bedia minori in Valle Haran ſita congregati fuerant, menſe Junio ejuſdem anni Chriſti 790. quo Georgius obierat, ordinatus, quum Bagdadum ſe conferret ut Patriarchalis dignitatis Diploma a Chalipha obtineret, deceſſit in Monaſterio Athanaſii apud Telbeſme menſe Januario anno Græcorum 1103. Chriſti 792. poſtquam unum Epiſcopum, Anthimum ſcilicet Baalbach, hoc eſt, Heliopoleos in Phœnicia, ordinaſſet. Hunc omittit Renaudotius in hiſtoria Alexandrina pag. 242. ubi Georgio Cyriacum ſucceſſiſſe affirmat.

Cyriacus. XIX. Cyriacus Monachus Cœnobii Bezonæ quod de Columna dicitur, eſtque in Ditione Callinici urbis ſitum, in Synodo Haranenſi die 8. vel, ut alii ſcribunt, 15. Auguſti anno Græcorum 1104. Chriſti 793. Patriarcha electus, & a Theodoſio Epiſcopo Baalbach ordinatus, eodem

anno

anno Ananiam monaſterii S. Matthæi in monte Elphephio monachum conſecravit Epiſcopum Mardæ & Capharturæ, qui Cœnobium illud apud Matden poſitum, quod Ananiæ, Natphæ & Zapharanenſe appellatur, inſtauravit: quumque annos fere tres & viginti ibi manſiſſet, obiit, ſucceſſoremque habuit Ignatium ab eodem Cyriaco Patriarcha ordinatum. Porro Cyriacus Synodum in Beth-Barin apud Haran celebravit propter quæſtionem illam de verbis Liturgiæ, *Panem cæleſtem frangimus*, quæ ſub Georgio excitata fuerat: & ipſe quidem volebat ea verba tollere: verum obſtitere Epiſcopi, nequid in Sacra Liturgia innovaretur. Quare ſancitum fuit ex communi ſententia, ut quiſque pro ſuo libitu ea recitaret, vel omitteret: Canones præterea quadraginta de reformatione conditi ſunt. Per idem tempus Cyriacus Severum Samoſatenorum Epiſcopum excommunicavit, quod ſibi Samoſatam advenienti fores Eccleſiæ in faciem occluſiſſet: veniam deinde poſtulanti, placatus conceſſit. Anno Græcorum 1109. Chriſti 798. Gabriel Julianiſtarum Patriarcha Cyriacum adiit, rogans, ut gentem ſuam cum Jacobitis Severi Sectatoribus conjungeret, hac conditione, ut neque Juliano anathema diceretur, neque Severi nomen prædicaretur, & qui alteri ſuperſtes eſſet, utrique populo Patriarcha præficeretur. Cyriacus Gabrielem ad communionem admiſit, œconomia hoc in negorio utendum eſſe ratus: ſed ne unio illa perficeretur, effecerunt Epiſcopi, qui diſertum anathema Juliano Halicarnaſſæo dicendum voluere. Eodem tempore mortuo Baccho Alepinorum Epiſcopo, monachi Gubenſes Cyriaco ſupplicarunt, ut Xenajam quemdam Bacchi diſcipulum in ejus locum ſubſtitueret. Cyriacus rejectis eorum ſupplicationibus Salomonem monachum Cœnobii S. Jacobi apud Cyrum urbem Epiſcopum ordinavit. Illi indignati, neque Salomonem receperunt, neque Patriarchæ nomen in Liturgia amplius recitarunt, ſed poſtquam Cyriacum apud Aaronem Raſcidum Chalipham accuſaſſent, in apertum Schiſma prorumpentes, Epiſcopos quoſdam in Scialaz pago congregatos inducunt, ut duos Epiſcopos ſibi præficerent. Contra Cyriacus, quum ab Iſmaele Chaliphæ Secretario abſolutus ad ſuum Callinicenſe Cœnobium migraſſet, in Gubrino Cyrenſium Caſtro Synodum coegit, in qua tam Epiſcopos, quam monachos illos Gubenſes excommunicavit: qui ad extrema redacti, Abrahamum quemdam Carraminenſem monachum ſibi Patriarcham conſtituerunt. Vixit Abraham hic Anti-Patriarcha, qui & Abiron dictus eſt, ſub Cyriaco & Dionyſio Patriarchis ab anno Chriſti 798. ad annum 837. quo Simeon ipſius frater in ejus demortui locum a Schiſmaticis Epiſcopis ſubrogatus eſt. Tum vero emerſit Abrahamianorum ſecta, qui a cæteris Jacobitis non tanquam hæretici habiti ſunt, ut autumat Renaudotius in hiſt. Alexandrina pag. 247. ſed tamquam Schiſmatici a legitimis Jacobitarum Patriarchis Cyriaco & Dionyſio ſejuncti, quorum contentio in hoc tota ſteterit, ne ex Liturgia Syriaca verba illa, *Panem cæleſtem frangimus*, tollerentur, quæ Cyriacus atque Dionyſius improbare dicebantur, quum tamen ea neque approbarent neque reprobarent, ſed Sacerdotum arbitrio recitanda vel omittenda permitterent, ut notavi Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 343. Altera Cyriacum inter & Tagritenſes atque Matthæanos monachos contentio orta eſt Simeonis, & Baſilii Maphrianorum cauſa. Joſephus, ut ſupra dictum eſt, a Georgio Patriarcha anno Chriſti 775. Maphrianus in locum dejecti Joannis ordinatus, circa annum 793. deceſſit. In ejus locum Sarbelius Carſabachæ Epiſcopus a Cyriaco Georgii ſucceſſore ſubſtitutus, paucis poſt annis ſponte dignitatem Maphriani abdicavit. Simeonem ejuſdem Cyriaci diſcipulum, a Magiſtro ad illam Sedem evectum, Tagritenſes & Philoxenus Niſibis Epiſcopus ob varia, quorum il-

lum accuſaverant apud Patriarcham, crimina deponendum curarunt. Eo depoſito, Baſilius a Cyriaco ordinatur, qui cum monachis S. Matthæi de primatu contendere cœpit. Matthæani, quorum in Cœnobio Sedes eſt Epiſcopi Moſul ſeu novæ Ninives, authentiam & Metropoliticos honores, inſtar Maphrianorum Orientis, ſibi vendicantes, Baſilium Maphrianum & Cyriacum Patriarcham, quod ipſorum ambitionem repreſſiſſent, excommunicare auſi ſunt. Tandem Cyriacus bono pacis conſulturus, Metropolitani titulum Danieli Moſulano & Matthæano Epiſcopo conceſſit, hac tamen conditione, ut Tagritenſi Maphriano, qui Catholicus Orientis appellatur, ſubjaceret. Quibus peractis idem Cyriacus in urbe Moſulana deceſſit die 19. Auguſti, anno Græcorum 1128. Chriſti 817. quum annos 24. ſediſſet, & Epiſcopos 86. ordinaſſet. Cadaver in urbem Tagritum delatum eſt. Miſit Synodicam ad Joannem Alexandrinum Patriarcham XLVIII. per Anaſtaſium Metropolitam Damaſci duoſque alios Epiſcopos: viciſſim ab eodem Joanne Synodicam accepit, necnon a Marco Alexandrino Patriarcha XLIX.

Dionyſius I.

XX. Dionyſius I. Telmaharenſis ( cujus familia inter nobiles Edeſſenos a Gregorio Barhebræo in Chronico Syriaco temporibus Heraclii Imperatoris & Athanaſii Jacobitarum Patriarchæ laudatur, ) monaſticam vitam in Cœnobiis Kenneſrinenſi, Chiſumenſi, & Zucheninenſi profeſſus, poſt Cyriaci obitum, quum Sedes per annum vacaſſet, in Synodo 45. Epiſcoporum ( quæ Callinici ad Schiſma Abrahamianorum tollendum menſe Junio anni Græcorum 1129. Chriſti 818. congregata fuerat, ) electus fuit Patriarcha, quum nullo ſacro Ordine initiatus eſſet. Electioni ſe ſubſcripſere Baſilius Tagritenſis Maphrianus, Barhadbeſciaba Epiſcopus Margæ, Joannes Germaniciæ, Anaſtaſius Damaſci, aliique Epiſcopi. Diaconus igitur primum in monaſterio de Columna feria ſexta ordinatur; deinde Sabbato Presbyter in Cœnobio Sancti Zachæ, hoc eſt, Nicolai: demum Patriarcha feria prima Kalendis Auguſti anno Græcorum 1129. Chriſti 818. in Eccleſia urbis Callinici, imponente ipſi manum Theodoſio ejuſdem urbis Epiſcopo. Abrahamum Antipatriarcham, permiſſu Mamonis Chaliphæ & opera Abdallæ Callinici Ducis, cucullo & veſtimentis Patriarchalibus exuit. Monachos Euſebonæ, Cyrenſeſque ab ejuſdem Abrahami obedientia recedere coegit. Lazarum, cognomento Philoxenum, Bagdadi Epiſcopum depoſuit: & Philoxenum alterum Niſibis Epiſcopum a Nonno Archidiacono multorum criminum accuſatum, in Synodo Rheſinæ damnavit. Bis in Ægyptum profectus eſt: ſemel ſcilicet anno Græcorum 1136. Chriſti 825. Edeſſenorum Jacobitarum cauſa, quorum Eccleſiam Mahometanus præſes dejecerat: & iterum anno Græcorum 1141. Chriſti 830. ( vel, juxta Elmacinum anno Hegiræ 217. Chriſti 832. ) Legatione Mamonis Chaliphæ ad Chriſtianos Byamitas functurus, qui ab eodem Mamone defecerant. In locum Baſilii Maphriani, qui anno Chriſti 829. menſe Octobri vita functus fuerat, Danielem Birkumenſis Cœnobii monachum ordinavit. Synodicam ad Marcum Alexandrinum Patriarcham XLIX. ſcripſit, ab eoque reſponſivam accepit. Quumque in Ægyptum, ut ſupra dixi, bis profectus fuiſſet, congreſſus eſt cum binis Ægyptiorum Patriarchis, Jacobo ſcilicet L. & Joſepho LII. Matthæanos monachos cum Tagritenſibus de primatu diſſidentes, anno Græcorum 1146. Chriſti 835. hac conditione reconciliavit, ut Metropolitæ S. Matthæi nomen bis dumtaxat per annum in Eccleſia Tagritenſium, quæ in urbe Moſul erat, in divinis Officiis proclamaretur, in Feſto ſcilicet Palmarum, & in conſecratione Chriſmatis Feria quinta majoris Hebdomadæ; cæterum poſt Antiochiæ Patriarcham Maphriano Tagriti in toto Oriente Primatus eſ-

Digitized by Google

ſet. Quumque Thomam Cœnobii Severi in monte Edeſſæ monachum Tagritenſium Maphrianum in locum Danielis, qui per eos dies vita functus fuerat, ordinaſſet, in Syriam ſe recepit; inde Bagdadum rediit, ſalutandi ergo Motaſemum Chalipham Mamonis filium, qui patri ſucceſſerat: ubi & reperit Georgium Chriſtianum Nubiæ regem, qui ad teſtandum ſuum eidem Motaſemo obſequium advenerat. Obiit Dionyſius Patriarcha die 22. Auguſti anno Græcorum 1156. Chriſti 845. poſtquam annos 27. ſediſſet, centumque Epiſcopos ordinaſſet. Cadaver in Cœnobio Kenneſrinenſi, quod ipſe inſtauraverat, ſepultum. Sub eo claruere Scriptores Jacobitæ, Theodoſius ejuſdem Dionyſii frater, Edeſſæ Epiſcopus, & Joannes Daræ Metropolita.

XXI. Joannes III. monachus Cœnobii S. Zachæ apud Callinicium, in Synodo, quæ in Monaſterio S. Silæ habita fuit, die 21. Novembris anno Græcorum 1158. Chriſti 846. Patriarcha electus, a Tarſenſi Epiſcopo Abibo ordinatus eſt. Obiit Rheſinæ die 3. Decembris anno Græcorum 1185. Chriſti 873. quum annos 27. ſediſſet & Epiſcopos 86. ordinaſſet. Cadaver e Cœnobio Saphyli, ubi ſepultum fuerat apud Rheſinam, in Cœnobium S. Zachæ ex ejuſdem teſtamento translatum. Vacavit ſedes uſque ad menſem Junium anni Chriſti 878. Eodem quo inauguratus fuit anno, Synodicam Epiſtolam ſcripſit, perque Athanaſium Euphemiæ ac Timotheum Damaſci Epiſcopos, qui multos in comitatu Sacerdotes habebant, ad Joſephum ſeu Juſabum Alexandrinum Patriarcham LII. in Ægyptum miſit. Alteram Synodicam reſponſivam dedit ad Coſmam Patriarcham LIV. qui ad eumdem Joannem Legatos ſuos Severum & Michaelem Epiſcopos miſerat. Item reſpondit Sanuthio Patriarchæ LV. qui, Synodicam ad ipſum per Paulum & Joannem Epiſcopos ſcripſerat Quum vero Thomas Maphrianus die 8. Maii anno Græcorum 1158. Chriſti 847. deceſſiſſet, Baſilium ſecundum, Lazarum Stylitam antea dictum, in ejus locum die 3. Septembris ejuſdem anni ſubſtituit. Sed decimo poſt anno inter eumdem Joannem Patriarcham & Maphrianum Baſilium graviſſima contentio exarſit, adeo ut Tagritenſes nomen Patriarchæ e Diptychis expunxerint, & Baſilius Maphrianus tres ipſis Epiſcopos, Callinici ſcilicet, Haran, & Rheſinæ, amotis quos Patriarcha ordinaverat, inſtituerit. Reſque eo devenit, ut Synodum ambo in ſua ditione coegerint, in qua alter alterum depoſuit. Tandem cauſa ad Motuacchelum Chalipham delata, Maphrianus damnatus eſt; quumque Patriarcha Tagritum veniſſet, Melchiſedechum in ejus locum clam ordinavit. Baſilius vero Tagrito Niſibin digreſſus, alterum Joanni ſubrogare Patriarcham cogitabat: ſed morte præventus, id conſilium ad exitum perducere nequivit: Obiit autem Niſibi menſe Octobri anno Græcorum 1180. Chriſti 868. Melchiſedechus quadrageſimo poſt die deceſſit. Pax igitur per utriuſque Caphriani mortem firmata eſt menſe Novembri anni Chriſti 868. quo Synodum Orientalium & Occidentalium Epiſcoporum in urbe Caphartuta Joannes Patriarcha induxit. Octo Canones in ea Synodo conditi, qui ad Patriarcham & Maphrianum ſpectant: ut ſcilicet Caphrianus primum a Patriarcha locum ſupra omnes Epiſcopos Occidentales obtineat, utque ipſe electo Patriarchæ manum imponat. Abſolutus præterea Baſilius cum ſociis, translatique ad alias vacuas Sedes quos ille Callinici, Haran, & Rheſinæ Epiſcopos conſecraverat. Sergius Monachus Cœnobii Aluchenſis in locum demortui Melchiſedechi anno Chriſti 872. Maphrianus ſubſtitutus.

XXII. Ignatius I. Joſue antea appellatus, Monachus Cœnobii Herbaz ditionis Samoſatenæ, in Synodo, quæ in Monaſterio Callinicenſi, S. Za-

Joannes III.

Ignatius I.

chæ die 5. Junii anno Gtæcorum 1189. Chriſti 878. habita, electus Patriarcha, a Timotheo Samoſatæ Epiſcopo ordinatus fuit. Obiit die 26. Martii feria 3. majoris Hebdomadæ in Moriba Caſtto anno Græeorum 1194. Chriſti 883. quum ſediſſet annos 4. menſes 10. ordinavit Epiſcopos 26. Sergius Orientis Maphrianus, quum ad Synodum anno Chriſti 878. pro Ignatii Patriarchæ ordinatione celebratam ab Epiſcopis Occidentalibus invitatus non fuiſſet, ejuſdem Ignarii nomen proclamari in Oriente vetuit. Duravit hoc Schiſma Orientales inter & Occidentales, donec Maphrianus in vivis fuit, hoc eſt; uſque ad diem 11. Novembris anni Chriſti 883. quo obiit. Sed & Maphrianum inter atque Tagritenſes ortum eſt diſſidium propterea quod Eliſæo & Bathadbeſeiabæ Epiſcopis illegitime ordinatis diæceſes attribuiſſet: ii enim, quod ab Epiſcopo S. Matthæi ordinati eſſent, a Joanne Patriarcha & a Baſilio Maphriano ſuſpenſi fuerant, eorumque loco Melchiſedechus Maphrianus alios Epiſcopos inſtituerat, Quamobrem Tagtitenſes nomen Sergii e diptychis expunxere. Vacavit utraque Sedes, Patriarchæ ſcilicet ac Maphtiani, ab anno Chriſti 883. ad annum 887.

Theodoſis.

XXIII. Theodoſius, qui & Romanus medicus, ex Cœnobio Cartaminenſi, in Synodo Amidæ Patriarcha ordinatus fuit a Timotheo Samoſateno Epiſcopo die 5. Februarii anno Græeorum 1198. Chtiſti 887. Obiit Kalendis Junii anno Græcorum 1207. Chriſti 896. quum Epiſcopos 33. ordinaſſet. Cadaver in Cœnobio Cartaminæ ſepultum. Scripſit Synodieam ad Michaelem Patriarcham Alexandrinum LVI. Tertio vero ab ordinatione ſua die, hoc eſt, 8. Februarii anno Chriſti 887. in locum demortui Sergii Maphriani conſecravit Athanaſium, antea Sergium dictum, Monachum Cœnobii Severi quod in monte Edeſſæ ſitum erat, ſublato Schiſmate quod ſub Sergio Maphriano & Ignatio Patriarcha inductum fuerat: Deceſſit autem Athanaſius die 27. Decembris anno Græcorum 1215. Chriſti 903. Vacavitque poſt eum Maphriani Sedes annis 8. Sub Theodoſio Patriarcha claruit Moyſes Bareepha, qui ad Epiſcopatum Moſul, Beth-Raman, & Chioniæ evectus, Severi nomen aſſumpſit, obiitque menſe Februarii anno Græcorum 1214. Chriſti 903. quum nonaginta circiter annis vixiſſet, & Epiſeopatum annis 40. rexiſſet. Ejuſdem Theodoſii temporibus Schiſma Haſſaſſinitarum invaluit. Erant ii Arabes Jacobitæ, qui una cum Gubenſibus a Cyriaco, Dionyſio, & Joanne Patriarchis propter quæſtionem illam de Liturgiæ verbis, *Panem cæleſtem frangimus*, excommunicati fuerant. Patriarcham itaque ſibi Zebinam ejuſdem Joannis diſcipulum conſtituunt: Zebina Pheraam Metropolitam Haſſaſſinitarum ordinat: Pheraa denique Barnaſicham Moyſis Barcephæ diſcipulum Epiſcopum Moſulanum inſtituit. Athanaſius Maphrianus, ne ii Tagritenſem Eccleſiam occuparent, omnem operam adhibuit.

Dioniſius II.

XXIV. Dionyſius II. Monachus Cœnobii Beth-Batinenſis, quod in Aſeth regionis Sarugenſis pago ſitum eſt, a Jacobo Emeſæ Epiſcopo in Synodo Beth-Batinenſi, qui in ditione Haranitarum locus eſt, ordinatus menſe Aprili anno Græcorum 1208. Chriſti 897. obiit die 18. Aprilis anno Græcorum 1220. Chriſti 909. quum Epiſcopos 51. ordinaſſet. Scripſit Synodicam ad Michaelem Patriarcham Alexandrinum LVI.

Joannes IV.

XXV. Joannes IV. Stylita in Cœnobio Curzachelenſi quod in ditione Antiochena ſitum eſt, ordinatus a Joanne Marhaſæ ſive Germaniciæ Epiſcopo in Monaſterio Telſephræ apud Haran die 21. Aptilis anno Græcorum 1221. Chriſti 910. Obiit Rheſinæ in Cœnobio Saphyli, exeunte menſe Novembri anno Græcorum 1234. Chriſti 922. poſtquam annos 12. cum menſibus 7. ſediſſet, Epiſcopoſque 41. ordinaſſet. Ad eum exſtat

Michaelis Patriarchæ Alexandrini LVI. Synodica , de qua ſupra dictum eſt ; ipſe autem Synodicam accepit a Coſma Alexandrino LVIII. Quum vero Maphriani dignitas poſt Athanaſii obitum annis 8. vacaſſet , ordinavit Thomam Stylitam qui in monte Edeſſæ morabatur , anno Hegiræ 298. qui cœpit die 9. Septembr. anno Chriſti 910. Tenuit Thomas eam dignitatem menſibus 4. quibus expletis deceſſit in urbe Tagrito, ejuſque in locum a Joanne Patriarcha ſubſtitutus fuit Denha Presbyter Sæcularis menſe Octobri anno Hegiræ 300. qui cœpit die 17. Auguſti anno Chriſti 912. Quumque Denha Epiſcopos 11. ordinaſſet , deceſſit die 18. Julii anno Hegiræ 320. qui cœpit die 13. Januarii anno Chriſti 932.

Baſilius I.

XXVI. Baſilius I. monachus Cœnobii Saphyli apud Rheſinam, ordinatus in Moriba Reſchiphæ Caſtro ab Abibo Anazarbæ Epiſcopo die 15. Auguſti anno Græcorum 1234. Chriſti 923. Quumque annos 11. ſediſſet, Epiſcopoſque 32. creaſſet, obiit die 25. Martii feria quarta majoris Hebdomadæ anno Græcorum 1246. Chriſti 935. Cadaver in Cœnobio , quod Orientale vocant , ſepultum . Scripſit Synodicam ad Coſmam Alexandrinum LVIII. a quo & reſponſivam accepit.

Joannes V.

XXVII. Joannes V. Anachoreta in Monte nigro apud Antiochiam, ab Athanaſio Tarſenſi Epiſcopo ordinatus Patriarcha in Teleda Caſtro ditionis Antiochenæ die 28. Auguſti anno Græcorum 1247. Chriſti 936. Obiit die 13. Julii anno Græcorum 1267. Chriſti 956. quum Epiſcopos 48. creaſſet. Cadaver in Cœnobio Teledæ ſepultum in Arca Jacobi Edeſſeni . Exſtat ad eum Synodica Macarii Alexandrini LIX. Ejuſdem temporibus in Denhæ locum Maphrianus ordinatus eſt Baſilius Diaconus Sæcularis exeunte menſe Novembri anno Hegiræ 325. qui cœpit die 19. Novembris, anno Chriſti 936. Quumque Epiſcopos 12. ordinaſſet , deceſſit die 11. Auguſti anno Hegiræ 349. qui cœpit die 2. Martii anno Chriſti 960.

Joannes VI.

XXVIII. Joannes VI. Stylita in Cœnobio Curzachelenſi ad Uphrinum fluvium, a Jacobo Callinicenſi Epiſcopo in Teleda Caſtro ordinatus die 16. Julii anno Græcorum 1267. Chriſti 956. Obiit menſe Januario anno Græcorum 1270. Chriſti 959. quum Epiſcopos 10. ordinaſſet . Cadaver in Cœnobio Salomonis Dolichæ ſepultum.

Dionyſius III.

XXIX. Dionyſius III. Monachus Cœnobii Cattaminenſis, a Jacobo Callinicenſi in Tedela Caſtro die 28. Novembris anno Græcorum 1271. Chriſti 959. ordinatus, obiit die 2. Junii anno Græcorum 1272. Chriſti 961. poſtquam Epiſcopos 8. ordinaſſet. Cadaver in Cœnobio Cattaminenſi in Arca Theodoſii Patriarchæ ſepultum. Binæ ejus Synodicæ extant ad Mennam Alexandrinum LXI. Sub eodem Dionyſio, & Elia Melitinæ Epiſcopo anno Græcorum 1269. Chriſti 958. Gajaſa quidam Perſa Adorbiganenſis in regione Claudiæ Monaſterium condidit apud Gregorianum pagum: deinde in regione Gubæ Monaſterium alterum, quod S. Sergii dicitur , in quo & reliquias SS. Sergii & Bacchi repoſuit . In hoc Sergii Cœnobio , ut Gregorius Barhebræus ſcribit , claruere Joannes Monachus in Monte Edeſſæ, & Joannes alter, cognomento Maro, qui quum ſacra atque prophana eruditione apud Mochimum ( alias Maikam ) Montis Edeſſeni Monachum, excultus fuiſſet, Monachos docere cœpit. Poſtquam vero Gajaſa per annos 12. Congregationem gubernaſſet, deceſſit, monaſteriique regimen Elias ejus diſcipulus ſuſcepit, qui Templum ſacris Veſtibus, Codicibus inſuper , & aureis argenteiſque Vaſis inſtruxit : cœpitque illud Cœnobium doctrina, & Scripturarum lectione atque ſtudiis florere ſub Joanne Marone . Quamobrem multi in eo loco amanuenſes exritere. Elias Joannem Oeconomum ſibi ſubſtituens , in Eremum ſeceſſit, & duobus poſt annis in eodem Cœnobio vita functus eſt. Joannes cum

num LXIII. a quo binas accepit. In locum autem Joannis Dinaræ Maphriani, qui die 18. Aprilis anno Græcorum 1299. Chriſti 988. deceſſit, Maphrianum inſtiruit Ignatium, qui Marcus dicebarur, cognomento Bar-Chichi, Moſulanæ Tagrirenſium Eccleſiæ Archidiaconum, die 19. Februarii anno Græcorum 1302. Chriſti 991. Quum vero Ignatius Bar-chichi annos 25. in ea dignitate exegiſſet, Epiſcopoſque 14. creaſſet, in adulterio deprehenſus, Mahometanam ſectam Bagdadi amplexus eſt: cujus tamen ſceleris pœnitentiam egiſſe perhibetur, ut ex Syriacis ejuſdem carminibus liquet. Antequam Maphrianus in apoſtaſiam incidiſſet, Bagdadum petiit anno Hegitæ 394. qui cœpit die 30. Octobris anni Chriſti 1003. ut Eccleſiam gentis ſuæ inſtauraret, quam Mahometani Feria ſecunda Hebdomadæ ſecundæ Quadrageſimæ anno Hegiræ 392. Chriſti 1002. incenderant. Tum vero Joannes Neſtorianorum Patriarcha invidia motus, quod ſcilicet Maphrianus cum a Jacobitis, tum a Neſtorianis perhonorifice exceptus fuiſſet, a Chalipha Babylonio Edictum impetravit, quo cavebatur, ut ſolus Neſtorianorum Catholicus Sedem Bagdadi perpetuo figeret; Jacobitarum vero Metropolitanus Tagriti ſederet, ſique neceſſitas poſtularet, Bagdadum quidem, populares ſuos viſitandi cauſa, peteret, ſed ſtatim ad ſuam Sedem ſe reciperet. Sequenti poſt ordinationem ſuam anno, ideſt, Græcorum 1299. Chriſti 988. Athanaſius Patriarcha ordinavit Joannem Epiſcopum Cœnobii Cartaminenſis. Hic, ut Gregorius Barhebræus refert, Characteres Syriacos, quos ſtronghylos, hoc eſt, rotundos vocant, quorum uſus jam ab annis centum ſublatus fuerat, reſtituit, ex librorum inſpectione ipſe diſcens, filioſque fratris ſui docens. Qua in re perfectum ſcriptionis donum conceſſum fuit Emmanueli ejuſque fratri. Miſit autem Joannes Epiſcopus Petrum eorum fratrem Melitinam, qui pergamenas attulit. Scripſitque Emmanuel ſeptuaginta Codices, ſcripturam nimirum Verſionis ſimplicis, & Τῶν Septuaginta, & Heracleenſis, & Tomum Homiliarum in tres Choros diſtributum: eoſque Cœnobio Cartaminenſi ex legato dedit: libros, inquam, elegantiſſime exaratos, quibus ſimiles in toto terrarum Orbe haud facile eſt reperire. Sub ejuſdem Athanaſii Patriarchæ tempora Joannes Melitinæ Epiſcopus cum ſeptem monachis Jacobitis Byzantium abductus, & in carcerem conjectus eſt, Græcis Melitinenſem Jacobitarum Eccleſiam, quæ Curſoris dicitur, occupantibus. Erat tum Antiochenus Melchitarum Græcorum Patriarcha *Agapius*, quem Barhebræus affirmat nullam Jacobitis moleſtiam creaſſe. Is vero nonus eſt a Theodorito Patriarcha, cujus ſupra facta eſt mentio, ut conſtat ex Serie eorum Patriarcharum, quam ex Patriarchali Archivo deſcriptam mihi tradidit Athanaſius Patriarcha, quum Berææ in Syria eſſem: Sunt autem hi: *Theodoritus*, *Jobus*, *Nicolaus*, *Stephanus*, *Theodorus*, *Simeon*, *Elias*, *Theodotus*, *Theochariſtus*, & *Agapius*. Sequuntur, *Chriſtophorus*, *Theodorus*, *Agapius* alter, *Joannes*, qui anno Chriſti 1098 vivebat, quo Antiochia a Latinis capta eſt: *Elias*, *Georgius*, *Petrus*, *Joannes*, *Theodorus Balſamon* qui anno Chriſti 1179. claruit: *Joachimus*, *Dorotheus*, *Simeon*, *Julianus*, *Athanaſius*, *David*, *Cyriacus*, *Dionyſius*, *Joannes* & *Marcus*, qui ſub tempora Regis Daheri Bibars Bondokdari, hoc eſt, circa annum Chriſti 1270. vivebat, quumque Syria bellis infeſtaretur, in Cyprum inſulam ſe contulit. Atque hi, quos recenſui, Melchitarum Græcorum Patriarchæ incertam Sedem habuere, alii nimirum Antiochiæ, alii Byzantii morati ſunt, aliis in aliis Syriæ locis. Poſt Marcum *Ignatius* primus fuit, qui Sedem Damaſci in Syria fixit, cujus ſucceſſorum nomina ex eodem Athanaſii Catalogo infra recenſebo.

Joannes VIII. XXXIII. Joannes VIII. qui & Abdon , Melitinæ natus , Monachus primum in Cœnobio Curſoris apud eamdem urbem , deinde in Monaſterio Barſumæ : mox anachoreticam vitam coluit in rupe quadam ad Euphratem : demum in monte nigro juxta Antiochiam : poſt Athanaſii obitum anno ætatis ſexageſimo in Synodo Epiſcoporum electus , anno Græcorum 1315. Chriſti 1004. die 4. Julii ordinatus fuit Diaconus, die ſequenti Presbyter , & die 6. Patriarcha , Petro Haranitarum Epiſcopo manu ei imponente . Anno Græcorum 1340. Chriſti 1029. die 15. Junii, una cum ſex Epiſcopis Jacobitis , Ignatio ſcilicet Melitinæ , Moyſe Heſnæ, Iſaaco Arcæ, Elia Synnadæ, Joanne Hadethæ , & Dionyſio Telæ Patriciæ, Conſtantinopolim abductus eſt juſſu Romani Argyri Imperatoris & inſtigatione Nicephori Melitinæ Græcorum Metropolitæ : ubi quum a ſua Secta recedere noluiſſet , in Cœnobium Caii , quod in regione Bulgarorum ſitum eſt , relegatus fuit , ibique quatuor poſt annis deceſſit die 2. Februarii anno Græcorum 1344. Chriſti 1033. Cadaver a Joanne ejus diſcipulo ſepultum. Sedit annos 29. ordinavitque Epiſcopos 47. Ex iis vero, qui eum comitati ſunt Epiſcopis, tres ad Græcorum fidem tranſierunt, Ignatius nimirum, Moyſes, & Iſaac , tres alii in Jacobitarum erroribus conſtantes perſtitere , Et Dionyſius quidem poſt Romani obitum e carcere dimiſſus eſt ; Joannes vero in vinculis vitam reliquit : Elias a populo coram Palatio lapidibus obrutus interiit : Moyſes denique & Iſaac fuga ſibi conſulentes , in Syriam rediere , ubi porrecto ſupplici libello ad communionem Jacobitarum admiſſi ſunt. Porro Joannes Abdon Patriarcha binas Synodicas miſit ad Zachariam Alexandrinum LXIV. totidemque ab eo accepit. Quum vero Ignatius Maphrianus , ut ſupra dictum eſt , a chriſtiana fide defeciſſet , ab Orientalibus ad eumdem Joannem Patriarcham adductus Athanaſius qui & Abdelmeſſias, Diaconus Edeſſenus, Presbyter & Maphrianus ab eodem ordinatus eſt , antequam is Byzantium traheretur, juſſu Romani Imperatoris ( non Nicephori , ut perperam legitur apud Barhebræum in tertia Parte Chronici Syriaci : Eo enim anno, ideſt Chriſti 1029. Romanus Argyrus, non Nicephorus Conſtantinopoli imperabat. )

Dionyſius IV. XXXIV. Dionyſius IV. qui & Haje , Archimandrita Cœnobii Lazari in regione Gubæ apud Tangum pagum , in Synodo Epiſcoporum , qui poſt Joannis Abdonis obitum in Jamenino Claudiæ oppido convenerant, in Monaſterio Sancti Domitii ejuſdem loci ordinatus fuit Patriarcha ab Abraham Calliſuræ Epiſcopo anno Græcorum 1345. Chriſti 1034. Hic e Græcorum ditione in ſubjectas Saracenis terras evadens, Amidæ Sedem fixit, ibique obiit anno Græcorum 1355. Chriſti 1044. quum annis 10. ſediſſet , Epiſcopoſque 36. ordinaſſet . Cadaver in majori ejuſdem urbis Eccleſia conditum . Sydonicam ſcripſit ad Senuthium Alexandrinum LXV. a quo & binas accepit . Quumque profugus eſſet , atque in urbe Tagrito ſub Monachi ſpecie latitaret, ab Athanaſio Maphriano perhumaniter exceptus fuit, qui ejus nomen ab Epiſcopis ordinationi ejuſdem non aſſentientibus proclamandum curavit . Obiit autem Athanaſius Maphrianus anno Græcorum 1352. Chriſti 1041. quum annis 14. ſediſſet Epiſcopoſque 9. creaſſet.

Joannes IX. XXXV. Joannes IX. qui & Theodorus Abdon , Joannis VIII. ex fratre , vel juxta alios ex ſorore nepos , Monachus Cœnobii Gaghæi in monte Melitinæ , poſtquam Sedes annis 5. vacaſſet , menſe Auguſto anno Græcorum 1360. Chriſti 1049. in Synodo Epiſcoporum Amidæ coacta ab Elia Zeugmatis Epiſcopo ordinatus eſt . Depoſuit nonnullos Epiſcopos , qui tempore Sedis vacantis a ſuis ad alias Eccleſias migra-

Digitized by Google

verant. Obiit anno Græcorum 1369. Chriſti 1058. quum annis 8. menſibuſque 10. ſediſſet, Epiſcopoſque 30. ordinaſſet. Sub eo diſſidium fuit inter Jacobitas Occidentales & Orientales: quum enim Athanaſius Maphrianus anno Græcorum 1352. Chriſti 1041. deceſſiſſet, in ejus locum Baſilius Tagritenſis Cavadæ filius ab Orientalibus Epiſcopis anno Græcorum 1357. Chriſti 1046. quo Sedes Patriarchalis poſt Dionyſii obitum vacabat, Maphrianus ordinatus fuit. Quamobrem Occidentales, ut Orientalibus vicem rependerent, anno Græcorum 1360. Chriſti 1049. Joannem, ſeu Theodorum Abdonem, Patriarcham inſtituerunt, Maphriano & Orientalibus ad Synodum minime invitatis, propterea quod Maphriani electionem, donec Patriarcha ordinaretur, differre noluiſſent. Joannes tamen Baſilium per litteras ad concordiam vocare non deſtitit, donec in Gezira ſeu Gazarta habito colloquio pax Orientales inter & Occidentales inſtaurata eſt, confirmatumque quod antea definitum fuerat, ne ſcilicet Patriarcha ſine Maphriano, neve Maphrianus ſine Patriarcha fieret. Obiit Baſilius Maphrianus anno Græcorum 1370. Chriſti 1059. quum annis 13. ſediſſet. Vacavitque Maphriani Sedes annis 6. Exſtant in Tractatu de Fide Patrum, tres Synodicæ Joannis Antiocheni ad Chriſtodulum Alexandrinum LXVI. quarum tertia ſcripta dicitur anno Martyrum 782. Chriſti 1066. adeoque non hujus Joannis eſt, ſed alterius cognomento Bar-Suſan, de quo infra ſermo erit. Ad quem vero eorum binæ priores Epiſtolæ ſpectent, incertum.

XXXVI. Athanaſius VI. qui & Haje abdicato Arſamoſatæ Epiſcopatu, quum in Cœnobium Aaronis apud Sigatam ſeceſſiſſet, poſt Joannis IX. obitum ab Occidentalibus Epiſcopis electus fuit Patriarcha anno Græcorum 1369. Chriſti 1058. in Cœnobio Phares juxta Caſtrum, quod Heſen-Manſur vocant. Orientales coacta Amidæ Synodo, factum Occidentalium improbantes, quod ſcilicet Athanaſium ex Epiſcopali ad Patriarchalem Dignitatem promoviſſent, Joſue Bar-Suſan, hoc eſt, Suſannæ filium, qui Joannis IX. Syncellus ac diſcipulus fuerat, ordinarunt. Et hanc quidem Schiſmatis cauſam in vulgus ſpargebant, Joſue ipſo Bar-Suſan, qui Joannis nomen aſſumpſit, multos tractatus de illegitima Epiſcoporum translatione promulgante. Athanaſiani vero exemplis Epiſcoporum ſe tuebantur, qui ad majores Eccleſias tranſlati fuerant, ut ad Antiochenam Meletii Sebaſtes, Eliæ Euphemiæ, & Joannis Haran: ad Conſtantinopolitanam Procli Cyzici, & Anthimi. Ad hæc reſpondit Bar-Suſan, multa majoribus noſtris licuiſſe, quæ poſteris prohibita ſunt, nec eorum facta, quæ Canonibus repugnant, in exemplum trahenda eſſe. Quum vero eo rem deveniſſe cerneret, ut ad tribunal Regum confugere Athanaſiani decreviſſent, dignitatem ſponte abdicavit, librorum lectioni & ſcriptioni totum ſe tradens. Athanaſius autem poſtquam annos 5. cum menſibus 6. ſediſſet, ſuumque ex ſorore nepotem Ignatium, virum Syriaci præcipue ſermonis peritum, Melitinæ Epiſcopum ordinaſſet, a Græcis comprehenſus una cum memorato Ignatio in Cœnobium Eudoxii, quod ſupra Melitinam ſitum eſt, deſtructus fuit: quumque inde quinto poſt menſe Byzantium traheretur, in itinere deceſſit in urbe Arca anno Græcorum 1375. Chriſti 1064. Cadaver ad Cœnobium Aaronis juxta Sigaram tranſlatum. Ignatius vero Conſtantinopolim perductus, quum in erroribus Jacobiticis tuendis perſtitiſſet, in montem Macedoniæ relegatus, mortuo poſt tres annos Imperatore Conſtan- Athanaſius VI.

trino Duca, Melitinam repetiit anno Græcorum 1378. Chriſti 1067.

Joannes X. XXXVII. Joannes X. Joſue Bar-Suſan dictus, in Synodo Epiſcoporum Amidæ, ut modo dictum eſt, adverſus Athanaſium VI. anno Chriſti 1058. ordinatus, Patriarchalem dignitatem pro bono pacis ſponte dimiſit, quam poſt ejuſdem Athanaſii obitum anno Chriſti 1064. ab Epiſcopis, qui in Cœnobio Abæi ad Euphratis ripas convenerant, reſumere coactus, in eodem Cœnobio Canones 24. de diſciplina Eccleſiaſtica condidit. Ibidem Epiſcopos quinque ob varia crimina exauctoravit, aliis in eorum locum ſubſtitutis. Deceſſit Amidæ anno Græcorum 1384. Chriſti 1073. quum Epiſcopos 17. ordinaſſet. Cadaver in Eccleſia Deiparæ in arca marmorea apud tumulum Joannis IX. Patriarchæ ejus præceptoris conditum. Præter Epiſtolas, multoſque Adhortationum, quos conſcripſit, libros, operam etiam dedit Sermonibus S. Ephræmi, & S. Iſaaci in unum volumen colligendis: manuque ſua exarare jam ſenex aggreſſus fuerat, ſed interveniente morte opus imperfectum reliquit. Sub Joanne Bar-Suſan & Chriſtodulo Alexandrino Patriarcha LXVI. agitata eſt inter Syros Jacobitas & Coptos controverſia de Sale & oleo, quæ Syri Jacobitæ pani Euchariſtico admiſcere ſolent: qua de re Joannes ad Chriſtodulum Epiſtolam ſcripſit.

Baſilius II. XXXVIII. Baſilius II. monachus & Œconomus Cœnobii Barſumæ, ab Epiſcopis per ſortem electus, menſe Januario anno Græcorum 1385. Chriſti 1074. ab Athanaſio Edeſſæ Epiſcopo in Caſtro Manſoris invitus ordinatus eſt, quum ſibi barbam vitandæ ejus dignitatis cauſa abraſiſſet. Sedit annum cum dimidio. Obiit Maipheractæ, poſtquam Joannem Maphrianum & ſex Epiſcopos ordinaſſet, inter quos fuit Abdon ex familia Joannis Abdonis Patriarchæ, Archimandrita Cœnobii Gaghæi apud Melitinam, cujus nomen in Schedula una cum Baſilii nomine ſcriptum fuerat, quum electio Patriarchæ, ut modo dixi, per ſortem facta eſt. Baſilius autem Patriarcha conſecratus, Abdonem Synnadæ Epiſcopum ordinavit, qui & ipſum in Patriarchatu excepit, ut mox ſermo erit. Salibam vero monachum Cœnobii Gabrielis, in pago Severino natum, quum poſt Baſilii Maphriani obitum ea Sedes per annos ſex vacaſſet, in Cœnobio Carraminenſi Maphrianum ordinavit anno Græcorum 1386. Chriſti 1075. Joannis nomine ei impoſito, & Niſibena Diœceſi ad Tagritenſem Catholici Orientis Eccleſiam adjecta, confirmariſque pactis, ne ſcilicet Occidentales abſque Maphriano Patriarcham eligerent. Joannes autem Saliba in Moſulanam Urbem profectus, Timotheum Sogdem Cœnobii S. Matthæi Metropolitam inſtituit.

Joannes XI. XXXIX. Joannes XI. qui & Abdon Synnadæ Epiſcopus a Baſilio II. ordinatus, poſt ejus mortem conſpirantibus Simeone Chiſumæ & Athanaſio Samoſatæ Epiſcopis, qui nomen Abdonis quum ante Baſilium ſorte extractum fuiſſet, a Præſide Synodi occultatum eſſe dictitabant, Patriarcha anno Græcorum 1386. Chriſti 1705. proclamatus, Philaretum Armenum militiæ præfectum ſubornavit, qui decem Epiſcopos quos in ditione Melitinenſi reperire potuit, compulit, ut hominem ordinarent. Epiſcopi poſt peractam Abdonis ordinationem collactis Philareto unuſquiſque centum denariis obtinuere, ut libertatem ſibi quemumque alium vellent Patriarcham eligendi concederet. Vixit Abdon tamquam illegitimus Patriarcha a Jacobitis habitus ab anno Græcorum 1386. Chriſti 1705. ad an-

num Græcorum 1416. Chriſti 1095. nimirum ſub quatuor ſequentibus Patriarchis, Dionyſio V. Joanne XII. Dionyſio VI. & Athanaſio VII. ordinavitque Epiſcopos 4. quorum unus fuit Cyrinus, qui Amidæ ad Mahometanam Sectam tranſiit. Moriturus in Caſtro Manſoris, juſſit corpus ſuum ante fores Eccleſiæ ſepeliri, ut ab ingredientibus & exeuntibus conculcaretur: pœnitentia ſcilicet ductus, quod Sectam Jacobiticam longo Schiſmate vexaſſet. Athanaſius tamen VII. cognomento Abulpharagius, qui tum legitimus Jacobitarum Patriarcha habebatur, facto Epiſcoporum conventu, Abdonem jam mortuum abſolvit, eique exequias celebravit: ajebat enim, eum primatus quidem amore ductum fuiſſe, non tamen a fide aberraſſe.

XL. Dionyſius V. qui & Lazarus Archimandrita Cœnobii Barſumæ, Dionyſius V.
poſtquam Epiſcopi, quos Simeon Chiſumæ & Athanaſius Samoſaræ, opera Philareti Armeni, ad imponendam Abdoni manum compulerant, ex ejuſdem Philareti poteſtate evaſiſſent, in eodem Barſumæ Cœnobio anno Græcorum 1388. Chriſti 1077. feria ſexta ante Feſtum Palmarum electus fuit Patriarcha, & a Joanne Maphriano conſecratus. Obiit in Caſtro Manſoris menſe Decembri anno Græcorum 1390. Chriſti 1078. quum ſediſſet annum cum octo fere menſibus, nullumque Epiſcopum ordinaſſet. Cadaver in Eccleſia S. Theodori ſepultum. Scripſit Synodicam ad Chriſtodulum Alexandrinum LXVI. quæ ad Cyrillum ejus Succeſſorem allata fuit anno Martyrum 795. Chriſti 1079.

XLI. Joannes XII. anachoreta in regione Carſenæ poſt Dionyſii obitum, quum Joannes Abdon Patriarchalem Sedem per ſeptem annos occupaſſet, congregatis in Eccleſia S. Georgii Melitinæ Epiſcopis, qui eumdem Abdonem velut hæreticum damnaverant, electus fuit Patriarcha anno Græcorum 1397. Chriſti 1086. Ignatius Melitinæ Epiſcopus ei manum impoſuit. Obiit anno Græcorum 1399. Chriſti 1088. poſtquam annum cum menſibus 6. ſediſſet. Cadaver in Cœnobio Baredi apud Melitinam ſepultum. Ordinavit Epiſcopos quinque. Joannes XII.

XLII. Dionyſius VI. qui & Marcus Archimandrita Cœnobii Bared, Dionyſius VI.
poſt Joannis XII. obitum, quum Sedem Joannes Abdon adhuc occuparet, Philaretum Armenum muneribus corrupit, ut Epiſcopos duos ad conſecrandum ſe Patriarcham compelleret: id quod contigit anno Græcorum 1399. Chriſti 1088. Maphrianus Joannes cæterique Epiſcopi coacta Synodo, utrumque damnarunt, Abdonem ſcilicet & Marcum. Sed paulo poſt iterum congregati, ex duobus malis minus eligendum eſſe decernentes, Abdone rejecto, Marcum recepere, ſuadente maxime Joanne Maphriano, cui Marcus Niſibenam Diœceſim jam ipſi a Baſilio II. Patriarcha conceſſam, confirmaverat: exinde vero cœpit Niſibis ad Maphriani ditionem ſpectare. Gregorius Barhebræus in Chronico affirmat ab intruſione Marci Archimandritæ ad Synodum qua tamquam legitimus Patriarcha receptus fuit, per ſex annos Schiſma duraſſe: ſed mendum eſt manifeſtum: nam juxta eumdem Barhebræum Joannes XII. obiit anno Græcorum 1399. Chriſti 1088. quo e vivis ſublato Marcus intruſus eſt, aſſumpto Dionyſii nomine: quumque annum unum & menſes ſeptem ſediſſet, obiit anno Græcorum 1401. Chriſti 1091. adeoque nullus Schiſmati ſexennali locus: niſi forte pro ſex annis reponendi ſint ſex menſes. Porro Joannes Maphrianus, quum Dionyſii VI. electionem, ut modo dixi, probaſſet, eumdem adverſus Abdonem ſtrenue adjuvit, effecitque, ut in Cœnobio Zarnuchæ quod apud Melitinam ad amnem ſitum eſt, uſque ad obitum ſecurus habitaret. In eodem Cœnobio Cadaver Dionyſii ſepultum eſt. Ordinavit

Dionyſius Epiſcopos duos. Joannes vero Saliba Maphrianus quum annum unum ſupra triginta ſediſſet, atque Tagrito Moſulum profectus, ibi in Eccleſia Sancti Zainæ annos 11. manſiſſet, obiit anno Græcorum 1417. Chriſti 1106. die 2. Martii. Vacavit poſt eum Maphriani Sedes annis 6. & menſibus quinque.

Athanaſius VII.

XLIII. Athanaſius VII. qui & Abulpharagius Bar-Chamore, patria Amidenſis, Melitinæ educatus, monaſticam vitam in Cœnobio Barſumæ profeſſus, poſt Dionyſii VI. obitum, quum Joannes Abdon Patriarchatum adhuc uſurparet, congregatis in Caramiſo regionis Melitinenſis Caſtro Epiſcopis per ſortem electus, vix poſt menſes 9. adduci potuit, ut ſe conſecrari in Patriarcham pateretur. Gabrielis itaque Græci Melitinæ præfecti opera in Eccleſiam Curſoris vi adductus, a Timotheo Telæ Patriciæ Epiſcopo die Dominico Kalendis Decembris anno Græcorum 1402. Chriſti 1090. ordinatus eſt, Sed mox ejuſdem Gabrielis juſſu, quod ſummam pecuniæ, cui is inhiabat, non ſolviſſet, in proſtibulum conjectus, Jacobitis quater centum aureis pro ipſo pendentibus dimiſſus, in Cœnobium Barſumæ ſe recepit. Anno Græcorum 1406. Chriſti 1095. defuncto Ignatio Melitinæ Epiſcopo, Athanaſius Saidum Barſabuni virum Syriaci Græcique ſermonis peritum in Cœnobio Eliæ prophetæ in Cancrara ditionis Amidenſis vico in ejus locum Epiſcopum ordinavit, impoſito ei Joannis nomine: qui eodem anno die 4. Julii a Gabriele Melitinæ præfecto lancea percuſſus interiit. Eodem anno Græcorum 1406. Chriſti 1095. poſtquam Joannem Saidum Melitinæ Epiſcopum inſtituiſſet, Athanaſius a Joanne Saliba Maphriano Bagdadum deductus fuit, ut Diploma Patriarchatus a Chalipha Abugiapharo impetraret, quo ſe adverſus Abdonis inſidias tueretur. Sed ex urbe Bagdado reverſus, reperit Abdonem in Caſtro Manſoris defunctum, cui idem Athanaſius, ut ſupra dictum eſt, exequias celebravit. Interea quum Saido cæſo Melitina urbs, quæ a Turcis capta fuerat, ſeptem annorum ſpatio Epiſcopo caruiſſet, Athanaſius Patriarcha ad eam Eccleſiam e Gubenſi Dionyſium tranſtulit cognomento Bar-Maudiana, Athanaſii ipſius præceptorem, & Joannis Bar-Suſan olim Patriarchæ diſcipulum, qui ſcriptionem & lectionem librorum Eccleſiaſticorum ibidem inſtauravit, poſtquam exactum Divinorum Officiorum ritum, qui in Cœnobio Gaghæi obſervabatur, Cœnobitas Monaſterii Barſumæ, apud quos deſtructa ſeſe receperat, ſummo ſtudio docuiſſet. Habuit autem Athanaſius longas rixas cum Baſilio Abugalebo Bar-Sabuni, Saidi Melitinenſis fratre, viro Græci & Syriaci ſermonis perito, quem ipſe ad Epiſcopatum Edeſſæ evexerat, quod nimirum Cimelia Patriarchalis Sedis ab intruſo Abdone uſurpata, quæ apud Edeſſenos depoſita fuerant, ſibi reſtituere detrectaſſet. Quamobrem ipſum Abugalebum una cum Dionyſio Bar-Maudiana Melitinæ Epiſcopo, & Calliſutenſi atque Turabdinenſi Epiſcopis, qui pro eo precatores acceſſerant, excommunicavit, nec ullis vel ſuorum Jacobitarum, vel Antiocheni Latinorum Patriarchæ precibus induci potuit, ut eum a Cenſuris abſolveret; Presbyteros inſuper, & Diaconos, quos ille ordinaverat, perinde ac ſi manus impoſitio irrita & inanis eſſet, iterum ordinavit: Sed & in locum Dionyſii Bar-Maudianæ a ſe depoſiti ſuffecit Melitinæ Epiſcopum Eliſæum Cœnobii Bared Archimandritam, impoſito ipſi Joannis nomine, quem tamen Melitinenſes velut hominem vino addictum recipere noluerunt. In Cœnobio autem Eliæ quod apud Cancratam ſitum eſt, aliam contentionem habuit cum Iſaaco Diacono propter Eccleſiæ bona, quæ ille uſurpaverat: quumque Iſaacus Amidæ Præſidem induxiſſet, ut Patriarcham ad abſolvendum ſe a

cenſuris compelleret, Athanaſius opem Goſelini Edeſſæ Comitis imploravit, ut ex urbe Amida, quam loco carceris habebat, in Cœnobium Barſumæ juxta Edeſſam poſitum evaderet: ubi & Edeſſenam Eccleſiam propter Abugalebum Epiſcopum interdixit. Demum in eodem Barſumæ Cœnobio quum Dominica Pentecoſtes die Liturgiam inchoaſſet, ubi ad Invocationem Spiritus Sancti pervenit, deliquium animi paſſus, Epiſcopo Gargarenſi Sacrum perficiente, in cellam deportatus, Sabbato die 8. Junii anno Græcorum 1440. Chriſti 1129. deceſſit, poſtquam annos 38. ſediſſet. Cadaver in eodem Barſumæ monaſterio ſepultum. Ordinavit Epiſcopos 64. Quumque Sedes Maphriani poſt Joannis Salibæ obitum ceſſaſſet, in ejus locum anno Græcorum 1423. Chriſti 1112. die 15. Auguſti ſubſtituit Moyſen monachum, quem Dionyſium appellavit, quique primus fuit, a quo fidei profeſſionem exigeret. Hic vero Dionyſius a Sogde Metropolita Cœnobii Sancti Matthæi, & Abulpharagio Moſulano Presbytero, qui Abuſciacheium quemdam Tagritenſem Presbyterum ad Maphriani dignitatem evehere nequidquam conati fuerant, coactus Ninive, Niſibi, finitimiſque locis excedere, Tagritum deſtructam urbem petiit, eamque Chaliphæ Babylonis permiſſu novis ædificiis ornavit. Athanaſius Patriarcha Matthæanos monachos cum eodem Dionyſio Maphriano reconciliavit. Sub ejuſdem Athanaſii tempora conditum fuit Cœnobium Pheſchinenſe ad ripas Euphratis a Palutiano & Davide monachis. Dionyſius Melitinæ & Abugalebus Edeſſæ Epiſcopi eos monachos tamquam Meſſalianos damnare decreverant; Sed Athanaſius Patriarcha illos velut inſontes abſolvit. Præfuit autem ei Cœnobio poſt Davidem Habacuc Archimandrita, qui & templum exſtruxit, & regulas quas David condiderat, obſervandas curavit, ne ſcilicet monachi Vineam, aut agrum poſſiderent.

XLIV. Joannes XIII. qui & Maudiana Archimandrita Cœnobii Dovairi, quod in ditione Antiochiæ ſitum eſt, in Synodo Cbiſumæ per ſortem electus, in Telbaſer operam Goſelini Edeſſæ Comitis a Dionyſio Maphriano, poſtquam Dionyſius alter Chiſumenſis, qui Synodo præfuerat, obiiſſet, ordinatus eſt in Eccleſia Francorum die 17. Februarii anno Græcorum 1441. Chriſti 1130. In Chronico Syriaco Gregorii Barhebræi mendum ineſt, quum Joannis Maudianæ ordinatio in annum Græcorum 1440. confertur: nam Athanaſius ejus ſucceſſor, ut ſupra dictum eſt, deceſſerat die 8. Junii anno Græcorum 1440. Cognita Athanaſii morte Abugalebus Edeſſæ Epiſcopus ad Synodum Chiſumæ properavit: Sed quum Samoſatæ ex equo decidiſſet, Edeſſam deportatus, ibi diem clauſit. Joannes vero Patriarcha Mabugum profectus, quod Joannes Andreæ F. ejus urbis Epiſcopus, vir Syriaci & Armenici ſermonis peritus, ſibi obviam non occurriſſet, illum depoſuit, ſubſtituto in ejus locum quodam, quem Bar-Turcam dicebant: id quod Baſilio Samonæ F. Chiſumæ Epiſcopo adeo diſplicuit, ut abdicato Epiſcopatu in Pheſchinenſe Cœnobium ſe contulerit; ubi quinque annis moratus eſt, donec ejuſdem Patriarchæ juſſu, qui Chiſumæ pro Amida Sedem fixerat, Amidæque Baſilium Epiſcopum præfecerat, ad ſuam Eccleſiam redire coactus fuit. Idem Patriarcha tertio poſtquam Mabugo præfecerat Bar-Turcam anno, cogniiis ejus flagiriis, Sede illum amovit; Joannem Andreæ F. dignitati ſuæ reſtituens; Bar-Turcam vero primum in Tel-baſer tranſtulit, deinde Synnadam, demum Chaboram, ubi a quibuſdam Armenis ob flagitioſam quam ubique duxerat vitam interemptus eſt. Quum autem Gregorius Armenorum Catholicus (nimirum LXII. in Serie Patriarcharum Armenorum apud Galanum Tom. 1. Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Joannes XIII

Romana pag. 234.) carmen edidiſſet, quo Syros Jacobitas carpebat, quod uno digito Crucem formarent, quodque fermentato pane in Euchariſtia uterentur, & vinum, mel, oleumque tactu inſectorum polluta adhibitis precibus mundarent; Joannes Andreæ aliud carmen Armenico ſermone compoſuit, quo Armenos Judaicorum rituum accuſabat, illudque in Cœnobio quodam Ciliciæ quod Trazareg appellant, inter libros ejuſdem Cœnobii miſcuit. Gregorius gentis ſuæ famæ, quæ iis conviciis lacerabatur, conſulturus, utrumque Carmen flammis devoveri juſſit: atque ita pacem Armenos inter & Jacobitas firmavit. Sub idem tempus obiit Joannes Melitinæ Epiſcopus: quumque eam Eccleſiam Baſilius Gehonis Epiſcopus, qui in Cella Patriarchæ propter elegantiſſimum characterem & propter rerum gerendarum peritiam morabatur, ambiret, quotquot a Melitinenſibus nominabantur, rejici curabat: quos inter fuit Joſue Diaconus cognomento Bar-chetre, qui poſtea ad Patriarchalem dignitatem evectus eſt. Atque ita Epiſcopo caruit urbs Melitina per tres annos, donec obiit Joannes Patriarcha in Cœnobio Dovaiti anno Græcorum 1449. Chriſti 1137. poſtquam annos 8. ſediſſet, & Epiſcopos 12. creaſſet. Tum vero Baſilius Sigillo ejus uſus, Melitinenſem ſibi Epiſcopatum vendicavit.

**Athanaſius VIII.**

XLV. Athanaſius VIII. qui & Joſue Bar-chetre, patria Melitinenſis, poſt annum menſeſque tres ab obitu Joannis XIII. congregatis in Cœnobium Macronæ Epiſcopis Gargaræ, Claudiæ, Semchæ, & Gehonis qui Melitinam uſurpaverat, per ſortem electus, e Diacono Sæculari monachus primum inſtituitur: deinde in Cœnobio Cancratæ Presbyter ab Epiſcopo Gargarenſi ordinatur: demum in urbe Amida a Dionyſio Maphriano præſentibus duodecim Epiſcopis Patriarcha conſecratur die Dominica, 4. Decembris anno Græcorum 1450. Chriſti 1138. Poſtera die Baſilium Gehonis Epiſcopum ex urbe Melitina in Diœceſim ſuam redire juſſit, & Baſilium alterum ex Amida in Caſtrum Giaphari: Amidam enim Patriarchæ Sedem eſſe affirmabat. Hinc ortum Schiſma. nam Baſilius Gehonis in vulgus ſpargere cœpit fraudem in electione Athanaſii ab Epiſcopo Gargarenſi commiſſam fuiſſe, unius Joſue nomine in tribus Schedulis ſcripto.. Alii præterea Epiſcopi, qui Occidentales Euphratis Eccleſias regebant, nec electioni Joannis interfuerant, eum hac de cauſa pro Patriarcha recipere detrectabant. Athanaſius in Cœnobium Barſumæ profectus, duos ibi Epiſcopos creat, Melitinæ ſcilicet Theodorum Sororis ſuæ filium, & Jeruſalem Romanum ex ejuſdem urbis Cœnobio accitum: utrique nomen Ignatii impoſuit. Anno Græcorum 1452. Chriſti 1140. congregati Epiſcopi Occidentales cum Joanne Andreæ, & Baſilio Samonæ in Caſtro Manſoris, libellum Canonum condidere, & ad Patriarcham tranſmiſere, hac conditione illum recepturi, ſi eos Canones obſervaret. Promiſit Athanaſius: ii itaque in Cœnobium advenientes, obedientiam Patriarchæ exhibuere. Patriarcha vero Melitinam profectus, Chriſma in majori ejus urbis Eccleſia conſecravit: inde in Cœnobium Aaronis Sigaram ſe conferens, Maipheractenſi Epiſcopo Amidenſem Eccleſiam regendam dedit, Tarſenſi vero Antiochenam. Anno Græcorum 1453. Chriſti 1142. die 17. Junii obiit Bagdadi Dionyſius Maphrianus, quum ſediſſet annis 30. & Patriarchas duos, novemque Epiſcopos ordinaſſet, inter quos Zacchæus fuit ex Arzunenſi Eccleſia ad Niniviticam translatus, & Barbutela Cœnobii S. Matthæi Metropolita ordinatus. Eodem Chriſti anno, menſe Octobri in monaſterio Aaronis apud Sigaram Athanaſius in locum Dionyſii Maphrianum ordinavit Lazarum Cœnobii Sergii monachum, cui Ignatii nomen impoſuit. Eodem anno

Digitized by Google

menſe Decembri deceſſit Choſroes Edeſſenus Presbyter & Monachus Cœnobii Behenami in Guba, qui Perſis in Syriam irrumpentibus, Maragam abductus, ibidem ſcribendis libris operam dedit. Exaratos ab eo Codices in Eccleſia Ninivitica conſervari teſtatur Barhebræus. Interim Goſelinus Edeſſæ Comes Baſilium Samonæ F. e Chiſumenſi ad Edeſſenum Epiſcopatum, & Timotheum e Gargarenſi ad Samoſatenam Eccleſiam transferri jubet; Patriarchæ vero nomen in ſua ditione proclamari ad altaria vetat, quod a nonnullis eum illegitime ordinatum fuiſſe accepiſſet. At vero Athanaſius ut Goſelini gratiam iniret, Epiſcoporum translationem, quam is fecerat, ratam habuit, & Chiſumæ quidem pro Baſilio Eliam Monachum ordinavit. Sub idem tempus Baſilius Lacapenæ Epiſcopus ob fornicationis crimen depoſitus, quum injunctam ſibi pœnitentiam impleviſſet, a Patriarcha Cœnobiis Zabattæ primum præfectus, deinde in diœceſim Sababarchæ tranſlatus, demum poſt tres annos quum ejuſdem flagitii accuſatus fuiſſet, Epiſcopatu dejectus eſt. Joannes vero Mardæ Epiſcopus, qui ab Athanaſio VII. anno Græcorum 1436. Chriſti 1125. ordinatus fuerat, librum de Providentia Dei ſcripſit, in quo affirmabat flagella in homines non a Deo immitti, neque ea ſub Divinam providentiam cadere. Illum Joannes Chiſumenſis, & Joannes alter Andreæ F. Mabugenſis, & Saliba Preſbyter, atque Dionyſius Jacobus Barſalibæus impugnavere. Anno Græcorum 1459. Chriſti 1148. Athanaſio Amidæ commorante, Joannes Andreæ Mabugo Carſenam, & Timotheus Carſena Mabugum commutavit: ſed paulo poſt quum idem Joannes cum Philareto Carſenæ gubernatore diſſidium habuiſſet, ea urbe excedens in Pheſchinenſe Cœnobium ſeceſſit; Timotheus autem ad ſuam Carſenenſem Eccleſiam rediit. Anno Græcorum 1460. Chriſti 1149. die 18. Junii Goſelinus Cœnobium Barſumæ deprædatus eſt, & ſequenti die Monachos ejuſdem loci cum ingenti populi multitudine captivos abduxit, quod Turcarum pignora, quæ apud ipſos depoſita fuerant, tradere noluiſſent. Anno ſequenti, menſe Januario, libertate omnes donavit, poſtquam taxatam auri ſummam pro illorum redemptione accepiſſet, Turcarumque inſidias evaſiſſet. Eodem anno Patriarcha Amida digreſſus, in Caſtrum Zaidi venit, ubi & tres annos manſit: ordinavit autem Sergium diſcipulum ſuum ejuſdem Caſtri Epiſcopum, impoſito ei Joannis nomine. Anno Græcorum 1473. Chriſti 1152. Athanaſium Patriarcham in Caſtro Zaidi commorantem Ignatius Maphrianus adiit, rogaturus, ut Cœnobium S. Matthæi, cujus Metropolita per id tempus obierat, ad ſuam, hoc eſt, Maphriani ditionem adjiceret: Niniven enim, ſeu Moſulum, Cœnobium S. Matthæi, & Tagritum urbem in unam Maphriani diœceſim conjungi deſiderabat. Contra vero Tagritenſes, ne ille in urbe Ninive, aut in Cœnobio Sedem figeret, antiqua Eccleſiarum jura ſervari poſtulabant. Athanaſius inductum a Cyriaci Patriarchæ temporibus morem, Metropolitam ſcilicet Ninives Cœnobiique S. Matthæi a Maphriano diverſum conſtituendi, infringi vetuit. Et hæc quidem Patriarchæ Sententia fuit, qui in Cœnobium Barſumæ profectus, Jacobum Barſalibæum, quem ſuggeſtione Joannis Mardæ Epiſcopi interdicto coercuerat, lecto ejus adverſus eumdem Joannem libro, non modo ab interdicto abſoluit, verum etiam Epiſcopum Marhaſenſem creavit, impoſito ei Dionyſii nomine. Ignatius vero nihil intentatum reliquit, ut conſilium ſuum ad exitum perduceret. Quum itaque ad Synodum a Joanne Mardæ Epiſcopo anno Græcorum 1464. Chriſti 1153. convocatam acceſſiſſet, ejuſdem Joannis opera, additis Moſulanæ urbis præſidis mandatis, Ninivitas & Monachos Matthæanos com-

Digitized by Google

pulit, ut ſibi tamquam Metropolitano ſuo obedientiam exhiberent: atque ita Moſulanam diœceſim, qua Cœnobium & Ninive continebantur, Tagritenſi adjunxit. Anno Græcorum 1466. Chriſti 1155. menſe Januario in Cœnobio Barſumæ coacta Synodo, cui Patriarcha, Maphrianus, Joannes Andreæ, Joannes Mardæ, Dionyſis Barſalibæus Marhaſæ, & Joannes Chiſumæ interfuere, Canones XL. conditi ſunt: quumque optimates & Mardenſis Epiſcopus partes Maphriani tutati fuiſſent, Moſulanamque diœceſim, ut ſupra dictum eſt, Tagritenſi adjunxiſſent, placuit in ea Synodo unionem hujuſmodi confirmari, ſubſcribente ſe Patriarcha cum Epiſcopis Orientalibus & Occidentalibus. Joanni quoque Andreæ Turabdinenſem Eccleſiam adjecerunt, amoto ſeniore ejus loci Epiſcopo. Sed & Roabanum Joanni Chiſumenſi additum fuit, & Mabugenſis Eccleſia Dionyſio Barſalibæo Marhaſenſi Epiſcopo conceſſa. Epiſcopi denique Sibabarchæ & Lacapenæ dejecti. Anno Chriſti 1156. Joannes Andreæ in Cœnobio Ananiæ moritur. Aaron vero Hadithæ in Segeſtana Epiſcopus, quem Ignatius Maphrianus ordinaverat, pœnitentia ductus, quod a Chriſtiana fide ad Mahometanam ſectam defeciſſet, quum dignitatem Epiſcopalem recuperare nequiviſſet, Conſtantinopolim abiit, & Chalcedonenſem fidem amplexus eſt: mox in Syriam reverſus, iterum ad Mahometanos tranſiit, qua demum ſecta ejurata, Hieroſolymam pœnitentiæ cauſa primum petiit, deinde ad montem Libanum apud Maronitas ſeceſſit, ubi & vita functus eſt. Sub idem tempus Gabriel Sarugenſis Epiſcopus, & Joſephus filius ſororis & coadiutor Timothei Epiſcopi Gargarenſis, ob varia crimina dejecti fuere: invaluerat autem per eos dies apud Jacobitas mos, ut Nepotes ſuos in tenera adhuc ætate conſtitutos, coadiutores futuroſque ſucceſſores ſibi Epiſcopi deligerent. Anno Græcorum 1472. Chriſti 1161. Ignatius Maphrianus a Gemaleddino Moſulano præſide ad Georgium Iberorum regem allegatus fuit, ut Captivos Mahometanos, quos ille ex Arabum ditione abduxerat, redimeret. Anno Græcorum 1474. Chriſti 1163. Michael Archimandrita Cœnobii Barſumæ, Joannis Mardenſis Epiſcopi opera, aquas in idem Cœnobium duxit. Anno Græcorum 1475. Chriſti 1164. die 14. Junii apud Anchalum ſeu Nechel regionis Niſibenæ vicum obiit Ignatius Maphrianus, ejuſque cadaver in Cœnobium Ananiæ deportatum eſt, Cimeliis ejus Joanni Mardenſi relictis. Eodem anno obiit Melitinæ Saliba Presbyter, cui Dionyſius Barſalibæus cuncta fere quæ edidit opera nuncupaverat. Anno Græcorum 1476. Chriſti 1164. die 6. Novembris in locum Ignatii ordinatus eſt ab Athanaſio Maphrianus Joannes Sarugenſis, Cœnobii Jacobi in monte Edeſſæ inſtaurator & Archimandrita. Paulo poſt deceſſit Joannes Mardæ Epiſcopus. Athanaſium vero Patriarcham nonnulli hortabantur, ut Marden pergeret, ibique loco Amidæ Sedem figeret. Quumque is ob calculi morbum, quo affligebatur, Marden proficiſci nequiret, Dionyſium quidem Barſalibæum Amidæ Epiſcopum, Mardæ vero Michaelem Archimandritam Cœnobii Barſumæ creare conſtituit: verum morte præventus eſt. Obiit autem menſe Julio anno Græcorum 1477. Chriſti 1166. poſtquam annos 27. cum menſibus 7. ſediſſet, in Gazophylacio Eccleſiæ in Sepulcro trium Athanaſiorum ſepultus. Ordinavit Maphrianos duos, & Epiſcopos 33. Eodem anno, ut notat Barhebræus, deceſſit Joannes Patriarcha Alexandrinus LXXII. cui Marcus Patriarcha LXXIII. quadrageſimo poſt die ſucceſſit. Imo, poſt diem 44. nam Joannes obiit die 29. Aprilis anno Chriſti 1166. & Marcus inauguratus fuit die 12. Junii, ut ſupra dictum eſt.

Michael I. XLVI. Michael I. cognomento Magnus, Eliæ Presbyteri Melitinenſis

filius

filius ex familia Kandiſia, Archimandrita Cœnobii Barſumæ, congregatis in Cœnobio Pheſchinenſi ditionis Gargarenſis Epiſcopis, per ſortem Dominica Pentecoſtes electus eſt: quumque ortum eſſet diſſidium inter Epiſcopos, ad quemnam conſecrandi Patriarchæ munus ſpectaret, Synodi decreto ſancitum fuit, ut Maphrianus quidem cum duodecim Epiſcopis manum ei imponeret; Edeſſenus vero, qui Synodo præerat, Liturgiam celebraret; Melitinenſis Evangelium, Barſalibæus Epiſtolam legeret; Chiſumenſis *Divina Gratia* proclamaret; Gehonenſis denique, & Gubenſis orationes recitarent. Hoc pacto die 18. Octobris anno Græcorum 1478. Chriſti 1166. feria tertia in Cœnobio Barſumæ conſecratus Michael, libellum Profeſſionis fidei per tres Monachos ad Marcum Patriarcham Alexandrinum direxit. Mox in Cœnobium Ananiæ ſe contulit, ubi conditis undetriginta Canonibus, Marden pro Amida Sedem Patriarchæ conſtituit, Dionyſio Barſalibæo Amidam translato. Adhibitis autem Ignatio Gargatæ & Baſilio Cæſareæ Epiſcopis itineris ſociis, Edeſſam, Chiſumam, & Cœnobium Bated luſtravit, ubi Baſilium Gehonis Epiſcopum una cum nepote ejus coadjutore ob varia, quorum accuſabantur crimina, condemnavit. Mox e Cilicia Hieroſolymam profectus, eam urbem feria quinta ante Dominicam Palmarum anni Chriſti 1167. ingreſſus eſt, & in Cœnobio Magdalenæ, quod Jacobitæ incolebant, Chriſma conſecravit. Die Paſchatis Patriarcham Francorum adiit, a quo perhonorifice exceptus fuit. Inde Antiochiam petiit, ubi annum tranſigens, Chriſma conſecravit, & tres inſuper Epiſcopos, quorum unus Athanaſius fuit, in locum Athanaſii ipſius Patriarchæ patrui, qui Anazerbenſem Eccleſiam triginta tribus annis rexerat. Antequam vero Antiochiam ingrederetur, Patriarcham Græcorum Melchitarum in Coſaito commorantem inviſit. Antiochia in Cœnobium Barſumæ regreſſus, anno Græcorum 1480. Chriſti 1169. Synodum celebravit, in qua Abugalebus Monachus Gehonis Epiſcopus ordinatus eſt, & Canon conditus, ne mulieres cujuſcumque conditionis aut gradus cum Epiſcopis aut in Monaſterio Monachorum cohabitent. Eodem anno in locum Athanaſii Maipheractæ Ignatius Abugalebus Maphriani Ignatii ex fratre nepos in Cœnobio Crucis ordinatus eſt, & in locum Baſilii Edeſſeni Athanaſius Denha ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus. Ignatius vero Melitinæ Epiſcopus ejuſque frater Sergius Presbyter, quum ſe apud Patriarcham in Synodo purgaſſent, ex Melitinenſium teſtimonio abſoluti ſunt. Anno Græcorum 1481. Chriſti 1170. Manuel Comnenus Imperator per Chriſtophorum literas ad Michaelem Patriarcham de religione ſcripſit: Theorianum inſuper ad eumdem, & ad Narſetem ſeu Nierſeſem Armenorum Catholicum miſit, qui quum in Caſtrum Romanum perveniſſet, ſignificavit Michaeli, ut in Syriam ad colloquium properaret, quoniam ipſi in Meſopotamiam proficiſci non licebat. Michael Joannem Epiſcopum Chiſumæ ad Theorianum allegat. Extat in Bibliotheca Patrum & apud Galanum tom. 1. Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana pag. 242. *Diſputatio Theoriani cum Nierſeſe Armenorum Catholico*, habita anno ab orbe condito 7678. ( hoc eſt, Chriſti 1170. ) Manuelis Comneni Imperatoris anno 18. Indictione 3. die 15. Maii, cui interfuiſſe dicitur Joannes Syrus Ceſſunii ( id eſt, Chiſumæ ) Epiſcopus. Quis fuerit diſputationis exitus, colligitur ex iis Nierſeſis verbis ad Theorianum: *Ab hodierno die ſcribere literas ad Armeniorum Epiſcopos ubique gentium incipiam, quibus eos ad Synodum invitabo. Ea quum habita fuerit, in medium proponam auctoritates omnes quotquot Armenii habent, &*

*pro ipſis eſſe videntur: proponam & illa ſacrarum litterarum teſtimonia quæcumque tu mihi protuliſti*. Nierſes ſane erga orthodoxam fidem animatus erat: ſed morte præventus, ut idem Galanus pag. 322. ſcribit, optatam Eccleſiæ Armenicæ concordiam perficere nequivit: quæ tamen perfecta fuit a ſucceſſoribus Armenorum Catholicis, Gregorio Degha in Concilio Tarſenſi anno Chriſti 1177. & duobus Gregoriis hujus nepotibus, qui in Serie Patriarcharum Armenorum numerum obtinent LXIV. LXV. & LXVI. de quibus Galanus tom. 1. pag. 324. & 346. Joannes autem Syrus Epiſcopus ad catholicam duarum Chriſti naturarum confeſſionem adduci nequivit. Atque hæc ex Armenis ſcriptoribus & ex memorata Theoriani Diſputatione tradit Galanus. Verum Gregorius Barhebræus & Syri Jacobitæ rem aliter contigiſſe affirmant. Poſt peractam enim cum Nierſeſe Armenorum Catholico, & cum Joanne Syro Epiſcopo Diſputationem, Theorianus, ut ajunt, Byzantium reverſus, iterumque ab Imperatore in Syriam miſſus, Michaelem Jacobitarum Patriarcham ad Caſtrum Romanum per litteras arceſſit. Is vero Theodorum monachum cognomento Bar-Vehebun, diſcipulum ſuum mittit, ut ad Theoriani quæſtiones reſponderet. Diſceptatum eſt de ſubſtantia & natura ex Doctrina Ariſtotelica. Hinc Armenorum Catholicus, qui victas Theoriano manus dederat, viribus reſumptis, ſic ad eundem ſcripſit. *Quum Synodum celebravero, Sententiam meam Imperatori declarabo*. Epiſtolam quoque ad Michaelem Patriarcham miſit in hæc verba: *Græcorum Imperator decem nobis quæſtiones propoſuit: quinque de fide, ut nimirum duas in Chriſto unitas naturas dicamus, duas voluntates, duas operationes: ut cum tribus Synodis & quartam, & quintam, & ſextam, & ſeptimam prædicemus; ut denique e Triſagio hymno appendicem illam*, Qui crucifixus eſt pro nobis, *expungamus: & quinque Quæſtiones de Ritibus; ut ſcilicet feſtum Nativitatis cum cæteris nationibus celebremus; ut Fermentum in Euchariſtia, & Aquam in Calice ponamus: ut Chriſma ex oleo olivæ conficiamus: ut in Eccleſiis oremus, utque Liturgiam palam faciamus. Et ritus quidem reformare pro bono pacis facile nobis eſſet, duaſque naturas juxta Theologum dicere. Verum ut Particulam illam*, Qui crucifixus eſt pro nobis *expungamus, aut Sanctis viris anathema dicamus, fieri nulla ratione poteſt. His tamen non obſtantibus quidquid tu feceris, etiam nos facimus*. Michael Nierſeſem hortatus eſt, ut in patriis traditionibus perſiſteret: ad Imperatoris autem litteras ſibi per Theorianum aliumque quemdam Græcum hominem miſſas, quibus ad unitatem Eccleſiarum procurandam invitabatur, ita reſpondit: *Nos pacis ſummopere ſtudioſi ſumus, nec eam fugimus, modo cum iis fiat, qui fidem Patrum haudquaquam mutent, & cum Athanaſio atque Cyrillo unam Verbi incarnati naturam dicant*. Hic fuit exitus miſſionis Theoriani juxta Gregorium Barhebræum. Porro Michael Patriarcha eodem anno Græcorum 1481. Chriſti 1170. ædificavit Eccleſiam Cœnobii Abugalebi in ditione Gargarenſi. Anno Græcorum 1482. die 24. Septembris, hoc eſt, Chriſti 1170. Joannes Chiſumæ Epiſcopus in Cœnobio Barſumæ obiit. Curdi vero in Cœnobium S. Matthæi invadentes, Matthæum Archimandritam & Denham Incluſum interfecerunt. Anno Græcorum 1483. Chriſti 1171 exeunte Novembri deceſſit Dionyſius, qui & Jacobus Barſalibæus, Amidæ Epiſcopus, & ſepultus fuit in eadem urbe juxta ſepulcrum Abdonis, & Barſuſan Patriarcharum. Eodem anno Cœnobium apud Geziram urbem ſitum a Saracenis uſurpatum eſt, Baſilio Marciano ejuſdem loci Epiſcopo in carcerem detruſo. Eodem quoque anno inſtaurari cœptum eſt templum Melitinæ, quod Ignatius cognomento Curſor anno Græcorum 1280. Chriſti 969. exſtruxerat, perfectum autem fuit anno

Græcorum 1488. Chriſti 1177. Idem Michael Patriarcha quum Eccleſiam Amidæ ab impoſito tributo liberam feciſſet, Cœnobii Cancratæ templum ædificavit; Joannem vero Denham Callinici Epiſcopum, quem olim Athanaſius Joſue Patriarcha in Synodo in Cœnobio Ananiæ habita ab Epiſcopatu amoverat, cognita iterum ejus cauſa, Dignitate Epiſcopali & Communione privavit, donec ipſum Michaelem Antiochiæ commorantem is reſipiſcens adiit, a quo in montem Edeſſæ miſſus, ut quum eo ipſe adveniſſet Eccleſiæ alicui præficeretur, ante Patriarchæ adventum mortem præventus fuit. Anno Græcorum 1485. Chriſti 1174. Ignatius Haæ Epiſcopus a Curdis ad ſtipitem alligatus interiit. Eodem anno Michael Patriarcha Privilegium, quod Cœnobio Barſumæ in Synodo poſt obitum Barſuſan habita conceſſum confirmaverat, ne ſcilicet juriſdictioni Patriarchæ id Cœnobium ſubeſſet, revocare coactus fuit, quod inflari eo privilegio Monachi debitam Patriarchæ obedientiam excuſſerant. Anno Græcorum 1489. Chriſti 1178. diſſidium inter Joannem Maphrianum & Michaelem Patriarcham ortum eſt propter Haſſaſſinitas, ditionis Tagritenſis populum, qui a Cyriaci Patriarchæ temporibus propter illa Liturgiæ verba, *Panem cœleſtem frangimus*, ab Eccleſia Jacobitica ſeparati fuerant, & ſub Joanne Maphriano reconciliari poſtulabant. Quum enim ii Michaelem adiiſſent, rogarunt ut Epiſcopum ſibi ordinaret. Et quamvis Michael poſtulata eorum rejeciſſet, inquiens, eos utpote ſub Maphriani poteſtate conſtitutos, Epiſcopo non indigere; Maphrianus tamen ægre ferens, quod ad Patriarcham confugiſſent, palam & ubique illos ſuſceptoreſque eorum anathematizare cœpit. Michael miſſis ad Joannem duobus Monachis, hominem redarguit, quod talia in Haſſaſſinitas effutiret. Cyriacus, ajebat, & Dionyſius Telmaharenſis omnem operam adhibuere, ut eos reconciliarent, nec tamen potuere: tu vero volentes rejicis & accedentes repellis. Verum Joannes non modo in ſua pertinacia perſtitit, ſed etiam legatos Patriarchæ malue habuit: adeo ut apertum Schiſma moliretur. Quod quum ejus diœceſani ægre tuliſſent, eique ut Patriarchæ morem gereret ſuaſiſſent, is Michaelem adire veniamque ab eo petere conſtituit. At Michael rem in Synodo definiri debere affirmans, Maphrianum in conſpectum ſuum admittere noluit. Coacta itaque in Barſumæ Cœnobio Synodo, Maphrianus cum Epiſcopis ſuis adfuit, datoque Chirographo ſubjectionem Patriarchæ exhibuit: atque ita cum eo reconciliatus, vixit uſque ad annum Græcorum 1499. Chriſti 1188. quo abdicata ſponte dignitate in Cœnobium montis Edeſſæ ſe contulit: Sed paulopoſt mutata Sententia, eumdem Patriarcham rogavit, ut ſuam ſibi dignitatem reſtitueret: qua recuperata, Niniven petiit: quumque ſuper tectum Eccleſiæ oppidi Bet-Chudidæ aliquando dormiret, inde lapſus, interiit menſe Auguſto anno Græcorum 1499. Hegiræ 584. (ideſt Chriſti 1188.) quum annos 45. ſediſſet. Cadaver ad Cœnobium Sancti Matthæi tranſlatum. Gregorius Jacobus Michaelis Patriarchæ ex fratre nepos in ejus locum Maphrianus ordinatur anno Chriſti 1189. Dominica poſt Epiphaniam, ut infra ſermo erit. Quo autem anno memorata contentio inter Patriarcham & Maphrianum exarſit, id eſt, Chriſti 1178. orta eſt in Ægypto quæſtio de Sacramento Confeſſionis Marcum inter Patriarcham Alexandrinum Coptorum, & Marcum alterum Konbari filium. Michael aſſerto Confeſſionis Sacramento, utriuſque ſententiam improbavit: Marci ſcilicet Konbari, quod plus nimio ei Sacramento addictus in errorem Origeniſtarum & Meſſalianorum delapſus fuerat; Marci autem Patriarchæ, quod ab his erroribus abhorrens, Confeſſionem abrogaverat. Anno Græcorum 1491. Chriſti 1180.

Michael Patriarcha ex urbe Antiochia in Cœnobium Barſumæ ſe conferens, templi novi ejuſdem Cœnobii fundamenta jecit. Eodem anno Theodorus Bar-Vehebun, aſſumpto Joannis nomine, Patriarcha ordinatus eſt Amidæ a Schiſmaticis Epiſcopis Simeone Arzuni, Joſue Caſtri Zaldi, Abrahamo Amidæ, & altero Abrahamo Sibabarchæ. Id ubi Michael accepit, congregatis Epiſcopis Amidam profectus, inde in Cœnobium Ananiæ digreſſus eſt. Schiſmatici Epiſcopi cum ſuo Patriarcha in urbem Moſul primum, deinde Daram aufugerunt. Illos tamen Maphrianus Joannes cum monachis & Epiſcopis inſequutus, vinculis conſtrictos inde deduxit. Coacta autem in Cœnobio Barſumæ Synodo damnari ſunt omnes, ac præſertim Theodorus pſeudopatriarcha, quem ferunt tempore Liturgiæ, proprio habitu exutum, veſtibus ſæcularibus indutum fuiſſe, impoſito capiti rubro tegumento. Sed Epiſcopis in ſuas diœceſes diſcedentibus, Theodorus in Cœnobio tamquam ſub cuſtodia, monachali tamen habitu donatus, remanſit. Patriarcha autem Michaele Marden regreſſo, quidam Cœnobitæ miſeratione Theodori ducti, per Cœnobii murum fune hominem noctu demiſere, qui Damaſcum fugit; inde Hieroſolymam profectus, quum ibi de obitu Joannis Maphriani certior factus fuiſſet, concitato gradu Meſopotamiam repetiit, ſummamque auri præfecto Mardæ & Moſul obtulit, ut Maphriani dignitatem ſibi concederet: quam quum obtinere nequiviſſet, in Caſtrum Romanum apud Armenorum Patriarcham ſe recepit, cujus ope, addita etiam Regis ejus gentis auctoritate, per totam Ciliciam Patriarcha proclamatus eſt: atque ita Jacobitis in ea parte præfuit uſque ad annum Græcorum 1503. Chriſti 1192. quo obiit. Anno Græcorum 1492. Chriſti 1181. Kalig-Arſclanus Turcarum rex die 9. Julii conceſſit Diploma Michaeli Patriarchæ, quo Cœnobium Barſumæ a tributo liberum fecit: biduo poſt, idem rex Reliquias S. Petri Apoſtolorum Principis in theca dexteræ manus inſtar conformata auroque & gemmis ornata incluſas, quas e Caſtris Imperatoris Græcorum eripuerat, eidem Patriarchæ dono dedit, quæ in memorato Barſumæ Cœnobio repoſitæ ſunt. Anno Græcorum 1493. Chriſti 1182. obiit Ignatius Abugalebus Epiſcopus Maipheractæ, filius fratris Ignatii Maphriani, ejuſque in locum ſuffectus Ignatius Gabriel, ejuſdem ex fratre nepos monachus Cœnobii Barſumæ. Eodem anno die 30. Julii Cœnobium templumque vetus Barſumæ incendio conflagravit. Eccleſia nova ſpatio duodecim annorum extructa; & duobus aliis annis picturis ornata. Michael Patriarcha die 15. Maii anno Græcorum 1504. Chriſti 1193. congregata Epiſcoporum Synodo illam dedicavit. Eodem anno Chriſti 1182. Maudiana Mardæ Epiſcopus a Michaele creatus, quum ab iis civibus exagitatus fuiſſet, Byzantium adiit, ibique ſuſcepta Græcorum religione, ad Maipheractenſem diœceſim remiſſus eſt. Eodem anno obiit Ignatius Hieroſolymæ Jacobitarum Epiſcopus, qui eam Eccleſiam annis 45. rexerat. Athanaſius Patriarchæ frater in ejus locum ſubrogatus, quum a monachis & Clericis ejus urbis nequaquam admitteretur, ad Antiochenam ditionem regreſſus, die 21. Octobris anno Græcorum 1504. Chriſti 1192. in Cœnobio Dovairi deceſſit, eique ſucceſſit Ignatius Sahada ejuſdem monaſterii Abbas. Anno Græcorum 1504. Chriſti 1193. Joannes Patriarcha Alexandrinus LXXIV. Petrum Epiſcopum ad Michaelem cum libello fidei allegavit: quo lecto Michael nomen Joannis in omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis recitari juſſit. Eodem anno Gregorius Armenorum Catholicus menſe Julio in Cilicia deceſſit, ejuſque ex fratre nepos Deraſa adhuc puer Patriarchalem dignitatem obtinuit, quem Leo Armenorum Rex anno Græcorum 1506. Chriſti 1195. depoſuit, & Baidarum quemdam Catholicum ordinari cura-

vit. In hiſtoria Patriarcharum Armeniæ per Galanum edita, poſt Gregorium cognomento Degham, qui Nierſeſem excepit, Gregorii duo num. 65. & 66. recenſentur, quorum primus fortaſſe Deraſa fuit, alter Baidarus. Conjectura noſtra confirmatur ex eo quod Gregorio LXV. anni duo Patriarchatus apud Galanum pag. 346. tribuuntur: totidem autem annis præfuiſſe dicitur Deraſa apud Barhebræum. De Gregorio vero LXVI. qui in Chronico Syriaco Baidarus dicitur, hæc habet Patriarchalis Armenorum hiſtoria; *Domnus Gregorius, præcedentium Patriarcharum Gregorii, & Nierſenſis Ghelajenſis nepos, anno 7. obiitque in urbe Siſi*. Exſtant plures Epiſtolæ hujus Gregorii, necnon Leonis Regis ad Innocentium III, de quibus Galanus pag. 346. ad pag. 365. Anno Græcorum 1058. Chriſti 1197. diſſidium de Paſchate fuit, Græcis Paſcha die 30. Martii celebrantibus, quum decima Februarii jejunium inchoaſſent; Syris vero, Armenis, & Ægyptiis altera Dominica, hoc eſt, die 6. Aprilis. Hæc, inquit Barhebræus, confuſio nonageſimo quinto quoque anno contingere ſolet, quum quartadecima Judæorum in Sabbatum incidit. Iberes, quod Armeni ſecum Paſcha minime celebrarent, ægre ferentes, Eccleſiam eorum flammis devoverunt; Armeni autem ad arma provocantes, a bello Iberibus indicto non deſtitere, donec ii pro combuſta quidem Eccleſia centum millia denariorum, pro ſingulis vero hominibus, (quadraginta enim eo incendio abſumpti fuerant:) mille perſolverunt. Anno Græcorum 1511. Chriſti 1199. die 7. Novembris, deceſſit Michael Patriarcha, quum annos 33. ſediſſet, creatis Maphriano & Epiſcopis 54. Corpus ſepultum fuit in Eccleſia nova Cœnobii Barſumæ in Sepulcro, quod ipſe ſibi vivens ante altare aquilonare poſuerat.

XLVII. Athanaſius IX. olim Saliba dictus, Cœnobii Barſumæ Archimandrita, die 16. Decembris anno Græcorum 1511. Chriſti 1199. in Cœnobio Modik regionis Claudiæ, ubi Epiſcopi 15. convenerant, per ſortem electus eſt, reluctantibus Gregorio Maphriano ejuſque factionis Epiſcopis, qui Joſue Labeonem Michaelis Patriarchæ ex fratre nepotem ordinandum curarunt. Et Gregorius quidem, anno Græcorum 1500. Chriſti 1189. Dominica poſt Epiphaniam, ut ſupra dictum eſt, inſciis Orientalibus a Michaele patruo in locum Joannis Maphrianus ordinatus, ſoluta ingenti pecuniæ ſumma a Moſulano præſide obtinuerat, ut Sigare, Chaboræ & Niſibi præeſſet: nam Matthæani Cœnobitæ cum Ninivitis, Moſulanis & Tagritenſibus convenerant, ut Charimum Maſeæ filium Cœnobii S. Matthæi Monachum a quatuor Epiſcopis Orientalibus, Ignatio ſcilicet Gabriele Ormiæ, Joanne Rahedo Baarbajæ, Saliba Cœnobii S. Matthæi, & Baſilio Matthæo Bagdadi, Maphrianum eligi & ad Patriarcham conſecrationis cauſa adduci curarent. Quum autem Gregorium a patruo ordinatum acceperunt, oblata Moſulano præſidi duplo majori, quam is dederat, pecuniæ ſumma, Gregorio quidem interdixere, ne Moſulum, Niniven ac Cœnobium ingrederetur; Charimum vero in Cœnobio S. Matthæi Sabbato ante Dominicam Palmarum anno Græcorum 1500. Hegiræ 585. Chriſti 1189. Maphrianum ordinarunt, impoſito ei Dionyſii nomine. At Gregorius annuum tributum duorum millium aureorum in ſe recipiens, Dionyſium anno Hegiræ 586. die 10. menſis 6. in carcerem detruſum, vigeſimotertio poſt die veſtibus Pontificiis in Eccleſia Moſulana exui, atque in regionem Maipheractæ, & Hatachæ relegari præcepit: atque ita quum totum ſibi Orientem ſubjeciſſet, Athanaſii Salibæ Patriarchæ ordinationi ſeſe oppoſuit. Et Amidæ quidem cum tribus Orientalibus Epiſcopis fratrem ſuum Joſue Labeonem Patriarcham inſtituere ſatagebat. Verum a Menna ejuſdem Civitatis Epiſcopo, qui pluri-

Athanaſius IX.

mum apud omnes medicinæ cauſa pollebat, urbe excedere compulſi ſunt.

Michael II. XLVIII. Michael II. cognomento junior, qui & Joſue Labeo Michaelis Magni ex fratre nepos, Amida cum Gregorio Maphriano fratre, ut modo dicebam, ejectus, in Cœnobio Ananiæ apud Marden corrupto muneribus ejus urbis præſide, feria 6. quam Confeſſorum vocant, ideſt in Albis, anno Græcorum 1511. Chriſti 1200. Patriarcha ordinatus, tres ipſe ibidem Epiſcopos creavit. Inde a Mardenſibus pulſus, Turabdinum pertexit: mox Melirinam; ubi in paterna Domo delituit. Anno Græcorum 1512. Chriſti 1201. Turabdinenſes principem ſuum ſupplices rogarunt, ut Athanaſium Patriarcham eo venire permitteret. Athanaſius perhonorifice ab illis exceptus, Cœnobium Cattaminenſe adiit, ubi Epiſcopum Caſtri Zaidi ordinavit. Marden poſtea profectus, quum accepiſſet Rocnaddinum Melirinæ dominum a Joſue ſubordinatum, Cœnobio Barſumæ eum præfeciſſe: Afraphi regis Adeli filii, & Sediddaulæ Ægyptii ejus Scribæ opera ab eodem Rocnaddino ineunte Julio obtinuit, ut Joſue ejecto ipſe in eo Cœnobio Sedem figeret. Et Mardæ quidem duobus annis, antequam id a Rocnaddino impetraſſet, commoratus fuerat: deinde Rheſinam cum Afrapho Rege pertexerat, cujus Eccleſiam inſtauravit una cum Cœnobio Saphyli, quod ſupra eam urbem ſitum eſt: demum in Cœnobio Abugalebi a Januario ad Julium uſque manſit, donec Monaſterium Barſumæ, jubente Rocnaddino, ut modo dixi, ipſi reſtitutum fuit. Joſue vero Melitinam repetiit, domique manere compulſus eſt uſque ad Athanaſii obitum. Anno Græcorum 1515. Hegiræ 600. Chriſti 1203. die 24. Decembris obiit Dionyſius Charimus Maphrianus, & in majori Maipheractæ Eccleſia ſepultus eſt. Anno Græcorum 1518. Chriſti 1207. obiit Athanaſius IX. Patriarcha in Cœnobio Barſumæ, quum annos ſeptem ſediſſet: Sub idem tempus Simeon medicus Heſnenſis Cœnobium Zonicratæ in ditione Caſtri Zaidi, ubi Debas & Arſanias fluvii conjunguntur, inſtauravit, ſexaginta monachis eo deductis, qui communem vitam inſtar Cilicum monachorum ducebant. Poſt Athanaſii obitum Michael II. qui & Joſue Labeo, ſubornato Montagebo Melirinæ domino, Sedem iterum invadens, Cœnobium Barſumæ occupat. Tum Mennas Amidæ Epiſcopus, Theodorus Edeſſæ, & Stephanus Caſtri Manſoris, quod petitam ab eo ad ſolvendum Domino Amidæ tributum pecuniam non impetraſſent, in Cœnobio Siræ cum aliis Turabdini Epiſcopis congregati, decreverunt Joſue Scribam Romanum, qui ibidem anachoreticam vitam ducebat, Patriarcham ordinare. Is vero Niſibin aufugit. Labeo miſſis ad Epiſcopos binis Cœnobii Barſumæ Abbatibus, pollicitus eſt ſe auri ſummam quam vellent iis daturum, modo ab ordinatione alterius Patriarchæ abſtinerent. Epiſcopi autem fraudem in promiſſis Labeonis ſuſpicati, duos ex ipſis Niſibin cum Amictu Patriarchali allegant, ut Joſue monachum in id Cœnobium vi pertraherent. Invitum itaque & reluctantem ordinant in Cœnobio Siræ anno Græcorum 1519. Chriſti 1208. impoſito ei Joannis nomine.

Joannes XIV. XLIX. Joannes XIV. qui & Joſue Scriba, cognomento Puſillus, monachus Cœnobii Siræ, anno Græcorum 1519. Chriſti 1208. ut modo dictum eſt, Patriarcha ordinatus, in Cœnobium Baximatenſe, Epiſcopos fugiens, ſe recepit, ibique tandiu deliruit, donec Archimandritæ Cœnobii Gavicathæ, quod apud Mopſueſtiam ſitum eſt, opera, a Leone Armenorum Rege commendatitias ad Ezzaddinum Cæſareæ Cappadociæ tyrannum litteras impetravit, ut ejus tamquam Patriarchæ nomen ubique proclamaretur. Cæſarea itaque Melitinam ſe contulit. Inde in Cœnobium

Barſumæ perrexit: mox Edeſſam, Amidam, Marden, Turabdinum, aliaſque Meſopotamiæ urbes luſtravit, comitantibus ipſum Menna Amidæ, ac Theodoro Edeſſæ Epiſcopis cum ingenti Cleri populique multitudine, qui incredibilem auri ſummam ea occaſione congeſſere. Abſoluto circulo Joannes e Cœnobio Barſumæ, quo reductus fuerat, in Ciliciam ad monaſterium Gavicathæ iterum confugit. Labeo vero quum Barſumæ Cœnobium ſubornato Melitinæ præſide occupaſſet, ibidem rumorem accepit, Gregorium Maphrianum ſuum fratrem, qui ipſum in Cœnobio adire conſtituerat, poſtquam in Caſtrum Hael regionis Sigaræ perveniſſet, morbo correptum obiiſſe, ejuſque cadaver in Cœnobium Matthæi delatum, ibi ſepultum fuiſſe anno Græcorum 1526. Chriſti 1215. Quo nuncio ſummopere contriſtatus, exactis ab obitu fratris quadraginta diebus, deceſſit & ipſe in Cœnobio Barſumæ. Labeone extincto, Joannem Patriarcham Epiſcopi e Cilicia ad Cœnobium Barſumæ reduxere, qui Davidem monachum ac Presbyterum, impoſito ei Ignatii nomine, in locum Gregorii eodem anno Græcorum 1526. Chriſti 1215. Maphrianum ordinavit. Porro Ignatius David die 27. Julii ejuſdem anni urbem Moſulanam ingreſſus eſt; tertio autem poſt anno Tagritum petiit, Jacobitas ejus loci inviſurus, a quibus cum incredibilis lætitiæ ſignificatione exceptus eſt, Evangeliorum Codicem cruceſque præferentibus, atque hymnos Syriace & Arabice concinentibus. Quod quum Mahometani ægre ferrent, Maphrianus quidem Chaliphæ Bagdadenſis juſſu in carcerem conjectus fuit; Tagritenſes vero mulctam viginti millium aureorum perſolverunt. Tagrito igitur Ignatius aufugiens, Niniven regreditur, ibique a Simeone Bartelæ principe exagitatus, Chaboram pergit, deinde in Cœnobium Barſumæ, Joannem Patriarcham ſalutaturus, a quo Melitinæ urbis Epiſcopatu auctus eſt anno Græcorum 1529. Chriſti 1218. Joannes vero propter Simeonem quemdam Cœnobii Barſumæ monachum illud monaſterium relinquere coactus, Cellulam ſibi in monaſterio Modik in regione Claudiæ extruxit, ibique habitavit, donec Simeon interiit. Tum vero a Cœnobitis in Barſumæ monaſterium reductus, manſit ibi uſque ad annum Græcorum 1531. Chriſti 1220. quo deceſſit. Porro Joannes Joſue ſtatura puſillus erat, & tenui gracilique corpore præ continuo jejunio, ut ſcribit Barhebræus. Anno vero Græcorum 1522. Chriſti 1211. Synodicam ſcripſit ad Joannem Patriarcham Alexandrinum LXXIV. camque miſit cum Joanne Damaſci Epiſcopo, Abrahamo Archimandrita Baximatenſi, Lazaro monacho ac Presbytero Turabdinenſi, & Cyriaco monacho.

L. Ignatius II. qui & David Maphrianus, ab Epiſcopis Batconone Calliſuræ, Eudoxio Lacabenæ, Baſilio Caſtri Zaidi, aliiſque, qui poſt obitum Mennæ Amidæ, Theodori Edeſſæ, & Chamiſii Turabdini, in Cœnobio Modik convenerant, poſtquam Sedes duobus circiter annis vacaſſet, communibus ſuffragiis Patriarcha electus, in monaſterio Barſumæ Dominica Pentecoſtes anno Græcorum 1533. Chriſti 1222. conſecratus fuit: quod tum primum contigit, ut Maphrianus ſcilicet Orientalium ad Dignitatem Patriarchæ eveheretur. Eodem tempore Salibam Bapharſaltenſem ex Epiſcopo Geziræ Maphrianum ordinavit, impoſito ei Dionyſii nomine. Dimiſſa autem Synodo, profectiſque ad ſuas diœceſes Epiſcopis, Ignatius Patriarcha e Cœnobio Barſumæ ad monaſterium Zonicratæ juxta Caſtrum Zaidum ſitum perrexit, poſtquam Melitinæ optimatibus ſummam auri, quam pro ſua ordinatione poſtulaverant, perſolviſſet. Inde tranſmiſſo Euphrate, Cœnobium Abugalebi petiit: quumque Aladdinum Kicobadum Regem adveniſſe Melitinam comperiſſet, eum Ignatius II.

cum ingentibus donis ſalutaturus adiit, a quo perhonorifice exceptus fuit. Tum vero inſtaurationi magni Cœnobii animum applicavit, exſtructa picturiſque ornata nova Eccleſia, quam Michael Patriarcha inchoaverat. Aſſumptis autem itineris ſociis Dionyſio Melitinæ Epiſcopo, Aria Heſnæ, & Saliba Cuphlidæ Archimandrita, Hieroſolymam pettexit, ubi a Francis ſummo cum honore exceptus, in Cœnobio Magdalenæ, in quo ſeptuaginta monachi Jacobitæ degebant, commoratus eſt. Ibi Thomam quemdam monachum Æthiopem, ut Cyrillo Alexandrino Coptorum Patriarchæ LXXV. qui in alienam diœceſim manus injiciens, Metropolitam Hieroſolymæ ordinaverat, par pari referret, Francis Hieroſolymæ dominis inconſultis, Epiſcopum Abiſſinorum inſtituit. Francos ob illam ordinationem indignatos Dionyſius Saliba Claudiæ Epiſcopus placavit, quum diceret, illos a Patriarcha Ignatio conſultos, num ſibi facultatem ordinandi illum Metropolitanum dare vellent, reſpondiſſe, ut faceret quidquid æquum judicaret. Sed quum Ignatius reſciviſſet, Thomam Æthiopem a ſe ordinatum, coram Francis profeſſionem fidei emiſiſſe, anathematis ſententiam in eum pronunciavit, qui tamen Francorum auctoritate confirmatus, dignitatem retinuit, & in Coptos atque Abiſſinos Hieroſolymæ degentes, eorumque Eccleſias plenam juriſdictionem exercuit. Interea Ignatius Paſchalibus feſtis Hieroſolymæ celebratis, Epiſcopos & Archimandritas vocat, ut cauſam Dionyſii quem ipſe ad Epiſcopatum Melitinenſem evexerat, judicarent: Eum enim ajebat acceptorum beneficiorum immemorem, conſpirationis, quam Cœnobitæ Barſumæ in ipſum moliti fuerant, auctorem fuiſſe. Illi decreverunt, Dionyſium Melitinenſi Epiſcopatu dejiciendum eſſe, & ad Alepenſem Eccleſiam, unde Melitinam translatus fuerat, revocandum. Ignatius Hieroſolymis Antiochiam profectus, Dionyſium in urbem Alepum remiſit. Quumque Antiochiæ ætatem tranſegiſſet, autumno appetente Cœnobium Barſumæ petiit. Et Melitinam quidem venire juſſit Dionyſium Salibam Claudiæ Epiſcopum, ut natalitia feſta celebraret: quibus peractis ipſe Ariam Melitinæ Epiſcopum ordinat: quo intra anni ſpatium defuncto, Aaronem monachum ac Presbyterum, cognomento Angur, menſe Januario in ejus locum ſubſtituit, impoſito ei Dionyſii nomine. Ordinatio in Cœnobio Curſoris apud Melitinam ſito peracta. Ejus vero Cœnobii Eccleſiam Deiparæ nuncupatam inſtauravit, ædificatis juxta Cœnobium Xenodochiis duobus, altero pro Chriſtianis, altero pro Mahometanis, qui fanum etiam ſuæ ſuperſtitionis ibidem excitandum curarunt. Eccleſiam inſuper in Caſtro Romano a fundamentis exſtruxit. Mox Antiochia regreſſus, hortum in ſuperiori urbis parte a Francis emit, ubi Eccleſiam & Cellulas, in quibus Patriarcha manere poſſet ædificavit. Anno Græcorum 1542. Chriſti 1231. quum Dionyſius Saliba Maphtianus adverſus Curdos in terram Capharſaltenſium invadentes armatus procederet, lancea confoſſus menſe Septembri occubuit. Joannes Aaron Bar-maadani Mardæ Epiſcopus ab Ignatio Patriarcha in ejus locum anno Græcorum 1543. Chriſti 1232. Maphrianus ordinatus eſt, qui quum in urbe Ninive ad quinquennium manſiſſet, Bagdadum anno Græcorum 1548. Chriſti 1237. petiit. Anno Græcorum 1554. Chriſti 1243. die 3. Auguſti idem Maphrianus Joſephum monachum Mardenſem inſtituit Geziræ Epiſcopum, impoſito ei Gregorii nomine. Anno ſequenti a Moſulanis & Ninivitis invitatus, poſt ſuſceptam Hieroſolymitanam peregrinationem, ægre tandem adduci potuit, ut ad eos rediret. Anno Græcorum 1557. Chriſti 1246. die 14. Septembris in feſto S. Crucis, Abulpharagium Melitinenſem Aaronis medici filium, cognomento Barhebræum, Antiochiam accitum, Epiſcopum Gubæ ordinat; Salibam vero Vagium urbi Aco ſeu Ptolemaidi præficere decreverat: ſed ne id exequeretur,

efficit Athanaſius Joſue Patriarchæ ipſius diſcipulus, qui ex Lacabenæ Epiſcopatu ad eam Eccleſiam translatus eſt. Mortuo igitur paulo poſt Dionyſio, idem Saliba Alepi Epiſcopatum obtinuit. Poſthæc ædificavit Patriarcha Eccleſiam Deiparæ in Siſide ad latus majoris Armenorum Eccleſiæ, quæ commune ejus urbis excidium ab Ægyptiis anno Græcorum 1560. Chriſti 1249. illarum ſola evaſit. Eodem tempore Iſa Edeſſenus medicus alteram Jacobiticæ genti Eccleſiam Barſumæ nuncupatam in eadem urbe exſtruxit. Ignatius vero Patriarcha non ædificiis tantum Eccleſiarum, verum & Scholarum inſtitutione gentem ſuam juvare ſatagebat. Quumque podagræ & calculi morbo per Baſilium Salibam Vagium Alepenſem Epiſcopum levatus fuiſſet, Antiochia in Cœnobium Barſumæ, Monachorum & Epiſcoporum agmine ſtipatus, ſe contulit. Huc ad celebrandas ſecum Quadrageſimales Solemnitates Dionyſium Melitinæ aliosque Epiſcopos accivit. Dionyſius, & Epiſcopi Gubæ, Calliſutæ, & Claudiæ, quod Patriarcham in ipſos male animatum ſuſpicarentur, adire eum recuſarunt. Patriarcha ab Aarone Lacabenæ Epiſcopo admonitus de ſtructis ſibi apud Melitinæ optimates inſidiis, e Cœnobio Barſumæ in regionem Coratam quæ in ditione Alepi eſt, noctu ſe proripuit, ubi in quodam pago, qui Marde vocatur, in horto cujuſdam Syri Jacobitæ habitavit. Et Synodum quidem adverſus Dionyſium Melitinæ Epiſcopum, datis ad Joannem Bar-Maadani Maphtianum, & ad cunctos Syriæ, Palæſtinæ, ditioniſque Romæorum Epiſcopos litteris indixit. Verum quum Maphrianus, niſi præmiſſo ſibi de futura in Patriarchatu Succeſſione Chirographo, adeſſe recuſaret, infecta re Synodus dimiſſa eſt. Patriarcha veritus ne a Cotaræ præfecto Edeſſam mitteretur, in Caſtrum Romanum opera Jacobi Presbyteri ejuſdem Caſtri deportatur: ubi a Conſtantino Armenorum Catholico perhonorifice exceptus, litteras ſuſpenſionis & interdicti in Dionyſium Melitinæ Epiſcopum ad Presbyteros & principes locorum omnium viros ſcripſit, quas tamen nemo legere palam auſus eſt. Conſtantinus in Serie Patriarcharum Armenorum eſt ſeptuageſimus, ſeditque annos 47. poſt Nierſeſem, tres Gregorios, Joannem, Davidem, & Joannem, ut refert Galanus tom. 1. Conciliat. Eccleſ. Armenæ cum Romana pag. 373. Sub idem tempus dimiſſo Aaron Lacabenus Epiſcopatu, Hieroſolymam petiit, ubi in Cellula ſe clauſit. Ignatius autem Patriarcha Gregorium Abulpharagium Barhebræum ex Guba ad Lacabenæ Eccleſiam tranſtulit; Gubæ vero Epiſcopum ordinavit Barſumam filium fratris Lazari ejuſdem urbis olim Epiſcopi. Danielem autem Chabotæ Epiſcopum, Maphriani Joannis diſcipulum, qui Patriarchæ nomine Epiſtolam ad Mardæ dominum calumniis plenam adverſus Maphrianum præceptorem ſuum ſcripſerat, Cella ſua excedere juſſit, qui Alepum profectus, apud Negemum quemdam Mahometanum Dialecticæ animum applicuit. Denique Ignatius poſtquam Ayronum Armenorum Regem, & Conſtantinum ejuſdem gentis Catholicum, qui ipſi quod Armenis Eccleſiam concedere noluiſſet ſuccenſuerant, rejecta in Epiſcopos & Presbyteros ſuos Jacobitas culpa placaſſet, in Caſtro Romano die 14. Junii anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. deceſſit. Exequias idem Catholicus celebravit, & cadaver ad Orientalem majoris Armenorum Eccleſiæ partem ſepeliendum curavit. Adfuere morienti præter ingentem Presbyterorum ac Monachorum multitudinem duo Epiſcopi Jacobitæ, Gregorius ſcilicet Caſtri Manſoris, & Baſilius Robani. Ejus temporibus claruere Bagdadi Archiatri fratres Thomæ filii,

Sciamſoddaules, Tagiddaules, & Phecroddalles, qui Athanaſium Simeonem Epiſcopum Bagdadi, Joannis Maphriani æmulum, excedere urbe coegerunt, & in Hadatha oppido diem claudere. Floruit & Jacobus Severus, Epiſcopus Cœnobii S. Matthæi, qui quum ad Ignatium Patriarcham proficiſcetetur, obiit anno Græcorum 1542. Chriſti 1231. Sub eodem Ignatio Patriarcha, & Joanne Maphriano miſſi fuere ab Innocentio IV, Romano Pontifice Sacti Oratores ex Ordine Prædicatorum & Minorum ad omnes fere Chriſtianos Orientis populos. Exſtat ejuſdem Innocentii IV. Epiſtola ad Laurentium Ordinis Fratrum Minorum ( lib. 4. Epiſt. 132. ) qua ei ampliſſimam in Oriente provinciam demandat: *De circumſpectione*, inquit, *tua plenam in Domino fiduciam obtinentes; te ad partes tranſmarinas tamquam pacis angelum, commiſſo tibi in Armenia, Iconio, Turchia, Græcia, & regno Babyloniæ, ac ſuper omnes Græcos tam in Antiocheno & Hieroſolymitano Patriarchatibus, quam regno Cypri morantes: necnon ſuper Jacobitas, Maronitas, & Heſtorianos, plenæ legationis officio:* Hæc fuſe refert Raynaldus ad annum Chriſti 1247. a num. 30. Eodem anno 1247. Ignatius Patriarcha, & Joannes Maphrianus Jacobitarum ad eumdem Innocentium IV. litteras dederunt, in quibus fidei ſuæ profeſſionem emittunt, eademque ſecum de religione ſentite affirmant Ægyptios, Armenos, Libyos, & Æthiopes, tam circa Trinitatis & Unitatis myſterium, quam circa Incarnationem Verbi, & Primatum Romanæ Eccleſiæ. Vide Raynaldum a num. 36. ad num. 42. Et quidem Ignatius a Summo Pontifice ad unitatem & concordiam Eccleſiarum invitatus, eam libentiſſime ſe amplecti teſtatur: *Sed in firmamentum pacis, & concordiæ*, inquit, *petimus a Sanctitate Veſtra, Primo, quod Patriarcha noſtro mortuo congregentur Archiepiſcopi, & ſtatuant ſibi ſecundum Canonem, & ſecundum Sortem Apoſtolorum, quem elegerit Spiritus Sanctus: & hoc ſecundum Canones & conſuetudines noſtras. Secundo, quod Patriarcha, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi Latini, qui ſunt in partibus noſtris, non judicent ſuper Patriarchas & Archiepiſcopos noſtros, ſed ſicut eſt præceptum veſtrum, ſuper Patriarchas & Archiepiſcopos Latinos; ita & ſit ſuper nos: & iterum ſicut recipiunt ſententias & judicia veſtra, ita & nos: Tertio, quod Patriarcha & Archiepiſcopi & Epiſcopi Latini non accipiant cenſum de Eccleſiis & Monaſteriis, quæ habemus in terris ipſorum: ſed communicent nobis libertates Eccleſiæ, ſicut filiis in honore: & nos ſemper exhibeamus eis reverentiam & honorem. Alioquin non erit decens, quod illa, quæ cum magno labore habemus, contra libertatem Eccleſiæ concupiſcant. Quarto, quod illi de gente noſtra, qui contrahunt cum Latinis, non compellantur ad Confirmationem ſecundam; cum ſint inſigniti charactere baptiſmali, & confirmati fuere una vice. Cum pace igitur & concordia tollatur hæc Confirmatio.* Hucuſque Ignatius. Verum ſi ejus, & Joannis Maphriani fidei profeſſio quam Innocentio IV. exhibuere, attente conſideretur, in iis potiſſimum quæ ad Verbi Incarnationem ſpectant, a Jacobiticis erroribus vix ac ne vix quidem immunis eſſe pronunciabitur. En verba Ignatii Patriarchæ: *Et ipſe in veritate eſt perfectus Deus, & perfectus homo: unus Chriſtus ex duabus naturis divina & humana.* Joannis autem Maphriani: *Filius unus natus ex Patre, primo nativitate æterna, & ex Maria Virgine poſtremo nativitate temporali. Una perſona, una ſubſtantia ex duabus ſubſtantiis, non quod divinitas converſa ſit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem; nec quod compoſita ſit ex iis duabus ſubſtantiis ſubſtantia tertia; ſed eſt unita ſecundum normam unionis vitæ non accidentalis. Et licet*

*licet unio excludat dualitatem , & tamen indicia duarum naturarum & proprietates earum permanent in ipſo , & diſcernuntur ſolo intellectu*. Hæc ipſa eſt Dioſcori, Severi, aliorumque Monophyſitarum ſententia, qui ajebant quidem Chriſtum eſſe ex duabus naturis ſine confuſione, ſine miſtione, & ſine diviſione ; non tamen in duabus naturis eum eſſe affirmabant , quod Sacra Chalcedonenſis Synodus definivit . Sileo dolum fraudemque in utriuſque Epiſtola , in qua de Concilio Chalcedonenſi ne verbum quidem ; ſed Ignatius ſolum ait , *ſe recipere omnes qui ſequuntur fidem B. Petri Principis Apoſtolorum , & incedunt per viam Nicæni Concilii , quicumque ſunt illi de Doctoribus Eccleſiæ Sanctæ , quorum veritas nota eſt apud excelſum Deum : item ſe damnare & excommunicare omnem deviantem a fide B. Petri , & Concilii Nicæni , & corrumpentem rectitudinem fidei Chriſtianæ a tempore Simonis Magi uſque ad diem hanc , quicumque ſint illi , & ipſi noti ſunt apud Deum* . Hoc enim & Neſtoriani aſſerunr , aliique hæretici Nicæno Concilio poſteriores , qui tamen non continuo Catholici cenſentur . Quod igitur Jacobitæ confiteri debent , ut ſe orthodoxos eſſe oſtendant , illud eſt , ut duas Chriſti naturas differre affirment , utque Sacrum Chalcedonenſe Concilium tomumque Leonis Papæ admittant : quod longa verborum ambage recuſate ſolent . Id enimvero a Joanne Alexandrino Coptorum Patriarcha exegit Eugenius IV. in Decreto pro Jacobinorum unione , quod extat Tom. 13. Conciliorum Labb. a pag. 1204. & in altero Decreto pro unione Ignatii Syrorum Jacobitarum Patriarchæ , eod. Tom. a pag. 1222. Nimirum perſpectas habebat exploratasque hæreticorum orientalium fraudes , quæ Sæculo decimo tertio miſſis Apoſtolicis tam ex Minorum , quam ex Prædicatorum ordine ignotæ erant & obſcuræ . Hæc idcirco fuſe expoſui , quia Raynaldus exiſtimavit relatam Ignatii Joanniſque fidem a catholica nequaquam diſſentire , præter id quod de Sacramento Confirmationis idem Ignatius aſſeruit . Verba Raynaldi ad annum Chriſti 1247. num. 36. hæc ſunt . *Proclivem ſe ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem exhibuit Ignatius Jacobitarum Orientalium Præſul , atque ubi expoſuit quanto honore ac lætitiæ ſignificatione Apoſtolicas litteras excepiſſet , fidei ſuæ formam ſubjecit , quæ catholicæ veritati conſentit , ſi veterem Armenorum circa Sacramentum Confirmationis errorem , quo irretitus tenebatur , exceperis : qui quum a Conciliis & Patribus , ac recentioribus theologis abunde ſit confutatus , in eo refellendo non commorandum* . Raynaldus errorem Ignatii circa duas Chriſti naturas non advertens , ejus fidei formam catholicæ veritati conſentire pronunciat ; id vero , quod de Sacramento Confirmationis ex Orientalium omnium ſententia idem Ignatius aſſerit , tamquam errorem a Conciliis , Patribus , ac recentioribus Theologis confutatum traducit : nimirum putat vir doctus , hoc Sacramentum ab Ignatio negari , vel cum Sacramento Baptiſmi confundi . Verum non in ea fuit ſententia Ignatius ; ſed ſolum ab Innocentio IV. poſtulat , ut Confirmatio a Jacobitis una cum Sacramento Baptiſmi ex more Eccleſiæ Orientalis collata , rata habeatur , etiamſi a Presbyteris adminiſtrata fuerit , nec illam permittat a Latinis Epiſcopis iterari Jacobitis , qui cum Latinis contrahunt . Hæc eſt Orientalium doctrina de Sacramento Confirmationis a Præsbyteris adminiſtrato ex conceſſione Patriarcharum , tamquam ab extraordinario Miniſtro , quam probant Morinus , Goarus , Holſtenius , Habertus , Iveninus , aliique Theologi . Sed ad Seriem Patriarcharum Jacobitarum redeo.

LI. Dionyſius VII. qui & Aaron Angur, Melitinæ Epiſcopus, in Cœno- Dionyſ. VII.

bio Barſumæ anno Græcorum 1564. Chriſti 1253. die 14. Septembris ab Epiſcopis Dionyſio Claudiæ, Gregorio Caſtri Manſoris, Gregorio altero Abulpharagio Barhebræo Lacabenæ, Barſuma Gubæ, & Baſilio Damiano Cæſareæ, Patriarcha ordinatus eſt, diſſentiente Joanne Barmaadani Maphriano cum nonnullis ſuæ factionis Præſulibus, qui ipſum Maphrianum dignitati Patriarchali inhiantem ad Schiſma faciendum impellebant. Eodem die Gregorium quidem ex Eccleſia Caſtri Manſoris ad Melitinenſem tranſtulit; Barſumam vero Diaconum Ignatii Patriarchæ conſanguineum, ordinavit Caſtri Manſoris Epiſcopum, impoſito ei Ignatii nomine. Joannes autem Maphrianus congregatis Orientalibus ac Turabdinenſibus Epiſcopis Edeſſam petiit, Dionyſii Angur electionem impugnaturus. Hic vero ut ſibi hominem conciliaret, humaniſſimas litteras per Gregorium Abulpharagium Lacabenæ Epiſcopum mittens, rogat, ut ad Synodum accederet, ſuam electionem ex communibus Epiſcoporum ſuffragiis diſcuſſurus. Interea Maphrianus Edeſſam Alepum pergit, inſtigante Baſilio Alepenſi Epiſcopo, qui in ea urbe ipſum Maphrianum conſecrare Patriarcham volebat. Abulpharagius quum Edeſſæ Maphrianum minime reperiſſet, miſſis Alepum per Joſephum ſororis Dionyſii Angur filium, quas a Patriarcha acceperat, litteris, in Cœnobium Barſumæ regreditur, Epiſtolam ſuam adjungens, qua congregatos Alepi Epiſcopos obteſtabatur, ne Schiſma facerent, ſed Epiſcoporum qui Dionyſii partes ſequebantur, adventum expectarent. Eamdem ob cauſam Joannes Saliba Amidæ Epiſcopus cum Joanne Maipheractenſi diſcipulo ſuo in urbem Alepum properavit, nequid ſcilicet novi Maphrianus moliretur, ſed poſtridie eo pervenit, quam Maphrianus Patriarcha inauguratus eſt.

Joannes XV. LII. Joannes XV. qui & Joannes Bar-Maadani Maphrianus, die 4. Decembris anno Græcorum 1565. Chriſti 1253. in urbe Alepo, ut modo dixi, Patriarcha ordinatus, paulo poſt Baſilium ejuſdem Alepenſium urbis Epiſcopum conſecravit Maphrianum Orientis, impoſito ei Ignatii nomine. Alepo Joannes Antiochiam profectus, quum cauſam inter Athanaſium Joſue Ptolemaidis, & Joſue alterum Pherſonis filium Tripolis Epiſcopum cognoviſſet, ſententiamque adverſus hunc tuliſſet, ab eo apud Francos ejuſdem urbis accuſatus eſt, quod vivente Dionyſio Angur Jacobitarum Patriarcha, qui in Cœnobio Barſumæ morabatur, ipſe tyrannice Sedem occuparet. Trium menſium ſpatium a Francis datum fuit, ut cauſam uterque Jacobiticæ gentis Patriarcha diceret. Joannes ingentibus ſibi donis Francos primum conciliavit: deinde per Ignatium Baſilium, quem Maphrianum creaverat, Diploma a Damaſci rege obtinuit, ut in tota Syria Patriarchalem juriſdictionem exerceret. Tum vero Dionyſium Matthæum, Ignatii Patriarchæ diſcipulum, e Gumarum Sede Alepum transfert, rejecto Daniele Chaboræ Epiſcopo, quem Copti Juriſperiti veluti ſacris profaniſque litteris imbutum poſtulaverant. Qua repulſa offenſus Daniel, a Chriſtiana religione defecit, & paucis poſt menſibus ad extremam pauperiem redactus interiit. Joannes vero Antiochia Alepum, inde Merden pertexit. At Dionyſius Angur quum Edeſſenorum operam per Pharganium Diaconum a Damaſci Rege Diploma impetraſſet, alterum etiam ab Ezzaddino Iconii Soltano poſtulavit, ut in utriuſque ditione Patriarcha proclamaretur. Utque ſibi Turabdinenſes quoque ſubjiceret, Thomæ ejuſdem loci Epiſcopi hortatu, Gregorium Barhebræum Abulpharagium Lacabenæ Epiſcopum cum Abdaele Monacho fratris ſui filio in eam regionem pergere juſſit, ut ex Cœnobiis pagiſque conſtitutam pecuniæ ſummam, gubernatoribus locorum erogandam,

Digitized by Google

colligerent: quod illis ſtrenue exequentibus, amplum Diploma ab Iconii Soltano Dionyſius recepit, quo ſolus ipſe Jacobitarum Patriarcha declarabatur. Edeſſeni interim volentes Dionyſium in Syriam e Cœnobio Barſumæ pertrahere, per eumdem Pharganium id apud Naſerum Damaſci regem effecere, ut allegato ille nobili equite, Patriarcham Damaſcum invitaret. Adfuit Dionyſius Patriarcha cum Epiſcopis Cæſareæ, Damaſci, Mabugi, & Lacabenæ, cumque Simeone illius Cœnobii Archimandrita: & in conſpectum Regis admiſſus, Abulpharagio Barhebræo Lacabenæ Præſule interpretante, diſſidii cauſam ſecum inter & Joannem Barmaadani orti expoſuit: protulit inſuper Diploma Ezzaddini Iconii Soltani, necnon alterum Baſanvini Tartarorum militiæ præfecti, quod Michaelis medici Melitinenſis opera obtinuerat. Hinc indignatus Naſerus, quod ſcilicet Dionyſius ad Tartaros Mahometanorum hoſtes confugiſſet, ab iiſque Diploma poſtulaſſet, recuſavit conceſſum a ſe privilegium confirmare, donec is ingentem pecuniæ ſummam perſolvit ex conſilio Machini (ſeu Elmacini) Omaidi filii, principis Ægyptiorum juriſperitorum. Ita ex aula Naſeri dimiſſus, Alepum petiit: indeque Caſtrum Romanum, ubi a Catholico Armenorum perhonorifice exceptus, filios Joſue Presbyteri, qui ejus Caſtri Jacobitarum Eccleſiam tenebant, inducere nequivit, ut nomen ſuum ad altare proclamarent: ajebant enim ſe Joanni Barmaadani fidem ſuam obſtrinxiſſe. Ex eo igitur Caſtro Alepum regreſſus, Gregorium Abulpharagium Barhebræum a Lacabenæ Eccleſia ad Alepenſem transfert. mox Edeſſam, deinde Cœnobium Barſumæ petit. Sub idem tempus Ignatius Saliba Maphrianus ex Oriente Alepum venit: quumque hyemem ibi tranſegiſſet, Damaſcum profectus, Diploma conſequutus eſt, quo revocatis Dionyſii Angur Patriarchæ privilegiis, Joanni Barmaadani dignitas Patriarchalis aſſerebatur. Tributum quoque Eccleſiæ Alepenſi impoſitum in ſe recepit, itaut Abulpharagius relicto Epiſcopio in paternam ſe domum recipere coactus fuerit. His peractis Maphrianus Joannem Barmaadani per litteras in Syriam vocat, qui Alepum adveniens, ut cui idem Maphrianus ſeſe obſtrinxerat, vectigali ſolvendo par eſſet, auri ſummam a quodam mercatore fœnore accipit. Per idem tempus Cœnobium Cyriaci apud Zonicratam, quod a Simeone medico exſtructum fuerat, per impium hujus filium Michaelem, qui ad Mahometanam ſuperſtitionem tranſierat, in Xenodochium ejus ſectæ converſum eſt, ejectis inde monachis, & pretioſa templi ſuppellectile direpta; crucibus, nimirum, calicibus, patenis, acris, & codicibus: & libros quidem Dionyſius Caſtri Zaidi Epiſcopus ab illo impuro redimens, Evangelium picturis ornatum, quod Zebinas monachus exaraverat, Tauriſinæ Eccleſiæ dono dedit. Anno Græcorum 1568. Chriſti 1257. Aminaddinus Mobrachus Neſtorianus, Tartarorum ad Naſerum Damaſci regem orator, quum per Cœnobium Barſumæ tranſiiſſet, Dionyſio Angur Patriarchæ pollicitus eſt, ſe illius cauſam apud eumdem Naſerum defenſurum, effecturumque, ut amoto Joanne Barmaadani, ipſe iterum Patriarcha proclamaretur. Quod ubi Joannes intellexit, e Syria in Ciliciam aufugit, ubi ab Aytono Armeniæ rege benigne exceptus, in Cœnobio quodam apud Siſidem urbem delituit. Verum Aminaddinus re infecta ad Tartaros rediit. Anno ſequenti, (ideſt, Græcorum 1569. Chriſti 1258. quo Hulachus Tartarorum rex Bagdadum cepit:) Michael medicus cum Gregorio Abulpharagio Alepi Epiſcopo, qui a Saliba Maphriano ex ea Eccleſia ejectus, in Barſumæ Cœnobium ſe receperat, Damaſcum petens, novum Diploma a Naſero pro Dionyſio Patriarcha obtinuit. Quod quum Abulpharagius accepiſſet, ipſi quidem Alipi Eccleſiam recuperavit; Dionyſius vero

in tota Syria, & in Romæorum ditione, quæ Soltano Iconii ſubjecta erat, proclamatus fuit. Tum vero Ignatius Saliba Maphrianus animum deſpondit; & abdicata Epiſcopali dignitate habitum medici gerens, Tripoli in Phœnicia eam profeſſionem exercuit, donec gravi morbo correptus, animam eodem anno Chriſti 1258. die 12. Junii efflavit. Ejus funus præter Syros Jacobitas, Presbyteros etiam Monachoſque Francos curaſſe teſtatur Abulpharagius. Cadaver in eadem urbe in Eccleſia Jacobitarum S. Behenamo dicata, conditum. Vacavit poſt eum Maphriani dignitas ad ſexennium. Anno Græcorum 1570 Chriſti 1259. menſe Junio Dionyſius Patriarcha a Saliba Archimandrita avunculi ſui filio, quod ipſi præfecturam Cœnobii ad decennium concedere noluiſſet, homicidii aliorumque criminum apud Soltanum Iconii accuſatus, quum Melitinam ad Manzangerdam Mahuzæ oppidum ad Tartaros fugam capeſſeret, a Satellitibus comprehenſus fuit; quorum e manibus ope Sergii Armenorum Epiſcopi, quem Tartari urbi Arzinganæ præfecerant, elapſus, Hulachum regem Tartarorum adiit, qui ei abſolutam in Cœnobium Barſumæ poteſtatem diplomate perpetuum valituro dedit. Quumque Tauriſium urbem veniſſet, eumdem Salibam ibi reperit, qui ad Tartarorum tribunal cauſam Dionyſii referre ſatagebat. Dionyſius Epiſcoporum & Archimandritarum operam, ingentibuſque promiſſis animum Salibæ demulcens, in Barſumæ Cœnobium hominem ſecum reduxit: ubi paucis poſt diebus a ſervis ipſius Dionyſii una cum Abulpharagio ejus fratre obtruncatus eſt. Quo facinore adeo exhorruit Dionyſius, ut ad Regem Tartarorum proficiſci decreverit purgandi ſe cauſa. Adfuit apud eumdem Regem & Simeon Presbyter ac medicus filius Joſue Presbyteri Caſtri Romani. Hic optimatibus Tartarorum ſuggeſſit, Patriarcham Dionyſium, utpote homicidii reum, indignum eſſe, qui ad conſpectum Regis admitteretur. Quamobrem ex Orda ( Arduam Syri vocant: ) ubi Hulachus morabatur, pulſus Dionyſius, donis ſibi conciliandum Simeonem decrevit. Baculi itaque Paſtoralis pomum ex auro, quod Ignatii Patriarchæ fuerat, ei dono mittens, ſimul Chirographum ſcripſit, quo pollicebatur ſe ubi ad Cœnobium Barſumæ rediiſſet, Tomos Officii feſtivi totius annis, quos Joannes pro Cœnobio Montis Edeſſæ exaraverat, ipſi tranſmiſſurum. Hoc pacto placatus Simeon, crimen illud quod Dionyſio objecerat, a Tartaris diſſimulandum curavit. Eum inſuper Hulachi aſpectu dignum fecit. Verum haud multo poſt, quum idem Dionyſius in Cœnobium regreſſus, de ſua ſuperbia ac ferocia nihil remitteret, a Sergio Monacho, Baſilio Diacono, & Abrahamo laico die 18. Februarii anno Græcorum 1572. Chriſti 1261. in Cancello Altaris, ubi nocturnas preces Sabbati jejunii Ninivitarum celebrabat, miſere trucidatus fuit. Homicidæ Joannem Epiſcopum Legatum ad Ordam mittunt, ut Regis Tartarorum opem imploraret: ajebant enim, a Curdis Patriarcham interemptum, eoſque in Cœnobio adhuc verſari. Rex Hunnum quemdam Chriſtianum cum militibus accurrere jubet, qui convictos ſceleris homines variis ſuppliciis affecit; Joſue autem Simeonis Presbyteri ac medici fratrem Cœnobio præfecit. Atque hic Dionyſii Angur Patriarchæ exitus fuit. Joannes vero Bar-maadani miſſis ad Soltanum Iconii legatis, diploma obtinuit, ut Cœnobio Barſumæ, totique Romæorum ditioni præeſſet. Melitinæ itaque cæteriſque in locis proclamatus fuit: non tamen illud Cœnobium adire voluit, ſed in Cilicia permanſit, ubi a Rege & Magnatibus Armenorum ſummo in honore habebatur, donec anno Græcorum 1574. Chriſti 1263. in quadrageſimali jejunio in Cœnobio Baximatæ obiit. Anno ante hoc eſt, Græcorum 1573. Chriſti 1262. invadentibus in Aſſyriam Tar-

Digitized by Google

tarorum copiis, ingens Jacobitarum multitudo ex Moſul, Ninive, adjacentibuſque locis in urbem Arbelenſem ſe recepit, ubi opera Denhæ Neſtorianorum ejuſdem loci Metropolitæ Eccleſia ſub nomine S. Behenami cum Epiſcopio & Monachorum hoſpitio excitata eſt.

LIII. Ignatius III. qui & Joſue Archimandrita Cœnobii Gavicathæ, quod apud Mopſueſtiam Ciliciæ urbem ſitum eſt, poſt Joannis Barmaadani obitum ab Epiſcopis Athanaſio Tarſi, Dionyſio Siſidis, Gregorio Melitinæ, Athanaſio Mabugi, Athanaſio altero Hieroſolymæ, Joanne Damaſci, Dionyſio Gumarum, Athanaſio Cypri, Baſilio Charmæ, & Gregorio Abulpharagio Barhebræo Alepi, in eodem Gavicathæ Cœnobio anno Græcorum 1575. Chriſti 1264. die 6. Januarii in feſto Epiphaniæ ordinatus eſt, conſentiente & Baſilio Damiano Cæſareæ Epiſcopo, qui paucis poſt diebus ſupervenit. Eodem anno & menſe, die 19. Januarii Ignatius Patriarcha Maphrianum Orientis in Eccleſia Deiparæ in Siſide Ciliciæ urbe ordinavit Gregorium Abulpharagium Barhebræum, Alepi Epiſcopum, præſentibus Aytono Rege, primatibus, Epiſcopis & Doctoribus Armenorum. At vero Theodorus Cuphlidenſis, unus ex Archimandritis Cœnobii Barſumæ, qui Theodori & Guniri opera ingentem pecuniæ ſummam Regi & Optimatibus Armenorum pollicitus fuerat, ſi Epiſcopos cogerent, ut ipſum Patriarcham crearent; poſtquam Dionyſium Salibam decrepitum Claudiæ Antiſtitem, & Simeonem Presbyterum ac medicum ſibi conciliaſſet, ad Caſtrum Romanum convolavit, rogaturus Presbyteros Joſue filios, ut cauſam ſuam tueri pergerent. Exoratus ejus precibus Jacobus Presbyter, in Ciliciam pergere decrevit, ut aliorum Epiſcoporum ſuffragia Theodoro compararet. Sed ubi Ignatium Joſue jam ordinatum eſſe Patriarcham intellexit, de domeſticis ejus e Cella Patriarchali ejiciendis agere cœpit. Gregorium enim Melitinæ Epiſcopum Patriarchæ ipſius fratrem, & Salomonem Monachum Ignatii quondam Patriarchæ Syncellum oderat. Hos ajebat, niſi e Cella ejeceris, & domicilium in Cœnobio Barſumæ fixeris, nequaquam te loco Patriarchæ habebimus. Ignatius vero Jacobum maluit, quam ſuos contriſtare. Jacobus itaque aſſumptis ſecum Theodoro Cuphlidenſi, Dionyſio Claudiæ, Dioſcoro Caſtri Zaidi, Athanaſio Lacabenæ, Ignatio Caſtri Manſoris, & Ignatio altero Telæ Arſaniæ Epiſcopis, Ordam petit, Patriarcham ejuſque conſecratores apud Regem Tartarorum Hulachum accuſaturus, quod ipſo inconſulto in Cilicia conſecratus fuiſſet. Ordam petiit & Patriarcha Ignatius, cum Gregorio Barhebræo Maphriano cæteriſque Epiſcopis fautoribus ſuis, rationem ordinationis ſuæ redditurus. Porro Maphrianus, qui medici habitu incedens, herbas & unguenta pro Regis uſu afferebat, dromedariis regiis vectus cunctos prævenit: & Regem quidem de novi Patriarchæ electione certiorem faciens, ab eodem tria diplomata, ſibi nimirum, Patriarchæ, & Cæſareæ Epiſcopo, obtinuit, poſtquam Rex illos humaniſſime excepiſſet. Accuſatores quum præcluſum ſibi ad Regem aditum vidiſſent, ex Orda in Cœnobium regreſſi, falſum rumorem ubique diſſeminabant, ajentes, mandatum ſibi a Rege conceſſum, ut pro Ignatio Patriarcha, Gregorio Maphriano, & Melitinæ Epiſcopo alios crearent. Cœperunt itaque a Maphriani ordinatione. Et Dioſcorum quidem ex Caſtri Zaidi Epiſcopo Maphrianum proclamarunt, in throno eum collocantes perque Eccleſiæ ambitum circumducentes. Quoad Patriarchæ autem inſtitutionem, quum viderent univerſum vulgus a Theodoro Cuphlidenſi alienum eſſe, inito conſilio ut Epiſcopum Claudiæ eligerent, rumorem ſparſere, miſſam ab iis ſortem ſuper hunc cecidiſſe. Tulerunt ergo eum & Melitinam abierunt, ut ibi illum conſecrarent. Verum quo minus hæc exequerentur, fama

Ignatius III.

Digitized by Google

proximi adventus Ignatii Patriarchæ effecit. Nam timore ejus correpti, Athanaſium quidem Pharagum ex Lacabenæ Epiſcopatu ad metropolim Melitinenſem tranſtulere; Epiſcopus vero Caſtri Zaidi, qui ab iis Maphrianus factus fuerat, relictis illis in Caſtrum ad diœceſim ſuam evaſit; reliqui autem in Cœnobium Barſumæ regreſſi ſunt. Quumque paucis poſt diebus Caſtri Epiſcopus adventare Patriarcham audiſſet, Claudienſem per nuncium conſuluit, quid facto opus eſſet. Patriarcha vero jamjam appropinquanre, unum ipſis conſilium probatum fuit, ut ei obviam procederent, ſubjectionemque & obedientiam exhiberent: quod & præſtitere, purgantes ſe, quod a Simeone ejuſque fratribus coacti, quæ geſta fuerant egiſſent. Quorum excuſationibus admiſſis, Patriarcha Ignatius una cum illis Melitinam ingreſſus, ibi cum honore & plauſu exceptus fuit. Poſthæc Melitina relicta, Cœnobium Barſumæ adiit; & in Sede ſua confirmatus eſt, dejectis iis quos Simeon Cœnobio præfecerat. At vero Gregorius Bathebræus Maphrianus expeditis apud Hulachum, ut ſupra dixi, Patriarchæ negotiis, in urbem Moſulanam profectus eſt: cui occurrerunt palatini, & omnes Chriſtiani, & cum canticis & pſalmis eum introduxerunt. Inde ad Cœnobium S. Matthæi aſcendens, a Cœnobitis benevole exceptus eſt perinde atque ab indigenis. Ibi Behenamum monachum, Epiſcopum Nuhadræ conſecravit feria quarta intermedia jejunii Quadrageſimalis anno Græcorum 1576. Chriſti 1265. Quum autem Bagdadum deſcendiſſet, ipſi obviam venere Archidiaconus & reliqui proceres, adeo ut Machicha Neſtorianorum Catholicus de Maphriani adventu admonitus, ſuum ex fratre nepotem, & alterum ex ſorore, alioſque viros Bagdadenſes eidem obviam ire juſſerit, ipſumque cum honore in ſuis ædibus ſuſceperit, raſilique Phenolio holoſetico donaverit. Maphrianus a Catholici Machicæ ædibus ad ſuam Eccleſiam ad portam Mauchalanam ſitam acceſſit. Jamque Paſchalia feſta inierant. Quare per eam ſolemnitatem Maphrianus pretioſa munera Catholico miſit. Chriſma inſuper in ſua Eccleſia conſecravit, ad quam non Jacobitæ tantum, ſed & Neſtoriani frequentes accedebant. Quum autem quidam illorum audirent, Maphrianum a Jacobitis nomine Catholici in Diptychis proclamari, idque ſuo Catholico retuliſſent, indignatus ille cauſas rixarum captare cœpit: ſed ſub iis Paſchatis diebus colicis doloribus correptus, Sabbato in Albis die 18. Aprilis anno Græcorum 1576. Chriſti 1265. deceſſit. Maphrianus autem Bagdadi æſtatem exegit, ordinavitque quatuor Diaconos, atque Epiſcopum eidem urbi conſecravit Joſue monachum Cœnobii Ananiæ, qui Timothei nomen aſſumpſit. Conſecravit etiam Denham monachum Cœnobii S. Matthæi, Epiſcopum Adorbiganæ, qui Joannis nomen adſcivit. Hic vero poſt conſecrationem ad ſuam Eccleſiam profectus, in Bethſaidam pagum Arbelenſis provinciæ pervenit, ibique extinctus, in nova Eccleſia, quæ in eodem pago conſtruebatur, tumulatus eſt. Autumno ineunte Ninivem Maphrianus repetiit, & anno Græcorum 1577. hoc eſt, exeunte anno Chriſti 1265. Epiſcopum Geziræ ordinavit Vehebum monachum Cœnobii S. Matthæi, qui Joannes eſt appellatus; Adorbiganæ eum in locum Joannis Denhæ ſubrogavit Joſue ejuſdem Cœnobii monachum, qui Severi nomen aſſumpſit. Eodem anno Chriſti 1265. ſub initium Jejunii quadrageſimalis obiit Hulachus Tartarorum rex, quem Aytonus Haolonum vocat. Paucis poſt diebus, hoc eſt, die 18. Aprilis deceſſit Machicha Neſtorianorum Patriarcha, ut ſupra dictum eſt. In ejus locum juſſu Dokuſcatonæ Tartarorum reginæ, Hulachi uxoris, ſubſtitutus fuit Neſtorianorum Patriarcha Joannes Denha, qui die 15. Novembris ejuſdem anni Chriſti 1265. Græcorum 1577. Seleuciæ conſecratus

eſt.

eſt. Abaka Hulachi filius & in Tartarico regno ſucceſſor, Mariam Palæologinam Michaelis Conſtantinopolitani Imperatoris filiam Notham eodem anno Chriſti 1265. uxorem duxit. Illam una cum Theodoſio monaſterii Pantocratoris Abbate Euthymius Antiochenus Græcorum Melchitarum Patriarcha ad Abakæ caſtra comitatus eſt. Illuc ſe contulit & Ignatius Jacobitarum Patriarcha, qui ab Abaka diploma petiit, quo Cœnobii Barſumæ jus ad ipſum ſpectare declarabatur. Petiit & ſimile diploma Simeon Presbyter: atque ita uterque de eodem Cœnobio altercabatur. Per idem tempus obiit Gregorius Simeon Melitinæ Epiſcopus, Patriarchæ Ignatii frater, cujus loco ut Nemrodum ipſius ex fratre nepotem ordinaret, Presbyteri ejus Eccleſiæ Patriarcham rogarunt. Verum Patriarcha, quod Nemrodus adhuc puer eſſet, Athanaſium Pharagum, qui eam ſedem bis olim invaſerat, Melitinam tranſtulit. Anno Græcorum 1579. Chriſti 1268. Gregorius Bathebræus Maphrianus quum ex oriente in Syriam ac Ciliciam pergeret, incidit in Patriarcham in urbe Argiſa, qui adverſus Simeonem Presbyterum ac medicum opem Regis Tartarorum imploraturus ibat: nam Simeon Cœnobii Barſumæ regimen ſibi vendicabat. Patriarcham Maphrianus alloqui noluit; ajebat enim, nefas eſſe Chriſtianis ad tribunalia Tartarorum accedere, & ſic in oculis eorum vileſcere, ſed externis arbitris remotis debere a Viris Eccleſiaſticis cauſam Presbyterorum judicari. Quod Maphriani conſilium ægre accepit Patriarcha, ſuſpicatus illum Presbytero favere: tres tamen ex ſuo comitatu ad eum miſit, rogans, ut ſecum colloqueretur. Maphrianus igitur Patriarcham acceſſit: quumque nihil apud eum profeciſſet, inde abſcedens, Ciliciam petiit. Patriarcha vero ad Abakam Tartarorum regem profectus, bina ab eo diplomata pro Cœnobii regimine obtinuit, alterum Theodori Cuphlidenſis, alterum Leonis filii Aytoni Armenorum regis opera: confectoque feliciter negotio, ad illud Cœnobium reverſus eſt. Sub idem tempus quum in Siſide Ciliciæ urbe Maphrianus a gravi morbo quo tentatus fuerat, convaluiſſet, Ignatius Patriarcha reſtitutam ei ſanitatem per litteras amice gratulatus eſt. Ad illum igitur in Cœnobio Barſumæ commorantem Maphrianus, gratias acturus, perrexit. At vero Simeon Presbyter ut Cœnobii adminiſtrationem recuperaret, a Tartaris diploma impetravit, quo conceſſa Patriarchæ privilegia reſcindebantur. Hinc Maphrianus Tauriſium migravit, atque inde Maragam, ubi in novo monaſterio aliquandiu verſatus, autumno ineunte Niniven perrexit. Anno Græcorum 1583. Chriſti 1272. Baſilius Tauriſii Epiſcopus obiit, qui Eccleſiam Jacobitis inſtauraverat. Maphrianus in ejus locum ordinavit Severum Cœnobii S. Matthæi Archimandritam, qui ſub diebus Paſchalibus illuc profectus, honorifice exceptus eſt, cœpitque urgere fabricam ædium ejuſdem Eccleſiæ Tauriſinæ. Æſtivo tempore ejuſdem anni Maphrianus Maragam ſecundo profectus, Cellam atque Oratorium in nova Eccleſia conſtruxit. Quumque ad feſtum uſque Reſurrectionis dominicæ anni Græcorum 1584. Chriſti 1273. ibidem manſiſſet, acceſſit ad eum Jacobus Presbyter frater Simeonis Presbyteri & medici, rogavitque, ut cum ipſo ad Cœnobium Barſumæ pergeret, pacemque inter ipſos & Patriarcham firmaret. Cui obſequutus Maphrianus, in Cœnobio Patriarcham una cum Ignatio Caſtri Manſoris, & Andrea Calliſuræ Epiſcopis reperit: qui in Ciliciam abeuntes, Melitinæ Epiſcopatu Athanaſium Pharagum amoverunt, ejuſque loco Nemrodum Diaconum filium fratris Simeonis Presbyteri Epiſcopum ordinarunt

in Cœnobio Gavicathæ die Dominico Kalendis Octobris anno Græcorum 1585. Chriſti 1273. impoſito ipſi Philoxeni nomine. Eodem anno obiit Dionyſius Claudiæ Epiſcopus, quum ad decrepitam ætatem perveniſſet: Anno Græcorum 1588. Chriſti 1277. Bondekdarus Ægypti rex ditionem Romæorum invaſit: Philoxenus autem Melitinæ Epiſcopus habitu ruſtici in ea urbe tamdiu delituit, donec Saracenis fugatis Tartari rerum potiti ſunt. Eodem anno mortuus eſt Severus Tauriſii Epiſcopus, & contriſtati ſunt valde fideles ob ejus mortem: & ſuffragium commune dedere Joſepho monacho ejus ex ſorore nepoti, qui a Maphriano in monaſterio S. Matthæi diebus Jejunii Quadrageſimalis conſecratus, abiit, atque in Eccleſia Tauriſii reſedit, appellatuſque eſt Dionyſius. Exſtat ad hunc Epiſtola Nicolai IV. Summi Pontificis anno Chriſti 1288. ſcripta, qua ei gratulatur, quod, ut ex ejus litteris acceperit, ipſe fidem orthodoxam a Minoribus prædicatam ſectatus ſit, eumque hortatur, ut illa fidei forma populos imbueret, quam ipſi præſcribebat. Eodem anno Chriſti 1277. Maphrianus Bagdadum deſcendit, Paſchalia feſta celebraturus. Denha Neſtorianorum Catholicus in ejus occurſum Epiſcopum alioſque nobiles viros miſit. Ipſe vero Maphrianus Chriſma conſecravit in Eccleſia Catholica S. Thomæ Apoſtoli, ordinavitque complures Diaconos in Eccleſia Deiparæ. Exacta autem Bagdadi æſtate, autumno ineunte anni Græcorum 1589. Chriſti 1277. Tagritum aſcendit, & celeberrimas ejus Eccleſias viſitavit, & lætati ſunt omnes Tagritenſes, quoniam a ſexaginta annis, ex quo inde abierat Ignatius, quum Patriarcha factus eſt, nullus eam urbem Maphrianus intraverat. Quumque ibi duos menſes egiſſet, Niniven repetiit, & quatuor Epiſcopos conſecravit, Michaelem ſcilicet Eccleſiæ Ramanitarum, Baſilium Cœnobii S. Matthæi, Joannem Denham Cœnobii S. Sergii, & Joannem Moyſen Sigaræ. Anno Græcorum 1590. quum Maphrianus Magaræ verſaretur, obiit Athanaſius Nuhadræ Epiſcopus. Eodem anno Joannes Denha Neſtorianorum Catholicus Simeonem a Tuſæ Epiſcopatu ad Sinenſium Metropolim tranſtulit, quem paulo poſt velut perduellem, in carcerem detrudendum curavit, ubi cum nonnullis ſuæ factionis Epiſcopis. & monachis extinctus eſt. Anno Græcorum 1591. Chriſti 1288. obiit Joannes Geziræ Epiſcopus. Anno ſequenti Jacobus Cœnobii Barſumæ Archimandrita apud Tartaros accuſatus fuit, quod Saracenis arma & commeatum præberet; ſed accuſatoribus calumniæ convictis innocens declaratus, Cœnobium repetiit. Eodem anno, nimirum Græcorum 1592. Chriſti 1281. die 24. Februarii Joannes Denha Neſtorianorum Catholicus deceſſit, ejuſque in locum Jaballaha ſubſtitutus fuit menſe Octobri ejuſdem anni. Anno Græcorum 1593. Chriſti 1282. die 1. Aprilis deceſſit Abaka Tartarorum rex, ejuſque in throno die 21. Junii collocatus Tanchodorus, qui Achmetis nomen aſſumpſit, Gregorio Maphriano diploma conceſſit pro ædificatione Eccleſiarum Adorbiganæ, Aſſyriæ, & Meſopotamiæ. Eodem anno æſtate abeunte Ignatius Patriarcha hydropiſi laborans, Gregorium Maphrianum Tauriſii commorantem per litteras rogat, ut ſe curatum veniret. Quumque Maphriano Ciliciam intrare propter imminentem hyemem non liceret, ingraveſcente morbo extinctus eſt feria tertia die 17. Novembris anno Græcorum 1594. Chriſti 1282. Cadaver in Cœnobio Baximatæ in Cilicia conditum.

Patriarchæ Antiocheni Græcorum Melchitarũ.

Huic Ignatio Jacobitarum Patriarchæ Synchronus fuit *Ignatius* alter Græcorum Melchitarum Patriarcha, qui primus Sedem Damaſci in Syria fixit, ut ſupra dictum eſt num. 32. Hunc ferunt, non ſecus atque Marcum

ejus anteceſſorem , in Cypro inſula diem obiiſſe . Succeſſores ejus ex Catalogo Athanaſii Patriarchæ hi fuere . *Michael* . *Marcus* . *Pachomius* . *Nilus* . *Michael* alter , qui Timurchano ſeu Tamerlencho Tartarorum rege Damaſcum invadente in Cyprum migravit . *Pachomius* . *Marcus* . *Joachimus* . *Dorotheus* Saidanajæ Epiſcopus , cujus tempore Synodus Florentina celebrata fuit . *Michael* . *Marcus* . *Joachimus* . *Gregorius* . *Michael* . *Dorotheus* filius Sabuni . *Michael* filius Maverdi . *Dorotheus* depoſitus in Synodo Hieroſolymitana tempore Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani . *Joachimus* , quem ſeptuaginta annis ſediſſe perhibent . *Michael* . *Joachimus* filius Giomaæ Damaſceni , Epiſcopus Berytenſis , qui competitorem habuit Macarium Epiſcopum Caræ . *Michael* Apameenſis , Epiſcopus Euchaitæ ſeu Hanachæ , quæ urbs eſt juxta Alepum . *Joachimus* filius Davi , olim Dorotheus appellatus , Tripolis in Phœnicia Epiſcopus , cum Michaele Apameenſi per annos quinque de Patriarchatu contendit , quem tandem poſt illius obitum occupavit . *Joachimus* filius Zajadæ , Metropolita Emeſſæ , quum oculis captus eſſet , abdicata dignitate , in montem Sinai ſeceſſit . *Dorotheus* Damaſcenus , filius Achmari , Epiſcopus Suffraganeus a Joachimo anteceſſore ordinatus . *Athanaſius* Damaſcenus , filius Debbaſi . *Ignatius* ex quodam pago ditionis Apameenſis , Metropolita Tyri & Sidonis . *Cyrillus* Damaſcenus , frater Athanaſii Debbaſi , Epiſcopus Hauranæ , qui cum Ignatio de Patriarchatu tamdiu rixatus eſt , donec uterque cæſus fuit . *Euthymius* , Metropolita Alepi , olim dictus Meletius Carme Alepenſis , ſedit octo menſibus tantum . *Euthymius* alter Chius . *Macarius* Alepenſis , olim Meletius Metropolita Alepi . *Cyrillus* hujus Macarii ex filio nepos , qui ſedit uſque ad annum Chriſti 1719. quo obiit die 16. Decembris , poſtquam ejurato Græcorum Schiſmate orthodoxam fidem amplexus eſt . Hic competitores in Patriarchatu habuit *Neophytum* Chium & *Athanaſium* Damaſcenum hujus Catalogi auctorem , cum quibus concordiam iniit hoc pacto , ut Neophyto Laodicæam , Athanaſio Alepum cederet . *Athanaſius* Damaſcenus poſt Cyrilli obitum Patriarcha proclamatus , deceſſit menſe Auguſto anno Chriſti 1724. cujus poſt obitum Patriarchæ duo Græcis Melchitis præfuere : alter orthodoxus , *Cyrillus* nimirum , olim dictus *Seraphinus* Tanas Damaſcenus : alter Schiſmaticus , *Silveſter* ſcilicet Cyprius , qui regio Turcarum diplomate munitus , æmulum in montana Phœniciæ ſecedere coegit . Nunc ad Jacobitas redeundum eſt.

LIV. Ignatius IV. qui & Philoxenus Nemrod , Epiſcopus Melitinæ , Jacobi Presbyteri patrui ſui opera congregatis in Cœnobio Barſumæ Epiſcopis Gubæ , Calliſutæ & Gargaræ , die 2. Februarii anno Græcorum 1594. Chriſti 1283. Patriarcha ordinatus , per Tartarorum militiæ præfectum diploma confirmationis a Rege Abaka obtinuit ; Barſuma Gavieathæ Archimandrita , & Jacobo Cæſareæ Epiſcopo , qui ei dignitati inhiabant , ordinationi ejus fruſtra ſe opponentibus : nam Gregorius Maphrianus eamdem ratam habuit , poſtquam a Simeonis Presbyteri filio Tageddaule exoratus fuit . Idem Maphrianus Tauriſio Niniven profectus , diebus Jejunii Quadrageſimalis anno Græcorum 1595. Chriſti 1284. Jobum Monachum Nuhadræ Epiſcopum conſecravit , impoſito ei Joannis nomine . Anno Græcorum 1596. Chriſti 1285. perfectum eſt ædificium Monaſterii & Eccleſiæ , quam in Caſtro Bartela nomini S. Joannis Bat-Nagoræ Martyris Maphrianus conſtruxit : inventaſque ejuſdem Martyris reliquias ibidem collocavit die 23. Novembris ejuſdem anni . Dominica autem die poſt inventionem ha- Ignatius IV.

rum reliquiarum idem Maphrianus Gabrielem S. Matthæi Monachum conſecravit Epiſcopum Geziræ, quem Dioſcorum nominavit, poſtquam ea Eccleſia ad quinquennium Paſtore caruiſſet. Anno Græcorum 1597. Chriſti 1286. idem Maphrianus Gregorius Barhebræus ex Ninive Maragam Adorbiganæ urbem ſe contulit, ibique feria tertia, die 30. Julii deceſſit. Exequias ejus non Jacobitæ tantum celebrarunt, ſed & Armeni, Græci atque Neſtoriani. Anno Græcorum 1599. Chriſti 1288. in feſto S. Thomæ Gregorius Barſuma Saphius Barhebræi Abulpharagii frater a Philoxeno Patriarcha in Cœnobio Barſumæ Maphrianus ordinatus deceſſit in Bartela Caſtro, vigeſimo Epiſcopatus anno. Eodem anno Chriſti 1288. quum Legati Tartarorum, Chriſtianorumque Orientalium ad Nicolaum IV. veniſſent, idem Pontifex plures ad illos Epiſtolas reſcripſit, inter quas una eſt ad Jaballaham Neſtorianorum Patriarcham, qua ipſius erga Fratres minores in iis regionibus Evangelium promulgantes eximiam voluntatem commendat: altera ad Dionyſium Jacobitarum Epiſcopum Tauriſinum, qua ei gratulatur, quod, ut ex ejus litteris accepit, ipſe fidem orthodoxam a Minoribus prædicatam ſectatus ſit; eumque hortatur, ut illa fidei forma populos imbueret, quam ipſi præſcribebat. Anno Græcorum 1603. Chriſti 1292 Ignatius Patriarcha obiit in Cœnobio Barſumæ.

*Ignatius V. dictus I.*

LV. Ignatius V. dictus I. qui & Joſeph Badet Zache Bat-Vahib, Epiſcopus Mardenſis, poſt Philoxeni Nemrod Patriarchæ obitum congregatis in Cœnobio Ananiæ Epiſcopis, Malcho Maipheractæ, qui Synodo præerat, Simeone Narachæ, Ignatio Cartaminæ, Dioſcoro Moyſe Salachæ, Severo Hax, & Armenorum Mardæ Epiſcopo, Kalendis Januarii anno Græcorum 1604. Chriſti 1293. Patriarcha ordinatus eſt, conſentiente per litteras Gregorio Barſuma Saphio Maphriano. Ab hoc ad ſucceſſores Patriarchas *Ignatii* nomen derivavit, neglecto eorum ordine, qui eodem nomine antea appellati fuerant. Obiit feria quarta majoris hebdomadæ die 19. Aprilis, quum annos 40. ſediſſet. Ordinavit Epiſcopos 19. & Maphrianum: Gregorium ſcilicet Matthæum Cœnobii S. Matthæi Archimandritam, cujus ordinatio contigit anno Græcorum 1628. Chriſti 1317. Ad hunc Maphrianum Joannes XXII. anno Chriſti 1330. litteras dedit, ut creditos ipſius curæ paſtorali populos ad conjunctionem cum Romana Eccleſia revocaret, & Guillelmum quem Tauriſenſem Epiſcopum ordinaverat, Minoreſque Fratres ac Prædicatores illuc miſſos, ſtudiis ſuis complecteretur. Anno Græcorum 1628. Chriſti 1317. capta a Salecho Mardæ Domino Amida, Gregorius urbis Epiſcopus cæſus fuit.

Sub Ignatio V. Schiſma ortum eſt inter Jacobitas, quod uſque ad annum Græcorum 1805. Chriſti 1494. duravit, ut ex ſequentibus liquet. Et Orientales quidem, ut ſupra dictum eſt, Ignatium Barvahibum elegerunt, qui primus Mardæ Patriarcha fuit.

*Michael I. Patriarcha Ciliciæ.*

Occidentales autem in Cilicia congregati, *Barſumam* Cœnobii Gavicathæ abbatem, impoſito *Ignatii* nomine, Patriarcham ordinarunt, quem Ayronus Armenorum Rex in diplomate ei conceſſo *Michaelem* appellavit. Hic Sedem fixit in urbe Ciliciæ Siſide, & paulo poſt obiit.

*Conſtantinus Patriarcha Syriæ.*

Reliqui vero Jacobitæ in Cœnobio Barſumæ apud Melitinam, *Conſtantinum* ejus urbis Epiſcopum, impoſito etiam *Ignatii* nomine Patriarcham Syriæ proclamarunt.

*Ignatius VI. dictus II.*

LVI. Ignatius VI. dictus II. qui & Iſmael Magedus, Joannis Diaconi Mardenſis fratris Ignatii Barvahibi Patriarchæ filius, Amidæ Epiſcopus, poſt patrui mortem ſecundus Mardæ Patriarcha ordinatus eſt anno Græcornm 1643 Chriſti 1332. in Synodo, quæ in Cœnobio Ananiæ con-

gregata fuit ab Epiſcopis, Barſuma Salachæ, qui Synodo præfuit, Joanne Joſue Cattaminæ, Philoxeno Mobadræ ſeu Seertæ, Saba Nataphæ, Cyrillo Simeone Hax, & Armenorum Mardenſis urbis præſule. Ejus ordinationi Gregorius Matthæus Maphrianus aſſentiri noluit, quod abſentibus & inconſultis Orientalibus peracta fuiſſet: duravitque diſſidium hujuſmodi per annos quatuor, quo tempore Michaelis ſecundi Siſidis in Cilicia Patriarchæ nomen in Oriente proclamatum eſt. Sed reconciliatus poſtea idem Maphrianus, Iſmaelem Magedum Patriarcham Mardenſem in Oriente & Moſulana regione recipiendum curavit. Obiit autem Maphrianus menſe Januario anno Græcorum 1656. Chriſti 1345. poſtquam annos 28. ſediſſet, duoſque Epiſcopos ordinaſſet, alterum ſcilicet Sigaræ, alterum Maaræ, Niſibi & Geziræ. In ejus locum vigeſimo poſt anno Iſmael Patriarcha Maphrianum ordinavit Athanaſium Abrahamum Syncellum ſuum feria ſecunda ineunte menſe Octobri anno Græcorum 1676. Chriſti 1364. Idque poſt obitum Dioſcori Jacobi Barkainæi, ejus Sedis invaſoris. Hic Damaſci Epiſcopus fuerat: anno autem Græcorum 1671. Chriſti 1360. Iſmaelem Patriarcham adiit, rogaturus ut ſe Orientis Maphrianum crearet. Quumque Patriarcha id fieri ſine Orientalium conſenſu fas eſſe negaret, ipſe oblata Salecho Mardæ domino quadraginta millium nummorum ſumma, ſubornatiſque Denha Neſtorianorum Patriarcha, & Matthæo Carmeliſæ duce, ad Cœnobium S. Matthæi contendit, cujus monachi Maphrianum eum proclamarunt, impoſito Gregorii nomine. Baſilium deinde Ciliciæ Patriarcham adiit, commendatitiis Matthæi Ducis, Denhæ Neſtorianorum Patriarchæ, & monachorum S. Matthæi litteris munitus: a quo die 29. Junii anno Græcorum 1672. Chriſti 1361. retento Gregorii nomine, ordinatus, quum Bartelam, Tagritum, & Bagdadum luſtraſſet, a Mahometanis interemptus eſt. Athanaſius igitur poſt ejus interitum, ut ſupra dixi, initiatus, ſedit annos 24. obiitque anno Græcorum 1700. Chriſti 1389. Iſmael vero Patriarcha quum annos 33. ſediſſet, deceſſit die 4. Junii anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. cadaver in Cœnobio Ananiæ conditum.

*Michael II. Patriarcha Ciliciæ.*

Sub eo Patriarchatum Ciliciæ poſt Michaelem I. tenuit Michael II. Ignatius appellatus, qui in Occidente, & in interioribus Orientis partibus quæ ad auſtrum accedunt, Maraga nimirum, Tauriſio, & Adorbigana per annos 36. Patriarchatum geſſit, obiitque anno Græcorum 1660. Chriſti 1349.

*Baſilius Philoxenus Syriæ & Ciliciæ Patriarcha.*

Per idem tempus quum Conſtantinus Syriæ Patriarcha, quod pactam auri ſummam ſolvendo non eſſet, a Curdis cæſus fuiſſet, congregatis Siſide Cypri, Hieroſolymæ, Gargaræ, & Alepi Epiſcopis, Patriarcha electus fuit Baſilius qui & Philoxenus, Damaſci Epiſcopus, qui utramque, Michaelis ſcilicet & Conſtantini diœceſim obtinuit, Ciliciæ & Syriæ Patriarcha appellatus.

*Ignatius I. Patriarcha Turabdinenſium.*

Tertius ſub idem tempus Jacobitis Patriarcha emerſit Ignatius I. qui & Baſilius Saba, Salachenſis Epiſcopus, ordinatus primus Turabdinenſium Patriarcha die 6. Auguſti anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. Obiit anno Græcorum 1700. Chriſti 1389. quum annos 25. ſediſſet. Cadaver in Cœnobio Jacobi in Salacha ſepultum. Hunc quum Ignatius Iſmael Magedus Mardenſium Patriarcha propter Georgii cujuſdam monachi calumnias excommunicaſſet, nec ullis Epiſcoporum, aut principum virorum precibus abſolvere voluiſſet, Turabdinenſes populi Patriarcham proclamarunt.

*Ignatius VII dictus III.*

LVII. Ignatius VII. dictus III. qui & Sciahabus, ſororis Iſmaelis filius, poſt avunculi obitum ab Epiſcopis Mauræ, & Maipheractæ Jaco-

bitis, Armenorum quoque Præſule ſuffragium ferente, tertius Mardæ Patriarcha anno Græcorum 1676. Chriſti 1365. ordinatus, quum annos 16. ſediſſet, obiit menſe Januario anno Græcorum 1692. Chriſti 1381. Cadaver in Cœnobio Ananiæ in tumulo avunculi ſui conditum.

Baſilius Gabriel Patriarcha Syriæ & Ciliciæ.

Sub eo obiit Baſilius Philoxenus Syriæ & Ciliciæ Patriarcha, cui ſucceſſit Baſilius qui & Gabriel.

Ignatius VIII. dictus IV.

LVIII. Ignatius VIII. dictus IV. qui & Abraham Cyrillus Garibi filius, Amidæ Epiſcopus, in Cœnobio Ananiæ poſt Sciahabi mortem quartus Mardæ Patriarcha ordinatus eſt anno Græcorum 1692. Chriſti 1381. Joſephum fratrem ſuum cognomento Dionyſium, Amidæ Epiſcopum creavit: Behenamum vero Hedlenſem Cartaminenſis Cœnobii Monachum, impoſito Baſilii nomine, Maphrianum conſecravit anno Græcorum 1715. Chriſti 1404. poſtquam ea dignitas per annos 15. vacaſſet. Obiit autem Ignatius Garibi filius Patriarcha in Cœnobio Zapharanenſi anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. quum annos 31. ſediſſet.

Philoxenus Patriarcha Syriæ & Ciliciæ.

Sub eo poſt Baſilium Philoxenum, qui in Cœnobio Gavicathæ anno Græcorum 1698. Chriſti 1387. deceſſit, electus fuit Patriarcha Syriæ & Ciliciæ Philoxenus Damaſci Epiſcopus, cui Simeon Manemita Gargaræ Epiſcopus manum impoſuit. Obiit anno Græcorum 1732. Chriſti 1421.

Ignatius II. Patriarcha Turabdinenſium.

Poſt Ignatium vero I. Turabdinenſium Patriarcham, anno Græcorum 1701. Chriſti 1390. electus fuit Ignatius II. qui & Joſue Mutæ Medenſis filius: quumque annos 27. ſediſſet, operam Gubernatoris Caſtri Cephæ anno Græcorum 1728. Chriſti 1417. depoſitus, in Cœnobium Naphæ regionis Mardenſis detruſus eſt.

Ejuſdem Ignatii Garibi Patriarchæ temporibus Timur-chanus, ſeu Tamer-lenchus Tartarorum rex Aſſyriam, Babyloniam, Meſopotamiam, ac Syriam invaſit: & anno quidem Græcorum 1706. Chriſti 1395. Malchum Modiadenſem, & Joannem Cartaminenſem Epiſcopos cum ingenti monachorum populique multitudine, interemit, ut fuſe narratur in Appendice ad Chronicon Syriacum Gregorii Bathebræi Abulpharagii, cujus excerpta habet Tom. 4. Bibliothecæ noſtræ Orientalis a pag. 135.

Ignatius IX. dictus V.

LIX. Ignatius IX. dictus V. qui & Baſilius Behenamus Hedlenſis, in Cœnobio Zapharanenſi anno Græcorum 1723. Chriſti 1412. ex Maphriano Patriarcha ordinatus eſt. Dioſcorus Behenamus Sciatti Atabum Epiſcopus manum ei impoſuit. Anno Græcorum 1726. Chriſti 1415. eumdem Dioſcorum Maphrianum ipſe creavit, quo poſt biennium defuncto, Baſilium Barſumam Maadanenſem anno Græcorum 1733. Chriſti 1422. in ejus locum ſubrogavit. Anno Græcorum 1755. Chriſti 1444. idem Ignatius Patriarcha Abdallam Edeſſæ Epiſcopum ſuo totiuſque gentis ſuæ nomine in Urbem, ab Eccleſia Romana incorruptæ doctrinæ formulam petiturus, allegavit. Legatum benigne excepit Eugenius IV. teſteſque ſinceræ illius fidei litteræ lectæ fuerunt Laterani in publica ſeſſione Synodali anno Chriſti 1444. pridie Kal. Octobris. Sedit autem Ignatius annos 43. obiitque apud Marden in Cœnobio Zapharanenſi anno Græcorum 1766. Chriſti 1455. vel anno ſequenti, ut in Appendice ad Chronicon Abulpharagii ſcribitur. Eodem anno deceſſit Baſilius Barſuma Maphrianus, cujus cadaver in Cœnobio Gubæ, ubi deceſſores ejus ſepeliri ſolebant, conditum fuit.

Baſilius Patriarcha Syriæ & Ciliciæ.

Sub Ignatio IX. poſtquam Philoxenus Syriæ & Ciliciæ Patriarcha anno Chriſti 1421. obiiſſet, Simeon Manemita qui & Baſilius Gargaræ Epiſcopus, Joannem Alexandrinum Coptorum Patriarcham adiit, a quo Patriarcha ordinatus eſt. Obiit autem Hieroſolymæ anno Græcorum 1756. Chriſti 1445. Tum vero id Schiſma ſublatum eſt, quod per Patriarchas Syriæ &

Ciliciæ ab anno Græcorum 1604. Chriſti 1293. inductum fuerat. Nam Ignatius Baſilius Behenamus Hedlenſis, quum Baſilii Manemitæ mortem accepiſſet, Hieroſolymam profectus, Jacobitas ejus urbis a novi Patriarchæ electione avertit, duobus ordinatis Epiſcopis, Iſa ſcilicet Hieroſolymæ totiuſque Palæſtinæ, & Joſepho Niſani filio Damaſci atque Emeſæ.

Poſtquam vero Ignatius II. Turabdinenſium Patriarcha, ut ſupra dixi, anno Græcorum 1728. Chriſti 1417. depoſitus eſt, tertius Patriarcha electus fuit Ignatius III. qui & Maſudus Salachenſis, ab eodem Ignatio II. ordinatus, qui tribus poſt annis, hoc eſt, Chriſti 1420. veneno ſublatus periit. Tum vero Turabdinenſes Ignatium II. ex Cœnobio Nataphæ Salacham ad Sedem ſuam reducendum curarunt. Quod quum ille recuſaſſet, anno ſequenti obiit in Cœnobio Ananiæ. Anno itaque 1421. Turabdinenſibus in monaſterio Salachæ congregatis, Ignatius IV. qui & Henochus Invardenſis, Cartaminæ Epiſcopus, Patriarcha electus eſt: obiitque anno Græcorum 1756. Chriſti 1445. In Appendice ad Chronicon Syriacum Abulpharagii ram Simeonis Manemitæ Patriarchæ Syriæ & Ciliciæ, quam Henochi Patriarchæ Turabdinenſium obitus ad annum Græcorum 1754. Chriſti 1443. ponitur. Henocho ſucceſſit Ignatius V. qui & Philoxenus Cuma Severinita, Epiſcopus Cartaminæ, obiitque anno Græcorum 1767. Chriſti 1456. Hic in Epiſcopatu Cartaminenſi exceperat Barſumam Manemitam, quem Curdi anno Græcorum 1752. Chriſti 1441. interfecerunt.

Ignatius III. Patriarcha Turabdinenſium.

Ignatius IV. Patriarcha Turabdinenſium.

Ignatius V. Patriarcha Turabdinenſium.

LX. Ignatius X. dictus VI. qui & Chaleph Maadanenſis, filius ſororis Barſumæ Baſilii Maphriani, Epiſcopus Geziræ, Patriarcha ordinatus eſt a Barſuma Sciatti Arabum Epiſcopo Dominica Pentecoſtes anno Græcorum 1766. Chriſti 1455. Joſephum Niſani filium, Damaſci Epiſcopum anno Græcorum 1769. Chriſti 1458. impoſito Cyrilli nomine, Maphrianum conſecravit, qui paucis poſt diebus Emeſæ deceſſit. Anno Græcorum 1782. Chriſti 1471. adhibitis Azizi Patriarchæ Turabdinenſium & Georgii Epiſcopi Cartaminenſium conſiliis Joannem Barſilam Amidæ & Sauræ Epiſcopum præfecit, Azizum vero ſororis ſuæ filium quem antea Epiſcopum Geziræ ordinaverat, impoſito Baſilii nomine Maphrianum Orientis renunciavit. Obiit anno Græcorum 1795. Chriſti 1484. in Cœnobio Zapharanenſi conditus.

Ignatius X. dictus VI.

Sub eo Turabdinenſibus poſt Ignatium V. præfuit Ignatius VI. qui & Baſilius Joſue Invardenſis, poſitarum ſupra Tigrim regionum Epiſcopus, a Georgio Cartaminenſi Epiſcopo anno Græcorum 1767. Chriſti 1456. Patriarcha ordinatus: qui quum annos 6. ſediſſet, deceſſit in Cœnobio Jacobi in Salacha anno Græcorum 1772. Chriſti 1461. vel anno præcedenti, ut legitur in Appendice ad Chronicon Abulpharagii. Ejus in locum eodem anno feria quinta majoris hebdomadæ ſubſtitutus fuit Ignatius VII. qui & Philoxenus Azizus Barſabta, Epiſcopus Haz, ex Baſilea Mardenſis regionis pago, monachus Cœnobii Cartaminenſis, quem Georgius Severinita ejuſdem Cœnobii Epiſcopus ordinavit: obiit autem in Caſtro Cepha anno Græcorum 1793. Chriſti 1482. in Eccleſia Sancti Zachæ conditus. In Appendice ad Chronicon Abulpharagii mors Azizi Patriarchæ ad annum Græcorum 1788. Chriſti 1477. ponitur. Hic pacem cum Mardenſibus fecit, & Chalephum Patriarcham una cum Azizo Maphriano ſororis ejus filio, & Joanne Barſila ejuſdem Chalephi Syncello ad conſecrandum ſecum Chriſma invitavit. Viciſſim Chalephus Turabdinenſes in conſecrationes Chriſmatis adhibere voluit. Quo autem anno Patriarchatum iniit, conſecravit Epiſcopos Mobara-

Ignatius VI. Patriarcha Turabdinenſium.

Ignatius VII Patriarcha Turabdinenſium.

chum Hazæ, Alexandrum Cart-barthæ, & Abdelmeſſiam Maipheractæ. Sub eodem Eccleſia Caſtri Severini inſtaurata eſt anno Græcorum 1785. Chriſti 1474. & inventæ ſunt reliquiæ Sanctorum Dadæ, Aſiæ, & Achæ.

Ignatius VIII. Patr. Turabdinenſium.

Ignatius IX. Patr. Turabdinenſium.

Poſt ejus vero obitum Turabdinenſes in duas factiones ſciſſi ſunt: & alii quidem Sabam Arabum Epiſcopum ſibi Patriarcham conſtituerunt, alii Joannem Mardenſem. Primus Ignatii VIII., alter Ignatii IX. nomen aſſumpſit. Uterque oblatis domino Caſtri Cephæ donis Patriarchatum geſſit; Saba quidem ſenex in Cœnobio Salachæ; Joannes vero juvenis qui Gargariæ antea Epiſcopus fuerat, in Cœnobio quodam apud pagum Modiadenſem. Chalephus Mardenſium Patriarcha hac ratione eos conciliavit, ut juvenis ſeni miniſtraret eique primas deferret, donec e vita excederet.

Ignatius XI. dictus VII.

LXI. Ignatius XI. dictus VII. qui & Joannes Batſila Epiſcopus Amidæ, patria Gargarenſis, poſt Chalephi obitum, quum Patriarchalem dignitatem Azizus Maphrianus ex una parte ambiret, ex altera nonnulli Epiſcopi pecuniam etiam ad eam conſequendam Ibrahimo Mardæ Domino obtuliſſent, ipſe Joannis Badri Presbyteri & Iſæ Jacobitarum ejus urbis principis opera obtento a memorato Ibrahimo diplomate, Patriarcha renunciatus eſt anno Græcorum 1795. Chriſti 1484. Poſt biennium pace cum Azizo Maphriano facta, Chriſma ſimul in Turabdino conſecrarunt. Inde Niſibin pergens, Eccleſiam in ea urbe Deiparæ nuncupatam exſtruxit. Quumque Azizus Maphrianus die 10. Septembris anno Græcorum 1798. Chriſti 1487. deceſſiſſet, in ejus locum anno Græcorum 1800. Chriſti 1489. Noe Libaniotam Emeſæ Epiſcopum ſubſtituit, viginti Eccleſias diverſis in locis ædificavit: & quam Ægyptii Jacobitæ Hieroſolymis habebant, ſoluto pretio pro Syris ſuis emit. In Cœnobium Scetenſe, ubi Syri Monachi in Ægypto degebant, multa beneficia contulit. Tria Suræ Monaſteria inſtauravit, ac præſertim illud Abæi, in quod aquam duxit; Zapharanenſe vero monaſterium, ubi hodie Patriarcharum Jacobitarum Sedes eſt, novis exſtructis Cellis, ductis aquis, comparatiſque amœnis hortis mirifice exornavit. Demum quum annos 16. ſediſſet, die 24. Septembris anno Græcorum 1804. Chriſti 1493. in eodem Zapharanenſi Cœnobio deceſſit. Veneno ſublatum ferunt a quodam Joſue Surenſi.

Sub eo Georgius Epiſcopus Cœnobii Gabrielis cum diſcipulo ſuo Stephano anno Græcorum 1801. Chriſti 1490. Hieroſolymam religionis cauſa profectus, ſolutis biscentum aureis ab Arabibus ædes Eccleſiæ Deiparæ Syrorum contiguas emit, ut ſacra loca viſitantibus Syris uſui eſſent. Anno Græcorum 1803. Chriſti 1492. Behenamus Gargarenſis Epiſcopus Adæum & Caumam Presbyteros ex Hieroſolymitana peregrinatione reducens a præſide Gargaræ in vincula conjectos dimitti curavit. Anno demum Græcorum 1804. Chriſti 1493. Navaralius Caſtri Cephæ dominus, Amida Niſibique potitus, Salacham depopulatus eſt, occupatoque Jacobi monaſterio, quod in eodem pago ſitum erat, abſtulit libros & ſacram ſupellectilem. Fugientibus itaque Monachis & Patriarcha Maſudo, Cœnobium illud habitatore vacuum deſertumque manſit.

Ignatius XII. dictus VIII.

LXII. Ignatius XII. dictus VIII. qui & Noe Bacuphenſis ex Monte Libano, Epiſcopus Emeſæ, deinde Maphrianus, demum poſt Joannis Batſilæ obitum electus Patriarcha ineunte Novembri anno Græcorum 1805. Chriſti 1493. vivebat anno Chriſti 1508. quo in urbe Alepo morabatur.

Ignatius X. poſtremus Patriarcha Turabdinenſium.

Sub eo Turabdinenſibus poſtremus Patriarcha præfuit Ignatius X. qui & Maſudus. Hic poſt Sabæ & Joannis mortem ante annum Chriſti 1493.

electus, dignitatem Patriarchalem anno 1494. abdicavit, & in Cœnobium quoddam ſeſe incluſit, his ad ſuos Sectarios mandatis relictis: ne quem ſcilicet ſibi Patriarcham ſubſtituerent, ſed Patriarchæ Mardenſium Ignatio Noe nunquam legitimo obtemperarent. Itaque unus cunctis Jacobitis Syris Patriarcha præfuit Ignatius Noe de quo ſupra dixi. ſublatumque fuit illud Schiſma, quod ab anno Græcorum 1675. Chriſti 1364. per Sabæ Baſilii ordinationem invectum fuerat.

LXIII. Ignatius XIII. dictus IX. qui & Joſue ex Caſtro Kelar. Hic a Chriſtiana fide deficiens, Mahometanam ſectam amplexus eſt: deinde pœnitentia ductus, in Cyprum fugit, ubi ferunt eum de perpe rraro ſcelere ſic doluiſſe, ut præ foribus Eccleſiæ procumbens, collum pedibus populi ingredientis & exeuntis ſubmitteret. Atque ita dignitati ſuæ reſtitutus, ex hac luce migravit. Ignatius XIII. dictus IX.

LXIV. Ignatius XIV. dictus X. qui & Jacobus Damaſcenus. Ignatius XIV. dictus X.

LXV. Ignatius XV. dictus XI. qui & David Maadanenſis. Ignatius XV. dictus XI.

LXVI. Ignatius XVI. dictus XII. qui & Abdalla ex Caſtro Atta apud Marden. Ignatius XVI. dictus XII.

LXVII. Ignatius XVII. dictus XIII. qui & Nehemes, ſeu Nehemetalla Mardenſis ex familia Joannis Barſilæ olim Patriarchæ. Vivebat anno Chriſti 1560. Sed quum religionem Chriſtianam ejuraſſet, Romam ſub Gregorio XIII. ſe contulit. Eum a ſcientia medicinæ laudat Mercatus in Metallotheca. Petrus autem Stroza in Diſput. de Chaldæorum Dogmatibus refert auctorem fuiſſe eidem Gregorio Summo Pontifici, ut Leonardum Abel Sidonienſem Epiſcopum anno Chriſti 1583. ad Davidem fratrem ſuum, qui Jacobitis tunc Patriarcha præerat, allegaret. Moſes Mardenus Presbyter ab hoc Ignatio, dum in Meſopotamia adhuc degeret, Romam anno Chriſti 1552. ad Julium III. Papam miſſus, ibidem orthodoxæ fidei profeſſionem tum ſuo, tum Patriarchæ ſui nomine emiſit, quam Andreas Maſius Latine edidit. Idem Moſes ex Urbe in Germaniam profectus, Viennæ in Auſtria novo Teſtamento Syriaco typis imprimendo operam dedit, quod anno 1555. prodiit. Ignatius XVII. dictus XIII.

LXVIII. Ignatius XVIII. dictus XIV. qui & Petrus David, ſeu David Sciah, Mardenſis, Nehemæ frater, Jacobiticam Eccleſiam regebat ab anno Chriſti 1579. ad annum 1589. Ad eum anno 1583. Nuncius Apoſtolicus miſſus fuit Leonardus Abel, ut modo dixi, de qua miſſione hæc Petrus Stroza. *Ad quem, ideſt, ad Davidem, Gregorius XIII. Nuncium Apoſtolicum miſit, cum confirmatione Patriarchatus, ac Patriarchali pallio, Leonardum Abel Epiſcopum Sidonienſem anno Salutis 1583. ſpe motus, quam in eo excitaverat reconciliationis illius Patriarchæ cum Sancta Apoſtolica Sede Nehemes ejus frater, olim & ipſe Jacobitarum Patriarcha: qui declinandæ Turcorum perſecutionis cauſa, ad Gregorii caritatem confugerat. Legationis ſuæ ſucceſſum parum felicem Epiſcopus Sidonienſis reverſus, infectare, renunciavit poſtea Sixto Quinto, commentario diligenter conſcripto, in quo multa ſcitu digna leguntur de hac natione.* Ex quibus hæc Thomas a Jeſu lib. 7. de converſione gentium procuranda Part. 1. cap. 14. pag. 386. deſcripſit. *Natio Jacobitica diſperſa eſt per civitates, terras, & oppida Syriæ, Meſopotamię, & Babylonię, mixta aliis nationibus; numerum quinquaginta millium domuum obtinens, cujus pręcipua pars paupercula eſt, quotidianoque labore victum quęritat. In Alepo & Caramit* (hoc eſt, Amida) *multę ſunt divites & honeſtarum facultatum familię, aliæque in commercia & mercatura vitam ducentes. Eccleſia Patriarchalis hujus nationis eſt in Meſopotamia extra civitatem moradim* (hoc eſt, Marden) Ignatius XVIII. dictus XIV.

*in monaſterio Zafram* ( Zaphatanenſi : ) *ſed Patriarcha reſidet in Civitate Caramit ad majorem ſui commoditatem & quietem . Hæc natio ſubdita eſt Patriarchæ David : ſed ab Epiſcopo Thoma Vicario generali fratreque majori ipſius Patriarchæ gubernatur . Sub cujus obedientia moderne vivunt inferiores Prælati , Joannes Metropolitanus Hieroſolymitanus a Jacobitis dictus quintus Patriarcha ; Michael Archiepiſcopus Edeſſæ dictæ Orpha vel Raha : Minas Archiepiſcopus Saur : Ephrem Archiepiſcopus in eadem provincia : Jacobus Archiepiſcopus Biſuairia : Abraham Epiſcopus Aatafræ : Melchez Epiſcopus Sancti Melchi in Tur. Jeſu Epiſcopus monaſterii Deiriloomor : Abel-medich in provincia Tur ; Elias Epiſcopus in Salach : Elias Epiſcopus in monaſterio Sanctæ Crucis in Zac : Gazal Epiſcopus in Tarach : David Epiſcopus in Maaden ; Pilatus Metropolitanus in Muſal & Oriente : Gazel Archiepiſcopus de Miapherichin : N. Archiepiſcopus monaſterii de Mar Abihai : Ananias Epiſcopus de Hartbert : Iſaac Archiepiſcopus Cypri : Simeon Archiepiſcopus Caramitanus : Habib Epiſcopus .* Hæc Leonardus Abel.

Ignatius XIX. dictus XV. LXIX. Ignatius XIX. dictus XV. Pilatus Manſurenſis , ſub Ignatio Davide Maphrianus , ſeu *Metropolitanus in Muſal & Oriente* , ut vocat Leonardus Abel apud Thomam a Jeſu modo citatum.

Ignatius XX. dictus XVI. LXX. Ignatius XX. dictus XVI. Abdalgami frater Pilati.

Ignat. XXI. dictus XVII. LXXI. Ignatius XXI. dictus XVII. Petrus Hodaje , ſeu Hudajes. Vivebat anno Græcorum 1933. Chriſti 1622. ut liquet ex epigrahe cujuſdam Codicis Syriaci M.S. relata tom. 2. Biblioth. Orient. pag.238.

Ignat. XXII. dictus XVIII. LXXII. Ignatius XXII. dictus XVIII. Simeon . Hic anno Græcorum 1966. Chriſti 1655. die 2. Septembris Maphrianum ordinavit Abdelmeſſiam . Sub eodem quum Jacobitæ plurimi ad fidem catholicam in urbe Alepo converſi fuiſſent , rogatu miſſorum Apoſtolicorum & opera Franciſci Piquet Gallicæ nationis Conſulis , Andreas Achigianus Abdalgali filius , Collegii Maronitarum de Urbe olim Alumnus , a Joanne Antiocheno Maronitarum Patriarcha Archiepiſcopus Alepi anno Chriſti 1656. ordinatus fuit , impoſito ei Dionyſii nomine , quem Simeon Jacobitarum Patriarcha , licet invitus & reluctans , in ea dignitate quoad vixit confirmavit . Obiit autem Simeon in urbe Damaſci anno Chriſti 1659.

Ignat. XXIII. dictus XIX. LXXIII. Ignatius XXIII. dictus XIX. Abdelmeſſias Mardinenſis , Orientis Maphrianus , in Simeonis locum a Jacobitis ſubrogatus anno Chriſti 1659. Sed Catholici Dionyſium Andream Archigianum Alepi Archiepiſcopum impetrato per Franciſcum Piquet Gallorum Conſulem a Curia Othomanica diplomate Patriarcham proclamarunt , Ignatii nomine ei impoſito : qui ſtatim fratrem ſuum Behenamum Ruchigianum Alepi Metropolitam creavit : obtinuitque electionis ſuæ confirmationem a Sede Apoſtolica anno Chriſti 1662. ſedit autem Jacobitis hæreticis nequidquam fremeritibus , uſque ad annum Chriſti 1677. quo obiit die 29. Maii in urbe Alepo . Cujus morte Abdelmeſſias accepta duobus poſt menſibus vacuam Patriarchalem Sedem occupavit , tenuitque in Meſopotamia ad annum circiter Chriſti 1693. quo deceſſit . Sub eo Ignatius qui & Petrus Gregorius , Abdelmeſſiæ ipſius conſanguineus , ex Hieroſolymorum Archiepiſcopo in locum Andreæ a catholicis anno Chriſti 1678. ſuffectus , eodem anno orthodoxos Epiſcopos creavit , Gregorium Joſue Hieroſolymorum , & Dionyſium Reſcallam Alepi : anno vero ſequenti a Romano Pontifice in Syrorum Patriarcham confirmatus fuit : & paulo poſt Baſilium Iſaacum Orientis Maphrianum inſtituit. Sed a Georgio, qui Abdelmeſſiam anno Chriſti 1695. excepit , ejectus, etſi Catholicorum Principum opera Sedem ſuam Ale-

penſem poſt biennium recuperavit , paucis tamen vix elapſis menſibus, eodem Georgio inſtigante , a Turcis Adanam cum ſuis Epiſcopis relegatur, ubi in carcere obiit die 4. Martii anno Chriſti 1701.

LXXIV. Ignatius XXIV. dictus XX. qui & Georgius , poſt Abdelmeſſiam hæreticis præfuit ab anno Chriſti 1695. ad annum 1710. quo deceſſit . Ignatium Petrum Catholicorum Patriarcham, ut modo dictum eſt , in exilium pellendum curavit , Catholicoſque Epiſcopos exterminavit , quorum tres , qui Romam confugerant , ibi diem clauſere , Baſilius nimirum , Iſaac Maphrianus , Gregorius Joſue Archiepiſcopus Hieruſalem , & Athanaſius Saphar Epiſcopus Mardenſis : atque hic poſtremus genti ſuæ hoſpitium in Urbe excitavit , quod Sancto Ephræmo nuncupatum eſt. Ignatius XXIV. dictus XX.

LXXV. Ignatius XXV. dictus XXI. qui & Iſaacus , ex Maphriano Jacobitarum Patriarcha anno Chriſti 1710. electus , obiit anno Chriſti 1725. Ignatius XXV. dictus XXI.

LXXVI. Ignatius XXVI. dictus XXII. qui & Dionyſius Sciocralla , Alepi Archiepiſcopus, Jacobitis uſque in præſentem annum Chriſti 1731. præeſt . Ignatius XXVI. dictus XXII.

# DISSERTATIO IV.

## De Arabum origine, ac religione

### §. I.

### *Arabiæ diviſio in Felicem, Petræam, & Deſertam.*

Arabia notiſſima Aſiæ regio, terminos habet ab auſtro Oceanum Arabicum, ſeu parrem Oceani Indici; ab aquilone Palæſtinam, Syriam, & fluvium Euphratem; ab ortu ſinum Perſicum; ab occaſu ſinum Arabicum, quo ab Ægypto atque Æthiopia disjungitur. Hinc ab Indigenis *Gezirat-Arab*, hoc eſt, *Inſula Arabum*, appellatur, quod mari ab ortu, occaſu, & auſtro claudatur, ad boream tantum terræ continenti conjuncta: Arabes enim eodem *Geziræ* nomine tam Inſulam, quam Peninſulam vocant. Plinius lib. 6. natur. hiſt. cap. 28. *Ipſa Peninſula Arabia inter duo maria, Rubrum Perſicumque procurrens, quodam naturæ artificio ad ſimilitudinem atque magnitudinem Italiæ mari circumfuſa, in eamdem etiam cæli partem nulla differentia ſpectat.* Atque hic Arabiæ proprie dictæ ſitus. Cæterum quum Arabes finibus ſuis egreſſi, in Africa vieinas Rubro mari Ægypti, Troglodyticæ atque Æthiopiæ partes occupaverint; in Aſia vero in Palæſtinam, Syriam, Meſopotamiam Babyloniamque invaſerint; hinc idem Plinius lib. cit. cap. 28. & 29. totum illum rerrarum tractum ad Arabas refert, multaſque eorum gentes illue vel a regibus deductas, vel ſponte migrantes commemorat; Circuitum vero Arabiæ a ſinu Perſieo ad Rubrum, hoceſt, a Charace ad Ælana, colligere prodit quadragies octies eentena, ſeptuaginta millia: latiſſimam denique eſſe Arabiam a Septenrrione in eontinente inter Charaeem & Ælana, ſeu inrer Oſtia Perſici Rubrique maris.

Dividitur communirer Arabia in tres partes. Prima eſt *Arabia Petræa*, Græeis, Πετρώδης, Arabibus *Hagiar*, quæ vox *Petram* ſignificat: Sic dicta ab Hagiar, ſeu Petra vetuſtiſſimo Oppido: Palæſtinæ Ægyptioque confinis, cujus præcipua portio eſt *Hegiaz*, ubi urbes Medina, Meccha, Tajepha, & Jemama.

Altera *Arabia deſerta*, Græcis Ερημος, & Σκηνίτης quod gens vaga in tentoriis habitet, Arabibus *Barr-Arab*, ſeu *Badiat-Arab*, hoc eſt, deſertum Arabum: quæ vox apud Zieglerum, Baudrandium, alioſque recentiores corrupte dicitur *Barraab*, & adhuc eorruptius *Berjara*: hæc autem a Palmyrenis ſolirudinibus ſub Euphrate fluvio ad Chaldæam uſque proeurrens, a meridie montibus Arabiæ Felicis terminatur, ab aquilone Meſopotamiam habet, ab occaſu Petræam. Hine Arabibus triplex eſt: nimirum, *Badiat-Sciam*, Deſerrum Syriæ: *Badiat-Geziræ*, Deſertum Meſopotamiæ: & *Badiat-Arak*, Deſertum Chaldææ: attingit enim fines Syriæ, Meſopotamiæ, & Chaldææ, ſeu Babyloniæ. Arabes iſtiuſmodi vocantur Græeis Σκηνίτας *Scenitæ*, indigenis *Baduini*, hoc eſt, Nomades, Syris *Benai Bara*, ſeu *Barbraje*, hoc eſt, filii deſerti, unde vox *Barbarus* ad Græcos Latinoſque traducta, ut recte obſervat Abraham Ecchellenſis in hiſtor. Arabum cap. primo.

Tertia Arabia Felix, Græcis *Εὐδαίμων*, Petrææ ac Deſertæ Auſtrum verſus ſubjecta, comprehenſa ſinu Arabico ab occaſu, & ſinu Perſico ab ortu; ad meridiem Oceano Arabico, ſeu Indico terminatur. Indigenis dicitur *Jaman*, ſeu *Jeman*, quæ vox primo dexteram, deinde meridiem, ſeu auſtrum ſonat, quia verſis ad Orientem, ubi volunt eſſe mundi anteriora, ad dexteram partem eſt meridies, ad ſiniſtram aquilo, quem proinde Arabes *Scemal*, hoc eſt, ſiniſtram vocant. Apud nonnullos recentiores pro *Jeman* corrupte legitur *Gemen*, *Ayamen*, & *Hyaman*. Ejus regionis incolæ dicuntur *Jamanitæ*, unde corruptum vocabulum *Amanitæ* apud mediæ ætatis ſcriptores Theophanem, Anaſtaſium, & Euthymium, quos vide apud Bochartium in Geographia ſacra lib. 2. cap. 15. Hebræi & Syri pro *Jaman* dicunt *Theman*, *Thaiman*, & *Thaimna*, unde populi *Themanitæ*. Plinius *Thimanæos* populos Arabiæ memorat, quos Nabatæis junxiſſe veteres affirmat. Sed ii fuere Idumæi, ſic dicti a Theman nepote Eſau patris Idumæorum, de quo infra ſermo erit.

§. II.

## ARABES INDIGENÆ ET ADVENÆ.

*Hæc de Arabia regione. Nunc de origine Arabum dicendum eſt.*

Prima Arabum indigenarum origo ex Jectane & Chus, eorumque filiis deſumitur, quorum in Geneſ. cap. 10. a verſ. 7. & 26., & Ezechiel cap. 27. verſ. 22., & cap. 38. verſ. 13. mentio fit.

Jectanem Arabes *Joctan*, & *Cahtan* vocant: fuit autem frater Phaleg, filius Heber, filii Saleh, filii Sem, filii Noe; tredecim vero liberos procreavit, qui per totam illam regionem, quæ *Jaman* & *Arabia Felix* dicta eſt, effuſi, ſuas ibi ſedes fixerunt: nimirum 1. *Elmodad*, ſeu *Almodad*. 2. *Saleph*. 3. *Aſarmoth*, ſeu *Hatzar-Maveth*, Arabibus *Hadarmauth*. 4. *Jare*, ſeu *Jerach*, Arabibus *Helal*. 5. *Aduram*, ſeu *Hadoram*. 6. *Uzal*, ſeu *Auzal*. 7. *Decla*. 8. *Ebal*, ſeu *Obal*, vel *Aubal*. 9. *Abimael*. 10. *Saba*. 11. *Ophir*, ſeu *Auphir*. 12. *Hevila*, ſeu *Chavila*. 13. *Jobab*. Ab his orti ſunt, qui *Arab Arebah*, hoc eſt, *Arabes authoctones* ſive indigenæ dicuntur: quod oſtendunt antiqua nomina tribuum, ſeu populorum Arabiæ, quæ apud Græcos Latinoſque ſuperſunt, quæque ex Jectane ejuſque filiis certiſſime derivant: ut *Catanei*, ſeu *Catanitæ* a Cahtano, vel Jectane. *Allumæota* ab Almodad. *Salapeni* a Saleph, quos Ptolemæus *Alapenos* vocat. *Chatrammitæ*, vel *Chatramotitæ*, aliis *Atramitæ* & *Adramyteni*, ab Adarmoth, ſeu Azarmoth. *Alilæi* ab Helal, ſeu Jerach. *Adramitæ*, ſeu *Drimati* ab Aduram. *Auſaritæ* ab Uzal, ſeu Auzal. *Abalitæ* ab Aubal. *Malitæ*, ſeu *Manitæ* ab Abimael. *Sabæi* a Saba. Ab Hevila, ſeu Chavila *Chaulanitæ* qui aliis *Carbi* & *Cerbani*. Demum *Jobabitæ* a Jobab, qui apud Ptolemæum *Jobaritæ* dicuntur. Horum ( ut in Geneſ. cap. 10. verſ. 30. legitur ), *habitatio facta eſt de Meſa uſque ad Saphar montem Orientis*, id eſt, a Muſa, ſeu Muza emporio Sinus Arabici, uſque ad Saphar, ſeu Taphar urbem Homeritarum, ut obſervat Samuel Bochartius, qui de his doctiſſime diſſerit Geograph. ſacr. lib. 2. a cap. 15. alii ſedem eorum a monte Maſio in Meſopotamia uſque ad Sepharuaim Mediæ montem definiunt: quam tamen conjecturam falſam eſſe arguunt nomina, quia Catanitarum, Chatramotitarum, Drimatarum, Auſaritarum, Sabæorum, Chaulanitarum, quos in Arabia populos fuiſſe, non in Meſopotamia, neque in Aſſyria, aut in Media, nemo niſi geographiæ hiſtoriæque ignarus negaverit.

Chus fuit filius Cham, filii Noe, filioſque habuit *Saba*, *Hevila*, *Sabatha*, *Regma*, & *Sabatacha*: filii autem Regmæ, *Saba*, & *Dadan*. Ab his nati *Chuſæi*, ſeu Chuſitæ, & *Sabæi*, qui Arabiam incoluere ad Perſici & ad Rubri maris Sinum. Saba enim Hevila, Sabatha, Sabatacha, & Regma, ſeu Reema, ejuſque filii Saba & Dadan, ad ſinum Perſicum habitarunt, ut ex Scriptura, & ex Geographis oſtendit idem Bochartius lib. 2. a cap. 4. Et a Saba quidem Chuſi filio *Sabæi* dicti ſunt Samamæ regionis incolæ. Ab altero Saba Regmæ filio *Sabæi* ad oſtium maris Perſici, a quibus promontorium Sabo, ſeu Aſabo appellatur. Ab Hevila *Chaulotæi*, aliis *Chaulaſii* & *Chablaſii*, medii inter Nabaræos & Agræos. A Sabatha *Sabtæi*, Ptolemæo *Stabæi* circa Carmaniæ confinia a mari parum diſſiti. A Regma, ſeu Reema, incolæ urbis Rhegmæ ſupra oſtium Perſici maris, & ſinum Ichtyophagorum. A Dadan Regmæ filio *Dadanæi* populi in littore ſinus Perſici prope Rhegmam. Denique a Chus *Chuſæi*, qui Græcis & Latinis *Æthiopes*, hoceſt, aduſti coloris populi dicuntur: etſi enim Chuſæorum nomen ſequioris ævo pro Æthiopiæ Africanæ incolis, quos *Habaſſinos* dicimus, uſurpari cœptum eſt; Chuſæos tamen, antequam ſinum Arabicum trajicerent, inque adverſam Æthiopiæ partem migrarent, in Arabia habitaſſe, certiſſimis argumentis demonſtrat idem Bochartius lib. 4. cap. 2.

Altera Arabum advenarum origo deducitur ex filiis, quos Abrahæ Patriarchæ Geneſ. 25. verſ. 2. & 12. Hagar & Cetura ancillæ pepererunt: nimirum ex Iſmaele filio Hagar, ejuſque filiis Nabajoth, Cedar, Adbeel, Mabſam, Maſma, Duma, Maſſa, Hadad, Thema, Jethur, Naphis, & Cedma: necnon ex filiis Ceturæ Zamram, Jecſan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue: præterea ex filiis eorum Saba, Dadan, Epha, Opher, Henoch, Abida, & Eldaa. Demum ex Moab & Ammon filiis Lot, Geneſ. 19. verſ. 37. & 38. & ex Eſau, ſeu Edom filio Iſaaci filii Abrahæ, Geneſ. 36.

Ab his orta notiſſimi Arabiæ populi *Iſmaelitæ*, *Madianitæ*, *Moabitæ*, *Ammonitæ*, & *Edomitæ*, ſeu *Idumæi*, quos *Arab-Motaarrabeh*, & *Moſtaarabeh*, hoc eſt, Arabes advenas & adſcititios vocant, quod nimirum eo poſtea advenerunt, ubi primi Arabes habitabant, quibuſcum connubia & fœdera contraxere. Dicti ſunt etiam *Hagareni* ab Hagar matre Iſmaelis: & alia quoque nomina ſortiti ſunt ex filiis Iſmaelis: *Nabatæi*, ſcilicet, a Nabajoth illius primogenito: *Cedareni*, ſeu *Cedræi*, & *Cedranitæ* a Cedar: *Ituræi* a Jethur: *Maſani* a Maſa: *Maſemanes* a Maſma: *Themi* a Thema. Ex filiis Ceturæ, *Zamareni* a Zamran: *Suitæ* a Sue. Ex nepotibus Eſau, a Theman *Themanitæ*, ſeu *Thimanæi*: ab Elah *Elanitæ*. Ex Nahat, Zara, Samma, Meza, filiis Raguelis filii Eſau, *Mizi*, *Sammæi*, *Zurachi*, & *Nocheti*. Ex Sobal, & Eſer, ſeu Ezer, filiis Seir Honæi, *Azaræi*, & *Suelleni*, *ſeu Sbelleni*. Ex Heman filio Lothan, & ex Hus filio Diſan filii Seir Horræi, *Hemuatæ*, & *Æſitæ*, ſeu *Auſitæ*. Ex Manahar, ſeu Manachat filio Sobal, *Munichiatæ*. Ex Hamdan filio Diſon, *Helmodenes*. Sed plerorumque nomina ſunt tempore deleta, ſolo *Idumæorum* diutius conſervato; & *Nabatæorum* primum, deinde *Hagarenorum*, atque *Saracenorum* latiſſime diffuſum, in commune ſucceſſit fere omnibus.

## §. III.

*De Minæis, Nabatæis, Ituræis, Batanæis, Auranitis, Gaulanitis, Argobenis, Ammonitis, Moabitis, Madianitis, Idumæis, & Amalecitis.*

Nomen *Ammonitarum* a Græco Interprete 2. Paralipom. 26. verſ. 7. & 8. in Μιναίους, *Minæos* convertitur: unde quis colligere poſſet, Minæos Arabum populos, quos Græci Latinique Scriptores celebrant, non alios eſſe, quam Ammonitas. Sed, ut recte obſervat Bochartius lib. 2. Phaleg. cap. 22., *Ammon* & *Maon*, ſeu *Ammonitæ*, & *Maonitæ*, vel *Minæi*, ſunt diverſi populi. Horum regia eſt *Carna* ſupra Meccam ad meridiem haud procul a Mari Rubro; Ammonitarum vero Metropolis *Rabba* in Arabia deſerta Maonitarum diſerta fit mentio Judicum 10. his verbis: *Numquid non Ægyptii, & Amorrhæi, & filii Ammon, & Philiſtæi, & Sidonii, & Amalec, & Maon oppreſſerunt vos?* Ubi in Hebraico fonte & Chaldaica Paraphraſi diſerte legitur *Maon* tamquam ab *Ammon* diverſus; etſi Latinus Interpres pro *Maon* habet *Chanaan*, & Syrus loco *Ammon* legit *Moab*, & loco Maon *Ammon*; Græcus vero juxta diverſa exemplaria Ammon conjungit cum Chanaan, Moab, & Madian. Maonitæ quoque memorantur in Hebræo Textu 1. Paralipom. 4. ubi de poſteris Judæ in diebus Ezechiæ regis dicitur, quod profecti ſunt in Gador, ut quærerent paſcua gregibus ſuis, inveneruntque terram latiſſimam & fertilem, in qua ante habitaverant de ſtirpe Cham, *& percuſſerunt tentoria eorum, & Meunim* (Maonitas) *qui inventi ſunt ibi, & deleverunt eos uſque in præſentem diem*: ubi Latinus legit, *& habitatores qui inventi fuerant ibi*: Syrus, *& deſtruxerunt tabernacula eorum, & cunctas aquæ ſcatebras, quæ illic erant, obturarunt uſque in præſentem diem*: Græcus vero, recte, ἐπάταξαν τοὺς οἴκους αὐτῶν, καὶ τοὺς Μιναίους, οὓς εὕροσαν ἐκεῖ, *percuſſerunt domos eorum, & Minæos, quos invenerunt ibi*. Denique Minæorum meminit Græcus Interpres 2. Paralipom. 20. iis verbis: ἦλθον οἱ υἱοὶ Μωὰβ, Καὶ υἱοὶ Ἀμμὼν, καὶ μετ' αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων, *venerunt filii Moab, & filii Ammon, & cum ipſis ex Minæis*: ubi Hebræi pro *Meunim*, per litterarum tranſpoſitionem habent Ammonim, ſic: *venerunt filii Moab, & filii Ammon, & cum iis ex Ammonitis*, nullo ſenſu: Syrus vero pro Maonitis legit, *& cum iis viri bellatores*. Deſerti *Maon* mentio fit 1. Reg. 23. & 25. & in Moabitarum terra fuit *Beth-Maon*, cui minatur Hieremias cap. 48. Nec ſine cauſa Metropolis Minæorum, quæ Auctorum omnium conſenſu *Carna* eſt, Arabibus *Carno-l-Manazel*, hoc eſt, *Carna habitaculorum*, appellatur: Quod enim Arabibus *Manzal*, hoc Hebræis & Phœnicibus *Maon* eſt, cujus plurale *Meunim*: unde *Carna Meunim*, idem eſt, ac *Carna Minæorum* Metropolis.

A Nabajoth, inquit S. Hieronymus quæſt. in Geneſ. 25., *omnis regio ab Euphrate uſque ad mare Rubrum Nabatena uſque hodie dicitur*: Deſerta nimirum Arabia cum magna parte Petrææ. Inter urbes Nabatæorum *Duma* celebratur, ſic dicta a Duma fratre Nabajoth, de quo Geneſ. 25. verſ. 14. Ptolemæus *Dumætham* vocat: Plinius *Dumatham* & *Thumatam*. Sed ubi Iſajæ 21. 11. Hebraice, Chaldaice, & Syriace legitur *Duma*, Græcus Interpres habet Idumæa, & Arabicus *Edon*.

Ituræi non procul a Damaſco Syriæ urbe regionem Auranitim, & Trachonitidem incoluerunt, de quibus idem S. Hieronymus: *Iturea, & Trachonitis regio, cujus Tetrarcha fuit Philippus, ſicut in Evangeliis legitur. Trachonitis autem dicitur terra juxta Arabiæ Deſertum, quod Boſræ jungitur.* Hodie

Auranitis *Belad-Hauran*, hoc eſt, regio Hauran ; & Trachonitis *Belad-Scikiph*, hoc eſt, regio aſpera & petroſa, dicitur. His conjunctæ *Baſan* ſeu Bathanæa, & *Galaad* ſeu Galaaditis, & *Gaulan* ſeu Gaulanitis regiones, in quibus urbes *Argob*, *Edrei* ſeu Adraa, *Saron*, *Gaulon*, *Gamala*, *Ramoth*, *Jabes*, & aliæ de quibus vide Cellarium lib. 3. cap. 13. Hinc Arabes *Iturai* ſeu Ityræi a Jetur dicti: *Bathanei* a Baſan: *Auranitæ* ab Hauran: *Gaulanitæ* a Gaulan ; & *Argobeni* ab Argob, quos Ptolemæus *Agubenos* vocat.

Ammonitarum Metropolis *Rabba*, Joſue 13. 25. quæ *Rabbath Ammon* in Scripturis dicitur, 2. *Reg.* 11. 12. 17. *Ezechiel.* 49. Polybio *Rabatamana*, Ptolemæo *Rhabmathom*, Joſepho *Rabata*, Hieronymo *Amman*, & *Ammon* ; a Ptolemæo Philadelpho dicta *Philadelphia*. Urbes eorum (quarum ſit mentio Judic. 11. 33. Joſue 13. 25. & apud Epiphanium in Anacephal. pag. 145.) *Menith*, *Jazer*, *Bachatus*, & *Abel-Cheramin*, ſeu *Charmin*, hoc eſt, Vineatum, unde *Charmæi* Arabum populi apud Plinium.

Moabitarum regia *Ar*, Hebræis *Ir*, hoc eſt, urbs per excellentiam: Arabibus *Ar*: Syris *Ad*, Daleth pro Reſc ſubſtituto: Græcis *Areopolis*: quæ & *Rabba*, & *Rabbath Moab* dicitur, ut a Rabbath Ammon diſtinguatur. Chaldæus interpres eam vocat *Lehajath*: ubi enim Hebraicus fons habet numer. 21. 15. *Scopuli torrentium inclinati ſunt, ut requieſcerent in Ar.* ipſe legit, *effuſio torrentium, qui ducuntur contra Lehajath:* & Iſaiæ 15. 5. quod in Hebræo dicitur, *Vaſtata eſt Ar Moab*, in Chaldæo legitur, *diruta eſt Lehajath Moab*. Sed Lehajath non alia videtur a *Luith* ſeu *Luchith*, qui vicus eſt inter Areopolim & Zoaram, ut inquit S. Hieronymus, & ab Iſaia ramquam locus ab Ar Moab diverſus nominatur in citato cap. 15. verſ. 5. Urbes Moabitarum ſunt, 1. *Medaba*, alias Medava & Medba 2. *Heſebon*, alias Eſbon & Eſbus, unde *Eſbonitæ* apud Plinium, 3. *Maſpha*. 4. *Luith* ſeu *Luchith*, alias *Lehajath* & *Lechajath*, quam modo memoravi, unde fortaſſe populi *Licheni* ſeu *Leceni*, Ptolemæo ac Plinio memorati 5. *Dibon*, alias *Dimon* 6. *Nabo* 7. *Carioth*. 8. *Nemrim*, alias Bennamarim, Beth-Nimra, & Benamerium 9. *Caria-thaim*, alias Corajath, unde *Carræi* 10. *Horonaim*, ſeu Orona 11. *Jaſa* 12. *Helon* 13. *Mephaath* 14. *Diblathaim*, ſeu Beth-Diblathaim 15. *Beth-Gamul* 16. *Beth-Maon*, alias Beel-maon, & Belmon 17. *Sabama* 18. *Segor*, alias Zoara & Zara 19. *Eglaim*, alias Ghelaam & Galim 20. *Eleale* 21. *Beer-Elim*, alias Elim 22. *Beth-Jeſimoth*, alias Beth-Aſimon, Beth-Simoth, & Beſimoth 23. *Canath*, ſeu Nobe : de quibus Numer. 21. 32. Joſue 11. Iſaiæ 15. Hieremiæ 48. & Ezechiel. 25. His adde alias urbes, quas Amorrhæi Moabitis olim eripuerant, & quæ in Peræa, hoc eſt, regione trans Jordanem, continebantur, & ad Arabiam Petræam ſpectant: nimirum, 1. *Gadara* 2. *Geraſa* 3. *Suſitha*, alias Hippos 4. *Butis*, alias Pella 5. *Raphana*, alias Raphanea 6. *Saphon* 7. *Betharan*, alias Bethramtha, Livias, & Julias 8. *Dabir* 9. *Atharoth*, ſeu Athroth, unde *Athritæ* 10. *Phaſga*, alias Aſedoth Phaſga 11. *Beth-Phogor*, alias Beel Phegor 12. *Bamoth*, alias Bamoth-Baal 13. *Abel-Satim* 14. *Macherus*, unde Ptolemæo *Mocritæ* 15. *Laſa*, alias Callirhoe 16. *Amathus*, alias Æmath, unde *Amathei* apud Plinium 17. *Carcar*, quæ eſt Ptolemæi Coracc.

Madianitarum caput *Madian* in deſerto Saracenorum maris Rubri, unde vocatur regio Madianæa, ubi antiqui Chuſæi habitabant, eoque ſpectant populi Zamran, Sue, Saba, Dadan, & Epha, ſic dicti a Zamran, & Sue filiis Ceturæ, & ab ejuſdem Ceturæ nepotibus Saba, Epha, & Dadan. Urbs eorum Madian, quæ eſt Ptolemæi Modiana.

Idumæorum metropolis *Petra*, quæ Hebræis *Sela* & *Jectael*, Syris *Re-*

*cem-*

*cem* . Urbes eorum *Theman* , *Phenon* , *Thamna* , & *Elah* ( quæ & Aila , Ailana , Elana , Elath , Ailath dicta eſt ) : ſic appellatæ a Themam , Phinon, Thamna, & Elath nepotibus Eſau patris Idumæorum, de quibus Geneſ. 36. Item *Boſra* , alias Boſor : *Denaba* , alias Danaba : *Avith* , Ptolemæo Anitha : *Phau* : & *Maſreca* , ubi regnarunt primi Idumæorum reges , Geneſ. 36. necnon *Pharan* , & *Aſiongaber* ad mare Rubrum . Ab Elah , ſeu Elana dicti *Elanitæ* , quos alii vocant Læanitas , Ælanitas , Ælenatas , Alenitas , & Lænitas , vide Plinium lib. 6 cap. 28. ab Avith *Autai* : a Pharan *Pharanitæ* ; & a Maſreca *Saraceni* , populi Ptolemæo , ac Plinio memorati.

Idumæis accenſendi *Amalecitæ* , quorum pater fuit Amalech filius Eliphaz filii Eſau , de quo Geneſ. 36. Regio eorum *Gebal* , quæ Euſebio *Gabelene* , Hieronymo *Gabalene* , & Joſepho *Gobolites* dicitur.

## §. IV.

### *Arabum populorum nomina apud antiquos Græcos Latinoſque Scriptores.*

Strabo lib. 16. Geographiæ , populos Arabiæ Petrææ , ac Deſertæ vocat *Nabatæos* , *Chaulbotæos* , *Agræos* , & *Scenitas* ; Felicis vero Arabiæ incolas , *Minæos* in parte ad Rubrum mare ſita , quorum maxima civitas *Carna* , ſive *Carana* : *Sabæos* his proximos quorum metropolis *Mariaba* : *Catabanos* ad anguſtias & Arabici ſinus tranſitum , quorum regia dicitur *Tamna* : & *Chatramotitas* ad Orientem maxime poſitos , quorum urbs *Cabatanum* ( quæ Sabatan incolis dicitur . ) His addit *Gerræos* , quos ex mercatura ditiſſimos dicit poſt Sabæos ; ad Sinum autem Perſicum habitare urbem Gerrham , eos vero eſſe Chaldæos ex Babylonia exules : quod & ipſum nomen declarat , Hebraice enim *Gherim* , & Chaldaice *Gheraje* , advenæ vocantur . Idem Auctor quum expeditionem ab Ælio Gallo Auguſti Cæſaris juſſu in Arabiam ſuſceptam deſcribit , *Nabatæorum* regionem nominat eorumque regem Obeidam : terram *Arethæ* regis , Obeidæ affinitate conjuncti . ; *Ararenam* nomadum terram , quorum Sabus rex erat : *Agranorum* regionem , vel , ut alii codices habent , *Negranorum* , ubi urbes *Aſca* , & *Athrulla* , ( queis addit Plinius lib. 6. cap. 28. *Anneſtum* , *Maguſam* , *Tammacum* , *Labeçiam* , *Mariabam* , & *Caripetam* ) : urbem *Rhamanitarum* , qui ſub Ilaſato erant: denique urbes *Anagrana* , *Chaalla* , & *Malotham* .

Apud Plinium in hiſtoria naturali lib. 5. cap. 11. & lib. 6. cap. 28. & 29. præter nota Arabum *Saracenorum* , *Sabæorum* , *Nabatæorum* , *Homeritarumque* nomina , & præter ea , quæ ab eorum moribus , ac vivendi ratione , *Nomadum* , ſcilicet , *Scenitarum* , atque *Ichthyophagorum* , deſumuntur , iſti populi memorantur : nimirum , *Acchitę* , *Achoali* , *Agacturi* , *Agręi* , *Amathęi* , *Ammonii* , *Amptę* , *Analitę* , *Antidalei* , *Apitami* , *Arſi* , *Aſcitę* , *Atramitę* , *Autęi* , *Azaręi* , *Bachilitę* , *Baraſęi* , *Bathymi* , *Borgodi* , *Ceſani* , *Cagulatę* , *Calingii* , *Candęi* , *Carręi* , *Catabani* , *Cataręi* , *Caurarani* , *Cedręi* , *Cerbani* , *Chadęi* , *Chareni* , *Charmęi* , *Chaulęi* , *Chateni* , *Chatramotitę* , *Choani* , *Codani* , *Coranitę* , *Darrę* , *Drimati* , *Elanitæ* , *Esbonitę* , *Gaſani* , *Gaulopes* , *Gebanitæ* , *Gedranitæ* , *Gerræi* , *Glari* , *Gnebadæi* , *Gyræi* , *Hamiręi Hammonii* , *Helmodenes* , *Hemuatæ* , *Ilſanitę* , *Larendani* , *Lexianæ* , *Licheni* , *Macæ* , *Maranitæ* , alias *Epimacanitæ* , *Mathatæi* , *Minæi* , *Mizi* , *Nocheti* , *Omani* , *Ravi* , Rham-

*mæi* , *Sammæi* , *Suelleni* , *Tarveni* , *Thaludæi* , alias *Chaludæi* , *Thamudæi* , *Thimanæi* , *Toani* , *Tomabæi* , *Vadæi* , *Zamareni* , *&* *Zurachi*.

Ptolemæo lib. 5. Tabula 4. Aſiæ cap. 17. Arabiæ Petrææ populi recenſentur *Elanitæ* , *Munichiatæ Pharanitæ* , *Ratheni* , *Saraceni* . Cap. 19. Deſertæ , *Æſitæ* , alias *Auſitæ* , *Agræi* , *Agubeni* , *Bathanæi* , *Chauchabeni* , *Horcheni* , *Marteni* , *Maſani* , *Raabeni* . Et Tab. 5. Aſiæ cap. 7. Arabiæ Felicis populi , *Abucæi* , *Achchitæ* , *Ægæi* , *Alapeni* , *Allumæotæ* , *Anaritæ* , *Apatæi* , *Arabanitæ* , *Arſæ* , *Aſateni* , *Aſcitæ* , *Athritæ* , *Banubari* , *Bliulæi* , *Caſſanitæ* , *Catabani* , *Catanitæ* , *Chatramotitæ* , *Cinedocolpitæ* , *Cythebanitæ* , *Dachareni* , *Darræ* , *Doreni* , *Eliſari* , *Gerræi* , *Homeritæ* , *Jobaritæ* , alias *Jobabitæ* , *Joliſitæ* , *Iritæ* , *Læanitæ* , *Leceni* , *Macæ* , *Mæſemanes* , *Malangitæ* , *Malichæ* , *Manitæ* , alias *Malitæ* , *Marithæ* , *Maſonitæ* , *Mapphoritæ* , *Minæi* , *Mocritæ* , *Oaditæ* , *Omanitæ* , *Rhatini* , *Sabæi* , *Sachalitæ* , *Sapphoritæ* , *Saraceni* , *Saritæ* , *Sideni* , *Tappharitæ* , *Thamydeni* , *Thanuitæ* , *Themi* , *Udeni*.

Horum populorum nomina, quorum pleraque velut obſcura a Cellario aliiſque in Arabiæ deſcriptione prætermiſſa ſunt, partim ex ſupradictis elucidata habes , partim ex iis , quæ ex Geographis Orientalibus mox proferam, exponuntur.

## §. V.

*Arabum populi & Oppida ex Geographis Orientalibus.*

Arabia apud Orientales in plures provincias dividitur , quarum præcipuæ ſunt 1. *Jaman* . 2. *Hegiaz* . 3. *Badia* . 4. *Nabat* . 5. *Arak*.

In Arak , Badia , & Nabat comprehenditur Arabia deſerta, qua parte fines Chaldææ , ſeu Babyloniæ , Meſopotamiæ , Syriæ , & Palæſtinæ attingit , & ad maritimas etiam Sinus Perſici urbes extenditur: adeoque nonnulla etiam Petrææ oppida complectitur . Ibi ad Syriæ , Palæſtinæ , & Arabiæ Petrææ confinia erant Arabes *Bathanæi* , *Auranitæ* , *Ituræi* , & *Trachonitæ* : nunc dicitur *Regio-Haretæ* , *Scechiph* , & *Hauran*.

Præterea ſolitudines Palmyrenæ, quæ Arabicis conjunctæ ſunt, & per totam Deſertam Arabiam uſque in Petræam & Felicem continuantur : & olim quidem *Palmyra*, ſeu, ut indigenæ vocant, *Thadomora*, urbs inſignis fuit , eique ſubjectæ Civitates a Ptolemæo ( vide Cellarium Tom. 2. Geograph. pag. 435. ) laudantur *Reſapha*, *Colle*, *Oriza*, *Putea*, *Adada*, *Adacha*. *Danaba*, *Goaria*, *Avera*, *Caſama*, *Odmana*, *Atera*, & ad Euphratem *Alalis*, *Sura*, *Alamatha*. Sed modo præter ruinas ipſius Thadomoræ, & præter Suram urbem ad Euphratis ripas poſitam, Arabum dumtaxat tentoria occurrunt.

Ptolemæo Arabiæ Deſertæ populi juxta Euphratem fluvium memorantur *Cauchabeni*: juxta Syriam *Bathanæi* : juxta Felicem Arabiam *Agubeni* , poſt quos *Raabeni* : & apud Perſicum Sinum *Horcheni*: juxta autem Babyloniam ſub Cauchabenis *Æſitæ*, & ſupra Raabenos *Maſani* : in medio vero *Agræi* juxta Bathanæos: *Marteni* denique juxta Euphratem fluvium. Civitates vero & vici juxta Euphratem fluvium, *Thapſacus*, *Birtha*, *Gadirtha*, *Auzara*, *Eddara*, *Balagæa*, *Pharga*, *Colarina*, *Belgynea* , qui terminus eſt Arabiæ ripenſis . Ad Perſici autem Sinus partem *Ammæa* , *Idicara* , *Jucara* ; & ad Oſtium Euphratis *Teredon* . In Mediterraneis inter Euphratem & Sinum Perſicum *Barathena* , *Sabe* , *Choce* , *Gabara* , *Aurana* , *Rheganna* , *Alata* , *Erupa* , *Themma* , *Luma* , *Thava* , *Sevia* , *Dapha* , *Sora* , *Odagana* , *Tedium* , *Zagmais* , *Arrade* , *Abere* , *Artemita* , *Banacha* , *Dumętha* , *Alata* altera , *Bere* , *Calathuſa* , *Salma* . Sub Babylone , & juxta paludes atque deſertam Arabiam , *Beana* , *Chu-*

*duca* , *Chumana* , *Caſa* , *Birande* , *Orchoe* , *Betthana* , *Thelme* , *Sorthida* , *Jamba* , *Rhagia* , *Chiriphe* , *&* *Rhatta* .

Nune ad Euphratem fluvium juxta Nubienſem & Abulphedam Geographos ſunt Civitates , 1. *Taphſach* , Thapſaeus . 2. *Bire* , Birtha . 3. *Racca* , Callinieum . 4. *Raphca* . 5. *Carchiſia* , Cireeſium . 6. *Chabura* , Chabora , ſeu Abota . 7. *Rahaba* . 8. *Dalia* , alias Daliatha . 9. *Ana* . 10. *Hit* , alias Hita , Haita . 11. *Anbara* alias Phetoz-ſapor . 12. *Coſra* . 13. *Sura* . In Arak , ſeu Babylonia , 1. *Hella* , Beniamino Tudelenſi in Itinerario Hila . 2. *Cupha* , Syris Aeula . 3. *Hira* , Syris Hirta , regum Arabum ſedes . 4. *Vaſeta* . 5. *Batajech* , hoc eſt , Paludes . 6. *Baſra* , Syris Perath-meſan , olim Teredon , Cuphæ æmula . 7. *Cadeſia* . 8. *Obolla* . 9. *Abadana* . Ad ſinum Perſieum , 1. *Baharain* , alias Beeharim , quaſi inter duo maria : id enim vox Atabiea ſignificat . 2. *Ahaſſa* , alias Lahaſſa . 3. *Catiph* . 4. *Chati* , Ptolemæo Atta , unde Plinio regio Attene . 5. *Chatema* . 6. *Daden* . In meditettaneis inter Euphtatem , Sinum Petſieum , & Arabiam Petræam atque Felieem 1. *Thaalabia* . 2. *Phaida* , Plinio Phoda , Oppidum Aehoalorum . 3. *Tangia* . 4. *Sammana* . 5. *Meraba* . 6. *Salamia* , Ptolemæo Salma . 7. *Saala* . 8. *Hadrama* . 9. *Hagiar* , Ptolemæo , & Plinio Agra , ſeu Petra : hoc enim ſibi vult vox Arabica Hagiar . In regione , quam *Nagedam* , ſeu ſuperiorem vocant , 1. *Chaibara* , Ptolemæo Abere , urbs Judæis frequens . 2. *Thima* , Ptolemæo Themma . 3. *Duma* , ſeu *Dumat al Gendal* , Ptolemæo Dumætha , Plinio Thumata , & Dumatha . 4. *Dul-mara* , ſeu Matath . 5. *Rahaba* , Ptolemæo Rhabana . 6. *Raheta* , Ptolemæo Rhatta . 7. *Araba* . 8. Achaala , Straboni Chaalla . 9. *Rima* , Syris *Beth-Raman* , Straboni regio Rhamanitarum , Plinio Rhammæorum . In ea , quam Jemamæ regionem dieunt , 1. *Jemama* , 2. *Vadi-Aphtan* , ideſt , Vallis , ſeu torrens Aphtan , ubi hinc inde multa oppida . 3. *Aruda* , Ptolemæo Atrade . 4. *Maiſcia* , alias Maſa . 5. *Chiſcia* , ſeu *Caiſcia* , Ptolemæo Choee . 6. *Giorſa* , alias Geraſa . 7. *Lia* . 8. *Tarba* . 9. *Al-Sora* , Ptolemæo Sora . 10. *Chadia* , fortaſſe Chuduea Ptolemæi . 11. *Thania* , Ptolemæo Thana , ſeu Thoana . 12. *Saphra* . 13. *Seda* . 14. *Cariatain* , in Scripturis Cariathaim , Plinio Catriata , Hieronymo Corajatha . 15. *Dama* , Ptolemæo Dapha . 16. *Tangia* altera . 17. *Sarpha* . 18. *Gedila* . 19. *Phalaa* , ſeu Phalea , Ptolemæo Pharga . 20. *Roeaiba* , 21. *Coba* . Populi juxta Arabes reeentiores , *Nabatai* , *Thaalabani* , *Rabieni* , & *Sabai* , alii a Sabæis Arabiæ Felieis : juxta Sytos vero , præter Nabatæos , & Thaalabenos , *Hirtenſes* , *Aculenſes* , & *Harurita* . Porto a *Maiſcia* , *Thima* , *Hagiar* , *Rahet* , *Chati* , *Lia* , *Kahaba* , *Thania* , dicti ſunt populi *Maſani* , *Thami* , *Agrai* , *Rhateni Chateni* , *Leanita* , *Raabeni* , *Thanita* , ſeu Toani . Aeulenſes ſunt *Achoali* , quorum Oppidum prætet Cupham Aehaala , ſeu Chaalla . Harutitæ *Arareni* , qui Plinio Caurarani . A Cariathain , ſeu Carriata *Carrai* . A Marah , ſeu Matath *Marteni* . Ab Otchoe *Orcheni* , ſeu *Horcheni* . A Rima , & Raman , *Rhammai* , & *Ramanita* . Ab Ilaſaro *Eliſari* , qui Plinio *Iliſanitæ* : fuit autem Ilaſatus rex Ramanitarum teſte Strabone : Sed *Ilaſar* , ſeu *Elaſar* eſt antiquum ejus gentis , ae regionis nomen , quod in Textu Hebraico Geneſ. 14. oecurrit , ubi Arioch rex *Elaſar* appellatur , etſi Latinus interpres pro Elaſar habet tex *Ponti* , Atabieus *Sarjan* , Syrus *Dalaſar* , & in quibuſdam Græeis exemplaribus *Sellaſar* , litteris *D.* & *S.* redundantibus . *Cauchabeni* denique a *Caucaba* urbe , eujus mentio in Chronico Otientali de Chaliphis Jobidis pag. 100. edit. Pariſien.

In Negiaza , quæ Atabiæ Petræ reſpondet , & nonnullas etiam Fe-

licis urbes complectitur, juxta Geographos antiquos & Tabulas Eccleſiaſticas, Oppida inſignia fuere *Petra*: & *Boſtra*, ſub quibus in Mediterraneis *Adra*, *Philadelphia*, *Areopolis*, *Jabruda*, *Danaba*, *Zoara*, *Ziza*, *Corace*, *Medaba*, *Geraſa*, *Hesbon*, *Maguza*, *Audia*, *Avara*, *Jathrippa*, *Mocoraba*: & ad Rubrum mare, *Aila*, *Pharan*, *Raitho*, *Modiana* &c. Populi Nabatæi, Idumæi, Pharanitæ, Elanitæ, Munichiatæ, Saraceni, Rarheni, Cagulatæ, Arſicodani, Vadæi, Baraſæi, Licheni, Thamudæi &c.

Nunc Oppida, 1. *Hagiar*, quæ & Petra. 2. *Carac*, alias Corace, quæ tamen juxta recentiores Geographos Orientales cum Petra confunditur. 3. *Baſra*, alias Boſtra. 4. *Tabuch*, olim Jesboc. 5. *Vadi-cora*. 6. *Medina* quæ & *Jathreb*, Ptolemæo Jathrippa. 7. *Mecca*, ſeu *Becca*, Ptolemæo Macoraba, ideſt, Mecca rabba. vel Mecca magna, ut putat Bochartius lib. 4. cap. 2. aut potius *Machrab*, hoc eſt, Fanum, quod ibi Delubrum Arabum eſſet, in quo idolum *Beccha*, vel Baccha, de quo infra ſermo erit. 8. *Vadi-Akik*, ideſt, fluvius Sapphiri, Ptolemæo Bætius amnis. 9. *Fajepha*, 10. *Autas*. 11. *Vegera*. 12. *Pheraa*. 13. *Phadeca*. 14. *Cora-Arine*. 15. *Vahida*. 16. *Siara*. 17. *Heſeba*. 18. *Oraiba*. 19. *Siala*. 20. *Siada*. 21. *Baten-Mora*. 22. *Chuara*. 23. *Themath-Mara*. 24. *Baten-Medhegia* 25. *Baten-Cheſceda*. 26. *Agerada*. 27. *Aina*, quæ & Ptolemæo memoratur. 28. *Thenjath-Ajara*. 29. *Bedbera*. 30. *Mons-Araphat*. 31. *Baten-Naaman*. Ad Rubrum mare, 1. *Pharan*. 2. *Raitha*, ſeu *Tor*. 3. *Aila*, alias Elana. 4. *Haura*, alias *Avara*, & λευκὴ κώμη, *Albus pagus*. 5. *Madian*, Ptolemæo Modiana. 6. *Giara*, ſeu *Algiara*, Stephano *Egra* urbs Arabiæ ad Ælanitem *Sinum*, Ptolemæo *Arga*. 7. *Gehepha*. 8. *Cadida*. 9. *Abua*. 10. *Sachia*, Prolomæo *Sacacia*. 11. *Aſphana*. 12. *Gedda*, alias Gidda, & Ziden, Ptolemæo *Budeo*. Populi apud Hagiar, ſeu Petram, *Benu-Thamud*, Thamudeni. Ad ortum Mecchæ *Benu-Helal*, Helalitæ, alias Alilæi, *Benu-Saad*, Saaditæ; *Benu-Hodail*, Hodailitæ. Ad occaſum ejuſdem, *Benu-Medlege*, Medlegitæ: *Benu-Madari*, Madaritæ. Juxta Trajepham *Manazel-Tachiph*, Tachiphitæ. Apud Thenjath-Ajar, *Benu-Amri filii Oph*, *Amarita*, ſeu filii Amri. Apud Bedberam *Arabes Beduini*, ſeu Nomades. Apud Aſphanam, *Benu-Gehina*, Gehinitæ. Apud Sachiam *Benu-Tai*, Taitæ, ſeu Taii, quorum nomen apud Syros ad Arabas omnes translatum eſt. Porro ex Elana, Pharan, Raitho, Thamud, dicti ſunt populi *Elanitæ*, *Pharanitæ*, *Ratheni*, *Thamudeni*, ſeu *Thamydeni*, ut ſupra notatum. Regia Elanitarum *Agra* juxta Plinium, aliis *Egra*, *Arga*, & *Algiara*: iis juncti *Cagulatæ*, quorum Oppidum *Sybi*, quod *Apaten* vocant, idemque fortaſſe eſt cum *Baten-mora*, vel *Vadi-Aphtana*, quæ ad Jemamæ regionem ſpectat, ut ſupra dictum eſt. *Vadæi* a Vadi appellati, quæ vox contiguam amni Vallem ſignificat; nam Bætium fluvium Arabes *Vadi-Akik* dicunt. Ab Haura, ſeu Avara, hoc eſt, Albo pago, dicti *Horræi*, vel *Chorræi*, populi antiqui, de quibus in libro Geneſis cap. 14. & cap. 36. Iis juncti *Riphæi*, *Emi*, *Zuzi*, quorum mentio fit in Geneſ. cap. 14. eorumque loca ſunt *Ham* & *Aſaſon-Thamar*, ſeu *En-gaddi*, & Mons *Seir*. A *Baten-Naaman* dicti *Naamanitæ*, ſeu *Naamathitæ* in lib. Job cap. 2., unde erat *Sophar Naamathites*, qui in Græca verſione corrupte vocatur Σωφὰρ ὁ Μιναῖος, *Sophar Minæus*; Mem ſcilicet, & Ain tranſpoſitis in hac Hebraica voce *Naamathi*, quam Græcus legit ſic, Meonathi, ut optime advertit Bochartius lib. 2. cap. 22.

Jamanæ, ſeu Felicis Arabiæ Oppida in litore Arabici Sinus poſt Elaniticum ſunt, 1. *Onne*. 2. *Madiana*. 3. *Albus Vicus*. 4. *Cophar*. 5. *Arga*, alias Agra, & Egra. 6. *Zabram*. 7. *Badeo*. 8. *Ambo* 9. *Padni*. 10. *Napegus*. 11. *Muſa ſeu Muza emporium*, quod in Scriptura Geneſ. 10. 30.

Meſa appellatur. 12. *Ocelis*, alias *Acila*, *Emporium*. Hinc per fretum intratur Oceanus claudens a meridie Arabiam Felicem, quæ Homeritarum ora dicitur, ubi Oppida, 1. *Sanina*. 2. *Madoce*. 3. *Marace*. 4. *Lees Vicus*. 5. *Ammonii promontorium*. 6. *Arabia Emporium*. 7. *Abiſama Civitas*. 8. *Cane oppidum & emporium, cujus meminit* Ezechiel propheta cap. 27. 23. quum ait: *Haran*, & *Chane*, & *Eden negotiatores tui*, etſi Chaldæus Paraphraſtes id de Haran, Niſibi, & Adjabene exponit. Sequitur *Syagrum* promontorium, & *Sinus Sachelites*, ubi *Auſara*, & *Abiſſa* civitates: poſtea promontorium *Sabo*, ſeu *Aſaborum*, in quo deſinit Orientale latus, & incipit Sinus Perſicus. In Sinu Perſico *Omanum* emporium, & oppidum *Rhegama*, ſeu Rhegma, de quo Ezechiel cap. 27. 22. *Mercatores Seba & Rhegma mercatores tui fuerunt*: & oſtia *Laris* fluvii: & Oppida *Capſina*, *Cabana*, *Sarcoa*, *Carada*, *Atta*, *Magindana*, *Gerra*, *Bilbana*, *Ithar*, *Iſtriana*, *Mallada*, *Adare*, *Coromanis*, & *Teredon*, ubi oſtium Euphratis, & initium Sinus Perſici juxta Babyloniam. Mediterraneæ Civitates *Saba*, *Sabatha*, *Maraba*, ſeu *Marjaba*, *Carna*, *Catara*, *Nagia*, *Tamna*, *Maſſala*, *Nagran*, *Rhabana*, *Carman*, *Sapphar* &c. Populi ad Rubrum mare poſt Sinum Elaniticum, *Thamyditę*, *Sideni*, *Darræ*, *Banubari*, *Arſæ*, *Cinedocolpitæ*, *Caſſanitæ*, *Eleſari*. Poſt anguſta maris Rubri, *Homeritæ*, *Chatramotitæ*, *Sabæi*, *Sachalitæ*. In Perſico Sinu *Macæ*, *Naritæ*, ſeu *Anaritæ*, *Omani*, *Ægei*, alias *Agræi*, *Gerræi*, *Gaulopes*, *Chateni*, *Catarei*, *Themi*, *Læanitæ*, *Abucęi*. In mediterraneis, *Apatæi*, *Udeni*, *Læceni*, *Aſateni*, *Joliſitæ*, *Catanitæ*, *Achchitę*, *Maritæ*, *Catabani*, *Oaditæ*, *Sappharitæ*, *Tappharitæ*, *Saritæ*, *Aſcitæ* &c. Inſulæ in Sinu Arabico, ſi ex Ælanitico in auſtrum navigatur, *Æni*, *Zygena*, *Malichi*, *Adani*, *Dire*: poſt fauces Arabici ſinus in Oceano *Dioſcoridis inſula*, Plinio *Dioſcurias*, contra quam in continente ſunt *Autaridæ*, imo *Auſaridæ*, hoc eſt, Auſaræ urbis incolæ: In Sachalite ſinu, *Zenobii* inſulæ, *Ogyra*, Ptolemæo Organa: In ſinu Perſico *Aphana*, *Ichara*, *Talos*, *Tylos*, & *Arathos*.

Nunc Oppida poſt Geddam ad auſtrum Sinus Arabici, 1. *Sirin*. 2. *Saphia*. 3. *Goſſem*. 4. *Maran*, Plinio Marane. 5. *Baiſa*. 6. *Acha*, unde Achchitæ. 7. *Carno-l-manazel*, aliis Carna, ſeu Carana, Minæorum metropolis 8. *Sophara*. 9. *Cheze*. 10. *Darka*. 11. *Olaiba*. 12. *Malcana*. 13. *Rovaitha*. 14. *Tohala*. 15. *Abiſſa*, ſeu *Habaſcia*, alia a cognomine quam apud Sachalitem Sinum ponit Ptolemæus, ut infra ſermo erit. 16. *Canuna*. 17. *Baiſath-Haran*. 18. *Heli*, ſeu *Cheli*, *Sachalia*, hoc eſt, paralia, ſeu maritima. Ptolemæo *Ocelis Emporium*, aliis *Ocila*, *Acila*, *Ocolo*, Rhamuſio, *Capo de Celi*, ex quo in Indiam navigatur, ut inquit Plinius. 19. *Sancana*, Ptolemæo Sanina. 20. *Baiſath-Jectan*. 21. *Heſeda*. 22. *Haran-al-Corain*, hoc eſt, Haran urbs Corainitarum. 23. *Chaulan-di-Sohuim*, ſeu Chaulana Oppidum Sohaimiratum. 24. *Negema*. 25. *Saduma*. 26. *Gerda*, Ptolemæo Gorda. 27. *Mahagema*, ubi fines Tehamæ & Jemamæ. 28. *Hana*, Ptolemæo *Chane* Oppidum & Emporium. 29. *Orpha*. 30. *Gilana*. 31. *Zebid*, aliis Zibit, & Zebit. 32. *Galapheca*. 33. *Mocha*, Emporium ad fauces Arabici Sinus. In mediterraneis a Mecca ad Oceanum, 1. *Nageran*, aliis Nagran, Nagra, & Negra. 2. *Niaba*. 3. *Sangla*. 4. *Cheſcia*, ſeu *Cęſa*, Ptolemæo Gæſa, unde populi *Cęſani* Plinio memorati, Choaniſque & Coranitis conjuncti. 5. *Giorſa*, ſeu Geraſa, alia a cognomine Jemamæ Oppido, de quo ſupra. 6. *Mahagera*, quæ confinium eſt inter Meccanam & Jamaniticam ditionem. 7. *Adaca*. 8. *Saada*, unde populi *Sideni* Ptolemæo memorati. 9. *Gennana*. 10. *Anapheta*. 11. *Sanaa*, quæ in ſcripturis *Uzal & Auzal* dicitur, Ptolemæo vero *Auzara & Auſara*, alia ab Auſara ad Sachalitem Sinum. 12. *Damar*, alia a Damar ad Oceanum, quæ eſt inter Sachar &

Saal. 13. *Mareb*, aliis Maraba, vel Mariaba, quæ & *Saba* Sabæorum metropolis. 14. *Sabatan*, Ptolemæo *Sabatha*, Plinio *Sobota*, Straboni corrupte *Cabatanum* pro Sabatano, Solino *Sabotale*, de qua idem Plinius lib. 12. cap. 14. *In medio ejus ſunt fere Atramitæ, pagus Sabaorum, capite regni Sabota.* & cap. 15. *Thus collectum Sabotam Camelis convehitur, porta ad id una patente.* Maritimæ juxta Oceanum ab Oſtio Sinus Arabici ad fauces Perſici maris 1. *Aden*, in Scriptura Ezechiel. 27. 33. *Eden*, Ptolemæo *Arabia Emporium*. 2. *Abin*, fortaſſe Ptolemæi *Abiſama Civitas*, quæ poſt Arabiam Emporium deſcribitur. 3. *Laſaa*, Ptolemæo *Lattha*. 4. *Sciarma*. 5. *Seebam*, Ptolemæo Sabe. 6. *Tarim*. 7. *Nagia* metropolis Gebanitarum. 8. *Chonda*. 9. *Hadarmauth*, de quo Oppido Plinius lib. 6. cap. 28. *Pagus eorum*, hoc eſt, Sabæorum, *Atramitæ*; atque hanc eſſe veram lectionem, cum Jacobo Dalechampio Plinii editore ſentio, quidquid in contrarium Salmaſius dicat: inde *Atramitæ* & *Chatramotitæ* populi appellati. 10. *Jachſeba*. 11. *Dapphar*, aliis *Taphar*, Ptolemæo *Sapphar*. 12. *Merbat*, Ptolemæo *Maphath pagus Adramitarum*. 13. *Sagiar*, Ptolemæo, & Plinio *Syagrum*, ſeu *Sygaros*, nomen urbis in continente, promontorii, & inſulæ continenti oppoſitæ. 14. *Aſecha*. 15. *Sur*, ſeu Tyrus, Emporium ſcilicet Tyriorum, ut infra ex Strabone. 16. *Calahat*. 17. *Maſcat*, de qua urbe Arrianus: *& poſt ipſos (id eſt, Syagrum promontorium & Sinum Omanum huic proximum) ſequitur portus inſignis ad thus Sachaliticum convehendum, qui Moſcha portus dicitur, in quem a Cana ſolent navigia quædam mitti.* Vide Bochartium lib. 2. cap. 18. 18. *Sachar*, ubi *Sinus Sachalites*, ſeu *Sacharites*, & urbes *Auſara*, atque *Abiſſa*, diverſæ a cognominibus, de quibus ſupra dictum eſt. 19. *Damar*, Plinio Thamar. 20. *Saal*. Ab Oſtio Sinus Perſici ad Chaldæam. 1. *Tarva*. 2. *Mancgia*. 3. *Ser-Oman*, Oppidum Omanorum, quos a Petra ad Characem uſque incoluiſſe teſtatur Plinius. 4. *Gelphara*, ubi fluvius *Phaleg*, aliis *Om*, ſeu *Lar*, in mare Perſicum exit, de quo oppido loqui videtur Plinius lib. 6. cap. 28. his verbis: *deinde eſt oppidum, quod Characenorum regi paret, in Paſitigris ripa, Forath nomine, in quod a Petra conveniunt:* nimirum ab Hagiar, ſeu Agra, Agræorum metropoli, ſequuntur *Daden*, *Cutiph*, *Ahaſſa*, *Baharain*, & *Baſra*, ſive Teredon, de quibus ſupra. Inſulæ in mari Erythræo, ſeu Arabico ſinu, *Bab-mandao*, aliis *Bebmendo*, quæ eſt *Circ*. In Oceano *Socobora*, aliis *Dioſcorias*, & *Cotroba*. In Sinu Sachalite *Chortan*, & *Mortan*, vel, ut alii legunt, *Curian*, & *Murian*. In mari Perſico, *Hormuz*, aliis Harmuzia, quæ eſt veterum *Ogyris*, *Gyris*, & *Gerun*, unde *Gyrei* populi Plinio memorati.

Porro populi apud *Haran-al-Corain*, *Corainitæ*, Plinio Cotanitæ, quorum urbs Haran, alia ab Haran meſopotamiæ, de qua Ezechiel cap. 27. 23. *Haran*, *Chane*, & *Eden*. A *Chane*, ſeu Hana, *Choani*. In Baiſath Jectan *Jectanitæ*, Ptolemæos Catanitæ. Apud Saadam *Benu-Gaſſan*, hoc eſt, filii ſeu tribus Gaſſan, Plinio *Gaſſani*, Ptolemæo ac Stephano *Caſſanitæ*, Diodoro *Gaſandes*, Agatharcidi *Caſandres*, quorum nomen ingenioſe quidem, ſed etymo ab elementis Arabicis prorſus alieno Bochartius Geograph. ſacr. lib. 2. cap. 22. ducit a verbo Hebraico *Chaſan*, quod eſt *theſauros recondere*, unde Arabicum *Chazan*, & Latinum *Gaza*. Apud Genuanam *Benu-Amr*, ideſt, *Amritæ*, Plinio Hamiræi. In Sanaa, quæ Auzal & Auſara, *Auſaridæ*, Joanni Aſiæ Epiſcopo in Chronico (Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 360.) dicti *Euzelii* ſeu *Auzalii*. Item haud procul a Genuana *Abadeni*, Ptolemæo *Apatai*, Plinio *Apitami*. Juxta Hagiam & Chondam, *Benu-Caulan*, Chaulanitæ, Plinio *Calingii*. *A Sagiara ad Aſecham*, *Benu-Mahara*, *Maharitæ*, & *Bnu-Sarch*, Sarchitæ, quos Ptolemæus *Marithas*, & Saritas vocat. Supra Aſecham mons *Lus*, cui ad

boream ſunt *Benu-Ad*, Aditæ, qui Ptolemæo Oaditæ, & Plinio *Chadæi*. Maharitis ad boream jungitur regio *Omanorum*, de quibus Geographus Nubienſis, *In urbe Saba habitant gentes ex Jamanitis & Omanitis*. Sur, ſeu Tyrus, Colonia Tyriorum: nam Sidonios, Tyrios, Aradioſque ibi Colonos fuiſſe teſtatur Strabo lib. 17. circa finem. Ad Auſtrum Chatramotitarum, ſeu Hadarmauth, regio *Canda* ſeu *Candæa*, unde populi Candæi, qui Ptolemæo Cinedocolpitæ, hoc eſt, Candæi ex tribu Calbitarum, de quibus infra. A Matan, Ach, Aſech, Lus, Tapphar, Sachat, & Abiſſa juxta Sahalitem Sinum, dicti ſunt populi *Maranitæ*, *Achchitæ*, *Aſeitæ*, *Joliſitæ*, *Tappharitæ*, *Sachalitæ*, & *Abaſeni*, quorum meminit Uranius apud Stephanum his verbis: *Poſt Sabæos ſunt Catramotæ & Abaſeni*, ſeu Abyſini, non quidem Africæ, ſed Arabicæ, a quibus oriundi ſunt Africani, ut optime notat Bochartius lib. 2. cap. 18. qui tamen fallitur, dum Sachalitarum originem a Sagar ſeu Seger trahit, idemque eſſe affirmat *Sagar*, ac *Sachar*; quum tamen certum ſit, Sagar ſeu Seger eſſe Syagrum ſive Sygaron Ptolemæi & Plinii; Sachat vero eſſe Sachalam, unde Sachalites Sinus. A Catara in Mediterraneis Arabiæ contra Perſidem *Catarai*, Syris *Cataraje*, & *Beth-Cataraje*, quorum urbes in epiſtola Jeſujabi Adjabenici (Tom. 3. Bibl. orient. pag. 136.) memorantur, *Dirin*, *Maſumig*, *Talon*, *Chata*, & *Hagar*. Porro Talon eſt Ptolemæi *Talos*; Chata autem *Atta*, unde Plinio *regio Attene*; Hagar vero *Agra*. A Chata dicti *Chatenl*: ab Agra *Agræi*, qui male apud Ptolemæum *Ægæi*. *Liehæni* a Licha, quæ ſupra Diram inſulam ſeu Badmandab, Oceanum verſus, a Strabone lib. 16. ponitur. *Gebanitæ* & *Catabani*, quorum regia *Tamna* & *Nagia*, iidem ſunt cum Chaulanitis, de quibus ſupra: Sic autem dictos putat Bochartius lib. 2. cap. 21. ab Arabica voce *Geba*, *tributum exigo*, & *Catab*, *ſcribo*, quod *viderentur modum excedere in aromatum, quæ ex eorum Emporio Oceli efferebantur, deſcriptione & Vectigalium exactione*. Verius exiſtimo, a Gebano & Catabano, ſive progenitoribus ſive oppidis, nomen iis populis inditum, non ſecus atque aliis Arabum gentibus, quarum origines ſupra explanavimus.

Apud Ludovicum Vartomanum Patritium Romanum, qui ex Arabia in Indiam navigavit, lib. 1. cap. 1. & 2. hæc loca memorantur. *Medina*, ſeu *Medinath-al-Nabi*, hoc eſt, Civitas Prophetæ, imo pſeudoprophetæ Mahumeti, quæ abeſt a mari Erythræo itinere quatuor dierum. *Mecca* abeſt a Gedda quadraginta mille paſſibus. *Gedda* ad mare Rubrum. *Gezan* tranſactis per mare ſex diebus a Gedda. *Camaran* maris Erythræi inſula a Gezan diebus quinque. *Bebmendo*, hoc eſt, Bab-Mandab, inſula ſine habitatoribus, biduo a Camaran. *Aden* a Bebmendo itinere bidui cum dimidio. *Rhada* urbs ex Aden dierum octo itinere, a Sanaa abeſt itinere trium dierum. *Lagi* urbs diſtat a Rhada vigintiquinque millibus paſſuum: inde itinere unius diei urbs *Ajaz*: illinc biduo urbs *Dante*: *Almacharan* biduo a Dante: *Reame* ab Almacharan itinere unius diei. *Sanaa* a Reame tridui itinere. A Sanaa triduo abeſt *Taeſſa*: inde triduo *Zibith*, quæ a mari Erythræo abeſt itinere mediæ diei. A Zibith diſtat urbs *Damar* uno die: a Damar urbs *Aden* tridui itinere. Hæc Vartomanus. Rhada urbs, Ptolemæo *Rhada*, unde *Rhatini*, de quibus idem: *A meridie Climatis Maſonitæ, deinde Saritæ, & juxta Homeritas Sappharitæ, & Rhatini*. Apud Geographum Nubienſem Rabda urbs occurrit juxta Anaphet, eamdemque inter ac Sanaam ſtatio una ponitur.

## §. VI.

*Arabum nomina apud Sacros Scriptores, Sceba, Saba, & Arabes.*

In Sacris Scripturis tota Arabum gens duobus hiſce nominibus fere comprehenditur, שבא *Sceba*, & סבא *Saba*. Sic quod Græcus & Latinus Interpres legunt Pſalm. 71. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent*, Hebraicus textus habet, *Reges Scebæ & Sabæ:* & verſ. 15. ubi alii legunt, *Dabitur ei de auro Arabiæ*, Hebraicus fons habet, *de auro Scebæ*, quod & Chaldæus & Syrus ſequitur. Et Saba quidem filius Chuſi fuit, cujus poſteri ibi habitarunt, ubi poſtea Omanitæ & Gerræi & Cataræi, hoc eſt, a Jemamæ finibus uſque ad Baharain, & Oatiph, quorum regia *Hagiar*, quæ Plinio *Baſra-Sabe*, eademque *Omanorum Petra Sabe*, Syris *Hagar*, unde Agræi. Sceba vero triplex fuit, Jectanis ſcilicet filius, & Regmæ, & Jecſanis: quorum primus Sabæorum pater fuit inter Minæos & Chaulanitas atque Chatramotitas habitantium juxta Sinum Arabicum: alter pater Sabæorum prope oſtium maris Perſici, ubi montes Sabo ſeu Aſabo: tertius pater Sabæorum in aditu Arabiæ felicis non procul a Nabathæis. Vide Bochart lib. 2. cap. 26. & lib. 4. cap. 7. 8, & 9.

Sed unum & commune omnibus nomen Hebraice ערבים *Arbim*, Syriace *Arbaje*, Arabice *Arab*, ut in Scripturis legitur *III. Reg.* 10. 15. *Paralip.* 9. 14. & 17. 11. & 22. 1. & 26. 7. *II. Eſdræ* 2. 19. & 4. 7. *Iſaiæ* 13. 20. & 21. 13. *Jeremiæ* 25. 24. & 27. 21. ſunt qui originem hujus vocis arceſſant a locis campeſtribus ac deſertis: nam *Arabah* Hebræis, Syris, & Arabibus *deſertum* eſt, vel *ſolitudo campeſtris*. Alii a mixtis populis: nam *Arab* idem eſt ac *miſcuit:* atque ita, quemadmodum ex Syro auctore notat Abr. Ecchellenſis hiſtor. Arab. cap. 2. *Arabes vocati ſunt a commiſtione & confuſione ex diverſis regionibus*: quod ſcilicet gens illa ex variarum nationum & populorum promiſcua turba conſtabat; non autem a miſto Coitu, ut nonnulli apud Hofmanum Lexic. verb. *Arabia*, arbitrantur: etſi enim Arabes, qui Felicem incolebant, ea olim uterentur conſuetudine, ut una omnibus conſanguineis uxor eſſet, ſi verum eſt, quod Strabo lib. 16. ſcribit; inde tamen illos nomen ſortitos fuiſſe quis ſibi in animum induxerit ut credat? Alii denique Arabas dictos putant a Jaarabo ſeu Arabo, Cahtani filio: quæ Arabum ipſorum communis perſuaſio eſt; nec a vero abludere videtur, *tum quia*, (ut inquit Ecchellenſis hiſtor. Arab. cap. 2.) *ut plurimum prima nomina a conditoribus videntur imponi rebus; tum quia confuſio illa, & populorum eo concurſus illo nomine multo poſterior eſt. Hæc ratio præterea nomenclationis aliis multis competeret, ac præſertim Ægyptus majori jure, quum, ut fertur, ſint omnium nationum totius orbis terrarum confuſa colluvies: Campeſtria denique, & ſolitudines non magis Arabiæ, quam Ægypto conveniunt.*

Porro duos Cahtanos diſtinguunt: quorum alter Heberi filius fuit & frater Phalegi, de quo ſupra dictum eſt: alter filius Hamiſæ, filii Salamani, filii Nabeti, filii Hameli, filii Cedar, filii Iſmaelis, ut mox dicam. Utrique Cahtano *Jaarabum* ſeu *Arabum* filium tribuunt. Iſmael Abulpheda Sciahinſcia in Chronico Arabico apud Ecchellenſem hiſtor. Arab. cap. 3. unum Cahtanum agnoſcit, eumdemque Heberi filium, & patrem Jarabi: a Jaarabo genitum *Jaſcihabum*, ab hoc *Abd-ſciamſum*, qui *Saba* poſtea appellatus ſit, & pater Arabum fuerit. Verum inter filios Cahtani ſeu Jectanis, Heberi filii, nullus eſt Jarabus in Scripturis; ante Salomonis

tem-

tempora nomen Arabum occurrit: quod palam facit, Jaarabum , quicumque is fuerit, ex Iſmaelis, non Jectanis poſteris deſcendiſſe.

Bochartius lib. 4. cap. 2. Scite obſervat ab una radice eſſe *Ereb* , ſeu *Arab*, Arabia; *Ereb*, veſpera ; & *Oreb* , Corvus : adeoque Arab ab Homero Ἐρεμβοὺς dici, quaſi Ἐρεμνοὺς, vel Ἐρεβεννοὺς, ideſt, nigros: veroſimilius tamen eſſe tam *Erembos*, quam *Arabes* ab Hebræo, Syriaco, & Arabico *Arab*, ideſt, *Arabia* deduci , quod promiſcue legitur *Arab* , vel *Ereb* ; ( Vide Jeremiæ 25. 24. & III. Reg. 10. 15.) & Arabes quidem ab *Arab*; *Erembos* vero ab *Ereb* inſerto μ epenthetico formari . Strabo lib. 16. ex Poſſidonio docet, quos Homerus *Arimos* & *Erembos* nominat, Aramæos eſſe ſeu Syros, & Arabas.

Græcus Interpres pro *Arab*, tranſpoſitis litteris legit *Abar*, quod *trans* ſignificat: ubi enim Hebraicus fons habet III. Reg. 10. 15. *& omnes Reges* הערב *Arabiæ*, Græcus vertit , καὶ πάντων τῶν Βασιλέων τοῦ πέραν , *& omnium regum ulterioris regionis*; non tamen ſibi conſtat, quum de eadem re loquens II. Paralipomenon 9. 14. pro τοῦ πέραν ponit τῆς Ἀραβίας , Hebraico textui inhærens. Idem Interpres Græcus utrumque Hebraicum nomen *Arab*, & *Ereb*, quo Jeremiæ 25. 24. *Arabia*, & *Occidens* juxta Vulgatam Latinam editionem, vel ſola *Arabia* ſecundum Chaldaicam paraphraſim & Syriacam Verſionem deſignatur, non pro Arabia aut Occidente uſurpat, ſed de *miſtitiis populis* id exponit, tamquam a radice *Arab*, quæ verbum *miſcere* ſignificat derivatum. Quod enim Hebraicus textus habet: *& cunctis regibus* ערב *Arabiæ*, *& cunctis regibus* הערב *Occidentis*; quodque Chaldaicus Paraphraſtes vertit, *& cunctis Regibus Arabiæ*, *& omnibus Regibus Arabum*, & Syriacus Interpres, *& omnibus Regibus Arabum*; id Græcus ſic interpretatur Jeremiæ 32. 24. Καὶ πάντας τοὺς συμμίκτους, *& omnes miſtitios*.

Hæc de Arabum nomine ex radice Hebraica vel Syriaca *Arab*, ſeu *Ereb*, *Oreb*, quæ *Arabiam*, *Occidentem* ſeu veſperam, & *Corvum* ſignificat . Verum in Arabico ſermone alia ſunt Elementa *Arabum*, ſeu *Arabiæ* , & alia *Occidentis* ſeu Veſperæ. Prima vox per litteram *Ain* ſine puncto diacritico, altera cum puncto diacritico ſcribitur: utraque autem ſono penitus diverſo pronunciatur: quod palam facit, Arabum nomen quod omnino Arabicum eſt, ex voce quæ *Occidentem* apud Hebræos vel Syros deſignat, deduci non poſſe.

## §. VII.

### *De Saracenorum nomine.*

*Saraceni* unde dicti ſint, non una eſt auctorum Sententia. Alii ad *Saram* Abrahæ Patriarchæ uxorem hoc nomen referunt . Sed Arabum nemo genus ſuum a Sara arceſſit, verum ab Hagar & Iſmaele ; neque a Sara *Saracenus* derivat, ſed *Saraus* vel *Sarita*. At *Saritæ* Arabum populi, quos Ptolemæus in Felice ponit, a *Sarech*, non a Sara dicuntur: utriuſque autem vocis diverſa ſunt omnino elementa.

Nonnulli ( ut Joſeph Scaliger in Chronol. Euſebii num. 88.) Saracenos dictos volunt a verbo Arabico *Saraka* , quod eſt *latrocinari* : *horum enim hominum vitæ genus plane λῃστρικὸν graphice exprimit hoc nomen*, ut inquit Bochartius lib. 4. cap. 2. qui & rationem addit, quod ſcilicet Saracenos ipſi ſe nunquam appellant, ſed a vicinis populis per contemptum ſic vocitantur. Cellarius

lib. 3; cap. *Nomen a* סרק *prædari , furari , deducitur , quia proprium gentis eſt ex rapto vivere , ad quod terræ ſterilitate invitantur.* Verum Arabiæ quidem deſertæ populis id fortaſſe convenire poteſt , qui terræ ſterilitate ad furandum invitantur ; non vero Felicis incolis , quorum tamen nonnullos *Saracenos* vocati mox patebit. Præterea ſi a furando nomen ſortiti eſſent; non ipſi Arabes id vocabulum ſibi Arabice impoſuiſſent , ſed ab Hebræis, Syris , Ægyptiis , aut Græcis propria eorum dialecto fures appellari fuiſſent , ſicut *Scenitæ* , *Nomades* , & *Ichthyophagi* Græco nomine dicti ſunt: Vox autem *Saraka* , quæ furrum deſignat, in ſola Arabica lingua reperitur, a qua in Chaldaicam recentiſſimo ævo apud Targum Hieroſolymitanam derivavit.

Veroſimilius videtur a *Saraca* loco nomen *Saracenorum* petendum eſſe , Stephanus de Urbibus: Σάρακα, Χώρα Ἀραβίας μετὰ τοὺς Ναβαταίους· οἱ οἰκοῦντες Σαρακῖνοι : *Saraca Arabiæ regio prope Nabatæos ; habitatores Saraceni* . Eadem in Scripturis Sacris Geneſ. 36. 36. I. Paralip. 248. Hebraice, Samaritice, & Chaldaice dicitur *Maſreca* , Syriace *Maſerca* , & Arabice Gen. 36. *Maſrica* , & I. Paralip. 2. *Maſerek* ; ibique Samla unus ex poſteris Eſau ſeu Edom regnaſſe perhibetur ; etſi Græcus Interpres pro Maſreca *Maſſecam* habet, ſicut pro Samla *Seblam*, *Samaam* , *Samadam* , & *Sadamam* , juxta varios manuſcriptos codices. Porro ex Maſreca ſeu Maſcerek , qui locus Arabibus *Orientem* ſignificat, *Sarca* ſeu *Saraca* derivat, ſicut ex *Magreb* deducitur *Gara* , quæ vox *Occidentem* ſonat. Exſtat hodieque Vicus *Savarakia* in lexico Arabico Giggæi memoratus , inter Meccam & Medinam , vel , ut alii volunt , in via qua itur Mecca Hieroſolymam , qui idem fortaſſe eſt cum Maſreca ſeu Saraca. Vox autem *Sarachaſe* , qua Echellenſis hiſtor. Arab. cap. 5. pag. 165. putat Saracenos Arabica lingua deſignari, recentiſſima eſt, nec Saracenos, ſed *Circaſſos* Ægypto potitos ſignificat : ex ſingulari enim *Sciarcaſi* ſeu *Sarcaſi* , formatur plurale *Sciaracaſe* , vel *Saracaſe* : id vero nomen in hiſtoria Chalipharum Ægypti frequenter occurit.

Duo hic opponit Bochartius lib. 4. cap. 2. Primum, quod Vicus ille obſcurior eſt, quam ut genti nomen fecerit: Alterum, quod Saraca Stephano memorata non prope Nabatæos fuit , ſed in Sabæis loco a Nabatæis remotiſſimo.

Verum ex ſupradictis patet omnia Arabum popolorum nomina, quæ originem Arabicam habent, & ab ipſis Arabibus uſurpantur, vel a primis parentibus, vel a locis impoſita fuiſſe: & loca quidem pleraque non adeo ampla olim fuiſſe, quæ tamen genti nomen fecere, aut nunc obſcura eſſe, quæ antea frequentiſſima, ut Thoana, Avara, Coniata, Hagiar, Chata &c. unde populi Thoani, Horræi, Carræi, Agræi, Chateni. Saraca autem, quæ a Ptolemæo lib. 6. cap. 7. in Sabæis ponitur, alia eſt a Saraca Stephani prope Nabatæos ſita. Hinc autem ad confirmandam Stephani ſententiam validum conſurgit argumentum: Sicut enim a Sabæorum Saraca dicti ſunt *Saraceni* Arabiæ felicis incolæ; ita a vicina Nabatæis Saraca *Saraceni* Arabiæ Petrææ. Certe Ptolemæus geminos Saracenos populos diſtinguit: de primis loc. cit. *Tenent autem mediterranea* ( Arabiæ Felicis ) *juxta montana quidem , quæ ad Septentriones vergunt , fere in totum Scenitæ. Præterea ſupra ipſos Oaditæ. Magis autem auſtrales ſunt eis Saraceni:* quos & Plinius lib. 6. cap. 28. in Arabia Felice memorat. De Saracenis vero Arabiæ Petrææ hæc idem Ptolemæus l. 5. c. 97. *Protenduntur autem in regione montes , qui Melanes vel nigri appellantur, a Sinu ſcilicet , qui juxta Pharan eſt, quaſi ad Judæam ; genteſque ſunt ab occaſu quidem horum montium ad Ægyptum Saraceni :* Ptolemæi nimirum ætate , ut recte obſervat Cellarius l. 3. c. 14. *Saracene anguſtior Petrææ Arabiæ fuit inter Ægyptum & ni-*

*gros montes , qui a Pharan inter duos Sinus in Septentrionem procurrunt comprehenſa ; Sed latius poſtea habitarunt, quorum ſedem ſic Heracleota Marcianus Periplo Arabici Sinus deſcripſit : Loca ad cervicem Arabiæ Felicis poſt Petræam & Deſertam tenent qui Saraceni vocantur* . Quemadmodum autem latius poſtea habitarunt Saraceni ; ſic eorum nomen magis diffuſum fuit , adeo ut ſequiori ævo quotquot Petræam ac deſertam incolebant Arabum populi, communi vocabulo Saraceni dicerentur.

## §. IX.

*Homeritæ, Æthiopes, & Indi Arabiæ Felicis incolæ appellati.*

Quod in Deſerta ac Petræa, idem fere contigit in Felice Arabia , cujus populi longe lateque diffuſi, diverſiſque olim nominibus appellati , uno poſtea *Homeritarum* vocabulo innotuere; Id nomen ab Homairo Sabæ filio Arabes deducunt, quem dialecto Arabica *Hemiar* proferunt , ut apud Lexicographos notatur . Dicti etiam ſunt *Æthiopes* , & *Indi* . Philoſtorgius lib. 2. num. 6. *Hos autem Indos, olim quidem Sabæos ait eſſe dictos ab urbe Saba , quæ caput eſt totius gentis ; nunc vero Homeritas vocari* . Et lib. 3. num. 4. *Regionem autem, quam incolunt, Arabiam magnam & Felicem a Græcis appellari ſcribit, & ad extimum Oceanum pertingere*. Theophanes ad annum Incarnationis 563. *Hoc anno ruptis Romanos inter & Perſas fœderibus Perſicum rurſus renovatum eſt bellum, miſſorum videlicet ab Homeritis Indis ad Romanos Legatorum invidia ; ac inſuper quod Julianum Magiſtrianum ab Alexandria per Nilum fluvium & Indicum mare cum Sacris ad Aretham regem Æthiopum miſiſſet Imperator* . Ubi mare Arabicum vocatur *Indicum*, & Homeritæ *Indi* atque *Æthiopes* , quorum rex Arethas. Theophylactus lib. 3. cap. 9. *Romani porro Perſas in crimen vocantes , eos belli hujus inventores eſſe palam dictitabant , quod Homeritas* ( gens Indica eſt , Romanis parens ) *ad defectionem ſollicitaſſent*. Menologium Græcorum juſſu Baſilii Imperatoris olim editum , quod anno 1727. Urbini prodiit , Par. 1. pag. 139. *Æthiopiæ regnum tenente Elesbaan, Homeritis, quorum regio in Scripturis Sacris Saba, a Græcis autem Felix Arabia dicitur, Hebræus quidam imperabat*. In eodem Menologio Par. 2. pag. 197. Felix Arabia *India* vocatur: *Bartholomæus in Indiam Felicem profectus, ibique cruce affixus deceſſit*. Ubi Felix vocatur India Arabica, ut ab Æthiopica, & Gangetica diſtinguatur . Joannes Aſiæ Epiſcopus apud Dionyſium Patriarcham Jacobitarum in Chronico , Tom. 1. Bibliothecæ noſtræ Orientalis pag. 359. *Per idem tempus accidit, ut bellum inter reges Indorum oriretur, nimirum inter Xenodonem Indorum regem , & inter Aidog alterum Indiæ interioris regem , qui ethnica ſuperſtitione tenebatur . Atque hic quidem rebus cum Xenodone compoſitis , iterum adverſus Dimionem regem Homeritarum , qui & ipſi ex Indis numerantur , bellum ſuſcepit*. Hic Homeritæ *citeriores Indi* ; Æthiopes vero ſeu Abiſſini, *interiores & ulteriores Indi* appellantur. Herodotus lib. 7. § 70. *duplices Æthiopes* diſtinguit : alios vocat ab Aſia , ſeu ab ortu ſolis , quos Indis accenſet ; alios ex Africa, qui ſunt ſuper Ægyptum. Utrique Hebræis Syriſque *Chuſæi*, Græcis Latiniſque *Æthiopes* dicuntur. Primi ſunt Arabes, alteri Abiſſini . De Æthiopibus Africæ, ſeu Abiſſinis, idem Herodotus lib. 13. §. 114. *Huic* ( Arabiæ ) *qua parte meridies ad Solem occidentem vergit, contermina eſt Æthiopia terrarum habitatarum ultima*. Et Procopius Cæſarienſis de Bello Perſico lib. 1. *E regione autem Homeritarum in oppoſito continente Æthiopes habitant qui vocantur Auxumitæ* . Et Procopius alter Gazen-

ſis iu 1. Reg. *Eos vocant Homeritas. Sunt autem e regione Auxumitarum, mediumque inter hos & illos eſt mare*. De Æthiopibus vero Arabiæ Theophanes loco ſupra citato, ubi Homeritas quibus rex Arethas imperabat, *Æthiopes* vocat. Sic etiam Theodoretus Reginam Saba ſeu Sabæorum, qui in Arabia ſunt, appellat reginam Æthiopum : quod enim in Evangelio Matth. 12. & Luc. 11. dicitur, *Regina Auſtri* ( ſeu Theman) *ſurget*, ipſe legit: Βασίλισσα Αἰθιόπων *Regina Æthiopum*, eodem ſenſu, etſi Bochartius lib. 4. cap. 2. lapſus memoriæ Theodoretum ibi arguit. Coſmas Ægyptius in Topographia Chriſtiana lib. 2, pag. 139. *Quod ipſum in Regnorum libris ſcriptum reperias, ſcilicet reginam Sabæ, ideſt, Homeritarum regionis, quam in Evangeliis reginam Auſtri Dominus nuncupat, condimenta Salomoni obtuliſſe*. Sephora uxor Moyſis Prophetæ, quæ juxta librum Exodi cap. 2. Madianitis erat, *Chuſitis* Hebræis & Syris, *Æthiopiſſa* Latinis Græciſque appellatur. Chuſæi denique in Scriptura II. Paralipom. 21. verſ. 16. finitimi Arabibus dicuntur, ubi Latinus Interpres habet, *Arabum qui confines ſunt Æthiopibus*; Syrus vero, *Arabum commorantium inter Indos*; Arabicus autem, *Arabum qui habitant in confinibus Indiæ*: Quæ omnia eodem redeunt: antiquis enim Arabes ulteriores ſeu Sabæi & Homeritæ, dicebantur *Chuſæi*, vel *Æthiopes*, & *Indi*.

## §. X,

## *ARABUM JAMANITARUM ORIGINES EX PROPRIIS IPSORUM MONUMENTIS.*

*Jam Arabes Scriptores de gentis ſuæ originibus differentes audiamus.*

Sententias eorum collegit cl. Abraham Ecchellenſis in hiſtoria Arabum, quæ Chronico Orientali ſubjuncta prodiit. Sed dum ii primos Arabum parentes illorumque genealogiam ac poſteros exponere conantur, nugas agunt, quum a Scripturarum veritate quam maxime recedant, ut mox parebit.

Arabes ( inquiunt Iſmael Abulpheda, & Sciahareſtanus ) alii ſunt Bajeditæ, alii indigenæ, alii advenæ. Bajeditæ ſeu extincti vocantur, quorum deleta eſt memoria, præter quinque familias ſeu tribus antiquas, quarum meminere hiſtorici: Sunt autem tribus *Adi*, *Thamudi*, *Taſemi*, *Hodaiſi*, & *Gerhami*. Adus filius fuit Huſſi, filii Aram, filii Sem, filii Noe. Thamudus filius Heberi, filii Aram, filii Sem, filii Noe. Taſemus ſeu Taſmus filius Ludi, filii Aram, filii Sem, filii Noe. Hodaiſus ( Herbelotio in Biblioth. Orient. pag. 121. Giadis ) filius Heberi. Gerhamus item filius Heberi. Abulpheda tres tantum memorat Bajeditarum parentes, Adum, Thamudum, & Gerhamum: Ecchellenſis Hiſt. Arab. pag. 150. quatuor, Adum, Thamudum, Taſemum, Hodaiſum. Horum Sedes in Jemama Arabiæ regione fuit; ſed ob ipſorum flagitia penitus deleti extinctique perhibentur, ut fuſius Ecchellenſis loc.cit. narrat. Herbelotius pag. 120. cauſas exterminii eorum haſce refert: vel divini numinis ultionem, quod Prophetas ad illos a Deo miſſos male exceperint, ut Aditæ & Thamuditæ Patriarchas Saleh & Heberum exagitantes periiſſe dicuntur; vel diluvium, quod *Iremi ſeu Arami fluminis alluvionem* appellant, ut Taſemitis & Hodaiſitis contigit: aut demum mutuas inimicitias & civile bellum, quod frequentiſſimum apud eos fuit. Sed Aditas & Thamuditas Arabiæ populos uſque ad ætatem Geographi Nubienſis ſuperſtites fuiſſe, ex ſupra dictis liquet. Thamudenorum etiam meminere

Ptolemæus & Plinius. Gerhamitæ vel iidem, vel certe alii populi in Petræa memorantur, quibuſcum Iſmael fœdus conjunxerit; & uxorem ejus, quæ in ſcriptura Geneſ. 21. Ægyptia dicitur, Gerhamitam fuiſſe, Mahometani affirmant apud Iſmaelem Abulphedam & Ecchellenſem pag. 160.

Arabes indigenæ ſuam petunt originem, juxta pleroſque ſcriptores, a Cahtano ſeu Jectane filio Heberi filii Saleh: ſecundum nonnullos vero Mahometanos, a Cahtano filio Hamiſæ, filii Nabajoth, filii Iſmaelis, filii Abrahæ: atque ita ſentiunt Haſciamus filius Calbi & Sciaraphus filius Catani ab Ecchellenſi pag. 152. laudati, qui hunc Cahtanum in Alcorano *Chaharum* & *Hudum* appellari volunt, eundemque Arabum Petrææ atque Deſertæ parentem faciunt, qui Gerhamitæ audiunt; a Cahtano vero altero, Heberi filio, incolas Arabiæ felicis, qui Jamanitæ vocantur, deſcendiſſe. Hoc poſtremum ex Scripturis conſtat, ut ſupra dictum eſt. An vero extiterit Cahtanus alter, cujus originem ad Iſmaelem referunt, Mahometanis quidem non repugno; ſed illum cum Chabaro aut Hudo eundem fuiſſe nego. Hic enim ab ipſis Mahometanis auctoribus apud Herbelotium in Biblioth. Orient. pag. 222. & 983. Heberus creditur, ejuſque ſepulcrum in Hadarmauth ſeu regione Chatramotitarum aſſeritur, ubi hodieque locus extat Geographo Nubienſi memoratus, cui nomen *Cabr-Aud*, ideſt, *Sepulcrum Hud*: quod Hebero vel Jectani Jamanitarum parenti, non Cahtano Iſmaelis nepoti convenire poteſt. Præterea Gerhamitæ, Petrææ atque Deſertæ Arabiæ incolæ adeo non deſcendunt a Cahtano nepote, ut Cahtanus potius genus ab iis duxerit: Iſmael enim, ut modo dicebam, in eorum terras profectus, uxorem Gerhamitam duxiſſe perhibetur, ex qua Iſmaelitæ orti. Denique Arabes omnes, qui originem ab Iſmaele, ſive a Cahtano Iſmaelis nepote trahunt, non indigenæ ſunt, de quibus hic ſermo; ſed advenæ indigenis longe poſteriores.

Igitur Cahtanus ſeu Jectanes, Heberi filius, genuit treſdecim illos Arabum Jamanitarum parentes, quos ſupra memoravi. Ex iis Mahometani *Sabam* potiſſimum nominant, cujus poſteros recenſent. Sed Cahtanum hunc cum altero Iſmaelis nepote confundentes, a Cahtano genitum ajunt Jaatabum ab hoc Jaſcihabum, a Jaſcihabo Sabam. Hæc Iſmael Abulpheda apud Ecchellenſem pag. 154. contra expreſſam Scripturæ auctoritatem, in qua Geneſ. 10. nullus inter Cahtani ſeu Jectanis filios Jaarabus; nec Saba Cahtani pronepos, ſed filius dicitur. Alii apud auctorem Chronici Turcici rectius Jaarabum & Jaſcihabum ad Cahtanum Iſmaelis nepotem, non ad Jectanem Heberi filium referunt. Sabæ nomen *Abd-Sciams* fuiſſe ( Ecchell. pag. 154.) ferunt, quæ vox *Servum Solis* ſignificat: Græce *Heliodulum* dixeris; *Sabam* autem dictum, quaſi Raptorem prædatoremque, ut idem Ecchellenſis pag. 277. notat, quod nimirum finitimas gantes bello petere, prædari, & captivos ducere in more habuerit. Utriuſque appellationis veſtigia extant apud Græcos & Latinos. De nomine Sabæ Heſychius: *Σαβὰ, αἰχμαλωσία, Saba, Captivitas*: & reſpondet Hebraicum, Chaldaicum & Syriacum *Sceba*, & Arabicum *Saba*, ideſt, *Captivum ducere*. Quidquid Bochartius lib. 2. cap. 26. addit, argutiæ ſunt, ſed nihil ad rem noſtram. Sabæ nomen *Sciams* ſeu *Solis* fuiſſe, cum Plinio conferendo Theophraſtrum liquet. Plinius lib. 12. cap. 14. *Thus collectum Sabotam Camelis convehitur .... Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, menſura, non pondere Sacerdotes capiunt*. Theophraſtus hiſtor. Plantar. lib. 9. cap. 4. *Congeruntur undequaque myrrha* & thus εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ ἡλίου in templum *Solis*. Sabis igitur, ſeu Saba Sabæorum pater ab iiſque pro Deo habitus, idem erat ac *Sciams* ſeu Sol; non quod librariorum errore Σάβις pro Σάμις,

ideſt , Saba pro Sciams ſive ſole, obrepſerit, ut Bochartius lib. 2. cap. 16. conjicit, ſed quia utroque nomine *Sabis* & *Samis* appellaretur.

Ab hoc Saba apud Ecchellenſem pag. 154. quinque Arabum Jamanitarum populos Mahometani Scriptores deducunt, nimirum: *Homair*, *Cahalan*, *Amr*, *Aſaar*, & *Amela*.

Ex Homairo Sabæ primogenito, unde Homeritæ dicti, genus ducunt 1. *Tabaa*. 2. *Cahanaa* qui & *Cadaa*. 3. *Sciaaban*. Et Sciaabanus quidem auctor fuit *Sciaabenorum*, quos Ecchellenſis *Sciahbanitas* appellat. Tabaa, qui Herbelorio pag. 889. *Tobba*, & *Tobbai*, pater fuit Arabum, qui diu Chatramoritis & Homeritis regnarunt: *Tatabitas* Ecchellenſis pag. 154. vocat: a ſingulari enim *Tabaa*, pluraliter *Tatabaa* ſecundum regulas Grammaricæ Arabicæ effertur. De his Bochartius lib. 2. cap. 16. *Ut Abimelech Palæſtinæ, Pharao regum Ægypti, Cæſar Imperatorum proprium fuit nomen, ita Atthobo (Tabaa) Regum Azarmauth, & Hamir, ideſt, Chatramitidis, & Homenitidis*. & addit: *Atthobo eſt aſſectator & diſcipulus: quia pſeudoprophetæ veſtigiis inſiſtere ſe profitetur*. Verum Homeritarum regibus id nomen longe ante exortum Mahometi pſeudoprophetæ impoſitum. Apud Ptolemæum lib. 6. cap. 7. in Arabia felice ante Sabbatham metropolim *Thabba* memoratur, Tabaitarum certe Oppidum. *Tavenos* ſeu *Thabenos* populos lib. 6. cap. 28. Plinius laudat.

Cadaa ſeu Cahanaa regnavit in regione Sciagiara ſeu Syagrica, ejuſque filii ſunt 1. *Malech*, a quo populi *Malechi*, Ptolemæo Malichæ. 2. *Calb*, a quo Calbitæ. 3. *Bahara*, a quo Bahareni, Plinio *Baraſæi*, Ptolemæo *Banu-Bari*, ideſt, filii Baharæ. 4. *Gehina*, a quo *Gehinitæ* apud Marraccium cap. 15. in vita Mahumeti. 5. *Bali*, a quo *Balitæ*, Ptolemæo Blivæi. 6. *Thanue*, a quo *Thanuetæ*. 7. *Salich*, a quo *Salichitæ*. 8. Nahad, a quo *Nahaditæ*. 9. *Adre*, a quo *Adreni*, Ptolemæo *Athritæ*. Ecchellenſis pag. 154. eos vocat *Chaſditas*, *Calebitas*, *Bahritas*, *Giahamitas*, *Jalitas*, *Salehitas*, *Nahditas*, & *Hadritas*. Et Calbitæ quidem in Duma & Tabuch finitimiſque Syriæ locis regnarunt, ex quorum genere celebres habentur *Zohairus*, & *Arethas*. Malechitæ in Sachalite poſt Cadaam patrem. Gehinitæ habitarunt in borealibus Hegiazæ partibus ad mare Geddæ, juxta Aſphan, ut ſupra ex Geographo Nubienſi notatum eſt. Thanuetæ prælia multa commiſere cum Lachemitis Hirtæ regibus. Salichitæ in Arabia deſerta, quæ Syriæ contermina eſt, a Gaſſanitarum regibus poſtea extincti.

Cahalani alterius Sabæ filii poſteri ſunt, 1. *Azadus*. 2. *Tajus*. 3. *Madhagius*. 4. *Hamdanus*. 5. *Canda*. 6. *Moradus*. 7. *Agarus*.

Ex Azado orti, 1. *Amrus*, unde Arabes *Gaſſanitæ*, qui ex Jamana in Syriam venere: *Caſſanenſes* Maraccio dicuntur in vita Mahumeri cap. 19. 2. *Auſus*. 3. *Chazragius*; unde *Chazragenſes & Auſini* Arabes Jathrebæ ſeu Medinæ apud eumdem Marraccium cap. 12. 4. *Chazaa*, unde Arabes Mecchæ ibid. cap. 21. 5. *Barecus*, unde incolæ cognominis montis in Jamana. 6. *Dauſus*, a quo Arabes Tehamæ. 7. *Aitachus*. 8. *Gaphecus*. Hinc populi Amritæ, Auſitæ, Chazragitæ, Barechitæ, Dauſitæ, Chazaitæ, Aitachitæ, & Gaphechitæ: ab iiſdem orti *Omanitæ*, quorum regibus cognomentum *Gelandi* impoſitum. Auctor Chronici Arabici, cui titulus *Praxis Speculationum*, Chazaitarum auctorem facit *Amrum* filium Jahiæ, filii Arethæ, ex tribu Azaditarum: Chazaitas autem appellatos ex voce Arabica *Ahazaa*, quæ *abſciſſum ſeparatumque* ſignificat: eos enim populos abſciſſos fuiſſe ſeparatoſque a Jamanitis Sabæis poſt fluminis Iremi alluvionem, & juxta Meccham in loco, quem *Baten-Morum* vocant, conſediſſe: hunc vero Amrum claves Delubri Meccani accepiſſe poſteriſque ſuis tradidiſſe, donec Caſius quidam

Digitized by Google

Calabi filius illas oblato vini utre a Chazaitis recepit. Rem ex Abulpheda narrat Ecchellenſis pag. 155. ubi Chazaitas notat antea vocatos fuiſſe *Caabitas* a Caabo filio Amri, filii Lahi, filii Arethæ, filii Amri, filii Mazichiæ, filii Ameri, filii Arethæ, filii Amrilcaiſi, filii Thaalabi, filii Mazeni, filii Azadi; etſi alii cenſent, id nomen illis impoſitum fuiſſe a Templo Meccano, quod Caaba dicitur, cujus præfecturam Chazaitæ, ut modo dicebam, diu geſſere, donec *Abu-Athanus* (Ecchellenſi Abuhitanus) jam ebrius claves Caſio Iſmaelitæ tradidit.

Tajus alter Cahalani filius nomen dedit *Taiis* Arabibus, qui Ptolemæo Æteii dicuntur: Marraccius in vita Mahumeti cap. 15. & 17. *Tajenſes* vocat: Ecchellenſis pag. 155. *Taitas*. Ea vero appellatio apud Syros frequentiſſima. Abulpheda Tajum ait filium fuiſſe Adadi, filii Zaidi, filii Cahalani, filii Sabæ. Tajo ſex filii fuere: *Gedila* nimirum, *Nabahanus*, *Bulanus*, *Salamanus*, *Hana*, & *Soduſus*: unde populi Gedilitæ, Nabahanitæ, Bulanitæ, Salamanitæ, Hanitæ, & Soduſitæ. Hi fluminis Iremi alluvionem fugientes, in ſuperioribus Hegiazæ partibus, quas *Naged* vocant, in montem Agæum ſe recepere, qui ex illorum nomine mons Tajus appellatus eſt. Ex horum genere Hatemus Tajus fuit, cujus liberalitatem veteres recentesque Arabes Scriptores decantant.

Madhagius, qui & Malechus, unde *Madhagitę*, tertius Cahalani filius, pater fuit *Chaulani*, *Genabi*, *Thaalabi*, *Saadi*, *Nachaę*, & *Anaſi*. a quibus *Chaulanitę*, *Genabitę*, *Thaalabenſes*, *Saaditę*, *Nachaitę*, & *Anaſitę*: a Genabitis *Auditę*. Ecchellenſis pag. 155. Madhagium ſeu Malechum facit filium Adadi, filii Zaidi, filii Cahalani, filii Sabæ; ejus autem poſteros tantum recenſet *Chaulanitas*, quos Cahlanitas vocat, & *Genabitas*; a Genabitis vero deducit *Moavitas*, *Auditas*, & *Aphanitas*: de Saado denique tertio Madhagii filio ex Abulpheda id notat, illum ſcilicet trecentis filiis ſtipatum, integram Tribum conſtituiſſe.

Hamdanus quartus Cahalani filius, pater fuit *Hamdanitarum*, qui maximæ famæ nominiſque fuere ſub initia Mahometiſmi; Illos vero Abulpheda originem duxiſſe refert a Rabia filio Malechi filii Zaidi; Ecchellenſis autem pag. 156. a Rabia filio Hajani, filii Malechi, filii Zaidi, filii Cahalani.

Canda, qui & Taurus, quintus Cahalani filius, unde *Candęi* dicti, pater fuit *Sciarſi*, a quo *Saxachitę*, & *Socunitę*, quorum regio in Jamana ad auſtrum Hadar-Mauth. Ecchellenſis loc. cit. Candam ſeu Taurum ſcribit filium fuiſſe Hoſaini, filii Arethæ, filii Zaidi, filii Cahalani; adeoque Candæos, Hamdanitas, & Madhagitas ab uno eodemque Cahalano parente per Zaidum deſcendiſſe.

Moradus ſextus Cahalani filius, pater fuit *Moraditarum*, qui habitarunt ad montem Jamanæ, qui Zebid appellatur. Quod vero de Moraditis ſeu Maraditis narrat Ecchellenſis pag. 156. *illos nimirum regionem Syriæ conterminam longe lateque habitaſſe, & ad eoſdem referendas eſſe innumeras propemodum hujus nominis familias, quæ plures Arabiæ felicis urbes agroſque occupant; præ omnibus demum Arabibus genus armorum virtute ac ſplendore, multoque magis Chriſtiana religione præclarum reddidiſſe, cujus propugnatores acerrimi fuere*; id, inquam, unde deſumpſerit, non video; nam Abulpheda, Sciahareſtanus, aliique Scriptores Arabes, quos conſului, præter ea quæ a me de Moraditis ſupra relata ſunt, nil aliud narrant. Fortaſſe Ecchellenſis ad Moraditas Arabas id traducit, quod de Mardanitis Libanum montem occupantibus referunt Theophanes & Cedrenus.

Agarus ſeptimus Cahalani filius, pater fuit *Chataami*, a quo Chataamitæ, & *Begila*, a quo Begilitæ, iidem fortaſſe ac *Bachilitæ*, de quibus Plinius.

Amri tertii Sabæ filii, unde *Amritæ*, ſeu *Amaritæ*, poſteri ſunt *Lachemus*, *Darus*, & *Gedamus*, a quibus *Lachemitæ*, *Daritæ* (qui Plinio & Ptolemæo Darræ:) & *Gedamitæ*; Plinio *Gedranitæ*. Ex Lachemitis fuere reges Hirtæ, quibus commune *Monderi* ſeu *Alamandari* nomen; alii vero ſunt a Lichenis, quos Ptolemæus Lecenos vocat: hi enim ſunt *Alaicheni*, terræ Madianitarum habitatores, de quibus in Alcorano Sura 15. et 26. fit mentio.

Aſaarus quartus Sabæ filius, pater fuit Arabum, qui *Aſaarii*, Ptolemæo *Eliſari*, Plinio *Iliſanitæ* dicuntur. Horum regio Beth-Raman, et rex Straboni lib. 16. Ilaſarus memoratur.

Amela poſtremus Sabæ filius, pater Arabum, qui *Amelitæ*, Plinio *Analitæ*, vocantur. Hi poſt Iremi fluminis alluvionem, una cum ſeptem aliis Arabum Jamanitarum tribubus ad Syriæ fines migrarunt, et apud Damaſcum urbem in monte, qui Amelæ dicitur, conſederunt.

Ecchellenſis pag. 156. Amritas, Aſaarios, et Amelitas omittit.

## §. XI.

*Iſmaelitarum tribus ex Mahometanis Scriptoribus.*

Arabes advenæ auctorem agnoſcunt Iſmaelem Abrahæ Patriarchæ ex Hagar filium. Ab Iſmaele, præter alios, quos ii reticent, orti ſunt, *Nabath*, & *Caidar*, qui in Scriptura Geneſ. 25. *Nabajoth*, & *Cedar* vocantur, iidemque ſunt patres Nabathæorum, & Cedræorum. Sed Mahometani Scriptores, omiſſis cæteris Iſmaelis filiis, *Cedarem* potiſſimum commemorant, quod ab eo tum Mahometus ipſorum Pſeudopropheta, tum præcipue Iſmaelitarum tribus originem deducunt. In Scriptura quoque (ut Pſalm. 119. 5. Iſaiæ 21. 16. Jeremiæ 49. 28. & Ezechiel. 27. 21.) ubi de Iſmaelitis agitur, frequentius Cedaris, quam Nabajoth, aut aliorum nomen occurrit; etſi apud prophanos Scriptores Cedræis Nabathæi celebriores ſint. Arabicus Interpres, quod in Textu Hebraico apud Iſaiam cap. 21. dicitur, *Onus in Arabia*, vertit, *de Arabibus & filiis Cedar*: Cedaritæ enim ibi a propheta ſoli nominantur, quos tamen cum Nabathæis cap. 60. 7. conjungit his verbis: *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajoth miniſtrabunt tibi*. Quod igitur Cedaris memoria frequentior ſit apud Sacros Scriptores, quodque aliquando Nabatho præmiſſum ejus nomen legatur, exiſtimarunt Mahometani apud Ecchellenſem in hiſtor. Arab. pag. 156. ipſum Iſmaelis primogenitum fuiſſe. Verum id expreſſæ Scripturarum auctoritati repugnat, in quibus Geneſ. 25. 13. & 1. Paralip. 1. 29 Nabajoth, non Cedar, primogenitus Iſmaelis dicitur. Nec minus abſurdum eſt, quod ex quorumdam Sententia refert Iſmael Abulpheda in Chronico: Nabajoth ſcilicet fuiſſe Cedaris ex filio Homalo nepotem: *Cedari natus eſt*, inquit, *Homalus: Homalo Nabathus qui & Nabethus: hunc nonnulli Iſmaelis filium faciunt: qua in re multum inter ſe diſcrepant auctores*. Niſi duo Nabethi dicantur; alter Iſmaelis filius Cedariſque frater, de quo in Scriptura, alter Cedaris ex Homalo nepos, cujus Mahometani in genealogiis ſuis meminere.

Marraccius in Refutatione Alcorani Par. 1. pag. 10. Edition. Patavinæ ann. 1698. ſcite obſervat, a Cedare quidem genealogiam Mahometi deduci; ſed in recenſendis ejus poſteris uſque ad Adnanum Maadi patrem Mahometanos nequaquam inter ſe convenire. Herbelorius in Bibliotheca Orientali pag. 120. *Quod Iſmaelitas ſpectat, omnes Arabum miſtitiorum tribus ab Iſmaele deſcendunt. Sed quamvis genealogias ſuas curioſius Arabes ſcru-*



Digitized by Google

*tentur, ac diligentiſſime conſervare ſtudeant; illas tamen ad Iſmaelem perducere nequeunt, ſed in Adnano, qui unus ex ejus poſteris fuit, ſiſtere coguntur: nec ipſa Mahometi genealogia ulterius progreditur*. Progreditur quidem ultra Adnanum; ſed, ut loc. ſupra cit. notat idem Maraccius, *Adnani progenitores, alii per plures, alii per pauciores ſucceſſiones, omnes tamen incertas, uſque ad Cedar filium Iſmaelis deducunt*, quemadmodum ex ſubjectis genealogiæ tabulis liquet.

Series Iſmaelitarum uſque ad Mahomerum, ex Iſmaele Abulpheda apud Ecchellenſem pag. 156. & Marraccium in Refur. Alcorani Par. 1. pag. 10. hæc eſt. *Iſmael, Cedar, Homalus, Nabathus, Salamanus, Hamiſa, Eliſa, Adadus, Adus, Adnanus, Maadus, Nazarus, Madarus, Elias, Madraea, Hozaima, Canana, Nadarus, Malechus, Phaherus qui & Coraiſus, Galebus, Lova, Caabus, Morra, Chelabus, Koſa, Abdalmonaphus, Haſcemus, Abdalmotalebus, Abdalla, Mohammadus* ſeu Mahometus. Quæ nomina Ecchellenſis a pag. 157. ita profert: *Hamelus, Nabetus, Salamanus, Hamiſah, Adadus*( Eliſa omiſſo), *Adus, Adnanus, Maadus, Nazarus, Maſſarus, Elias, Madraca, Hozaimus, Cananus, Alnadhrus, Malechus, Phahrus qui & Coraiſeius, Galebus, Levi, Caabus, Mara, Calabus, Caſius, Abdmnaphus, Haſcemus, Abdalmothabus, Abdalla, Mahometus*. Marracius vero in vita Mahumeti cap. 1. *Adnan, Moad, Nazar, Modhar, Elias, Medraca, Hazima, Kenana, Nodhar, Halec, Phaher ſeu Corais, Galeb, Lowa, Caab, Morra, Kelab, Coſa, Abdomonaph, Aaſcem, Abdalmottaleb, Abdallah, Mohammad*.

In Atlante hiſtorico Tom. 5. pag. 56. Edition. Amſter. 1719. genealogia Mahomeri ex fide recentiorum Mahometanorum ad Iſmaelem ſic perducitur. *Iſmael, Kedar, Selam, Jeſiab, Hemaiſa, Jaſe, Ader, Ad, Ednan, Moad, Nizar, Modar, Elias, Medrike, Chazaima, Aanane, Nodar, Malic, Phahir, Galib, Lovay, Caab, Morrha, Kaleb, Kudai, Abdomenaf, Haſchem, Abdolmotleb, Abdolla, Mahomet*.

In Chronico Turcico mſ. cujus ſumma apud Mahometanos auctoritas, quodque Pirio auctori tribuitur, Mahomeri progenitores hi recenſentur. *Mohammad, Abdalla, Abdolmottaleb, Haſeem, Abdolmonaph, Koſa, Chelab, Morra, Caab, Lova, Galeb, Phahed, Malech, Nadhar qui & Corais, Canana, Hozaima, Madraca, Elias, Madar, Nazar, Maad, Adnan, Adad, Mokavam, Bachor, Birli, Jaarab, Jaſcihab, Nabet, Iſmael, Abraham*. Ubi *Coraiſi* cognomentum Nabdharo non Phahedo ſeu Phahero tribuitur, quæ ut quorumdam Arabum ſententia eſt ab Iſmaele Abulpheda apud Ecchellenſem pag. 158. relata. Deinde ab Adnano ad Iſmaelem alii progenitores recenſentur, quam qui apud Abulphedam & in Atlante memorati ſunt. Demum a Nabato ſeu Nabajoth, non a Cedare genealogia deducitur: quæ eorum quoque opinio eſt, qui Cahranum Arabum advenarum patrem affirmant filium fuiſſe Hamiſæ filii Nabajorh filii Iſmaelis, ut ſupra obſervavi.

Itaque incerta omnia, præter vicinos Mahometi progenitores, uſque ad Adnanum. Neque enim fieri poteſt, ut a Mahomero ad Iſmaelem, inter quos anni bis mille quingenti & amplius interceſſere, triginta dumtaxat generationes fluxerint, quum inter Abrahamum Iſmaelis patrem & Chriſtum Dominum, quo Mahometus annis circiter ſexcentis poſterior eſt, generationes fuerint ſecundum Matthæum quadraginta duæ, juxta Lucam quinque ſupra quinquaginta.

Ab Adnano ad Mahumetum tam in recta, quam in obliqua genealogiæ linea deſcribenda conveniunt omnes: & pleræque fere Arabum tribus ſuam inde originem petunt.

## §. XII.

*Ab Adnano ad Mahumetum Arabum genealogia.*

Adnanus, inquiunt, genuit *Maadum*. A Maado dicti *Maadeni*, quos Procopius lib. 1. de Bello Perſico cap. 19. & 20. *Maeddenos* appellat, & Sinum Arabicum accolere ſub ditione poſitos Homeritarum; & Dionyſius Jacobitarum Patriarcha in Chronico ad annum Græcorum 1083. Chriſti 772. una cum Thaalabenſibus e finibus ſuis egreſſos in regiones Aſſyriæ invaſiſſe affirmat; Simeon vero Betharſamenſis in Epiſtola ad Simeonem Gabalæ Abbatem, in qua Homeritarum martyrium deſcribit, illos ſibi occurriſſe ait, quum Juſtini Imperatoris legatione ad Mondarum ſeu Alamundarum Saracenorum, qui erant ſub Perſis, Regem fungeretur. Vide Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 365. & Tom. 2. pag. 115.

Maadus genuit *Nazarum*, cui quatuor filii nati ſunt, *Madarus*, aliis Modar & Maſſar: *Abadus*: *Rabia*: & *Agarus*, Eccellenſi pag. 167. perperam *Anmar*. Hic relictis ſedibus, in Jamanam ſeu Arabiam felicem ſeceſſit, ubi ejus poſteri inter Jamanitas adſcripti ſunt. A Rabia & Abado, *Rabieni* ſeu Raabeni, & *Abadeni* ſeu Apatæi, de quibus ſupra. Porro Rabiæ nati *Aſadus*, & *Dobaja*. Dobajæ *Moltameſus* poeta; Aſado *Gedila*, & *Anza*. Gedilæ *Vajelus*. Vajelo *Bacrus* & *Thaalabus*. Anza pater fuit *Hantaritarum* & *Cartanitarum*. Ab his orti *Vajelitę*, *Bacritæ*, *Aſaditę*, & *Thaalabenſes*, Marraccio in vita Mahumeti cap. 19. *Thelaebini*, qui Maadenis ſeſe adjunxere, ut ex Dionyſii Chronico modo dicebam. Ex Vajelitarum, *Morra* ejuſque filius *Geſſaſus*, qui Colaibum interfecit, unde graviſſimum bellum inter Bacritas & Thaalabitas exarſit: *Tarpha* denique poeta filius Abdi. A Bacritis originem traxit *Marſcianus* major & minor, necnon *Hanipha* ejuſque poſteri Haniphitæ, ex quorum ſtirpe emerſit *Maslamas* pſeudopropheta Mahumeti æmulus. Ab Aſado denique Rabiæ filio genus ducunt *Nemrus*, *Lohaimus*, & *Egelus*: necnon *Abdalcaiſus*, & *Lahazemus*. At vero Abadus Abadenorum pater relicta Hegiaza, cum ſuis in Arakæ ſeu Babyloniæ fines perrexit: Ex ejus autem poſteris celebres habentur *Carabus* Mamæ filius, cujus liberalitas proverbio eſt apud Arabes, & *Caiſus* Saadæ filius eloquentia illuſtris.

Madaro nati *Elias*, & *Caiſus* cognomento *Ilanus*, vel ut alii perhibent, Ilanus Caiſi pater. A Madaro *Madaritæ*, qui juxta Meccam apud Geographum Nubienſem cum Medlegitis habitaſſe referuntur. A Caiſo *Caiſitæ*, Plinio *Cueſani*, qui in Hiſtoria Saracenica *Jamanitis* perinde opponuntur, ac in Italia Guelphi Gibellinis & Albi Nigris. Sunt autem plures Caiſitarum tribus: nimirum 1. *Navazenitę*, Marraccio in vita Mahumeti cap. 19. & 21. *Navazenſes* & *Chavazeni*: ex quibus *Saaditę* a Saado filio Bacri filii Havazeni, unde genus duxit Halima Mahumeti nutrix, quam idem Marraccius cap. 3. *Saadienſem* appellat: & *Rabieni* a Rabia filio Ameri filii Saſaæ filii Moaviæ filii Bacri filii Havazeni: & *Giaſcemitæ* a Giaſcemo filio Moaviæ filii Bacri filii Havazeni. Atque hi cum Helabitis & Hodailitis apud Meccham habitarunt, ut inquit Geographus Nubienſis. 2. *Calabitæ*, ex quibus genus duxit *Salechus* Mardaſi filius, qui primus Alepo Syriæ urbe potitus eſt. 3. *OKailitæ*, ex quibus Dynaſtæ Moſulani *Mokledus*, *Karuaſus* & alii. 4. *Ameritæ*, unde genus duxere *Saſaa*, & *Chafagia*, cujus poſteri in Araka ſeu Babylonia regnabant temporibus Iſmaelis Abulphedæ. 5. *Bacritæ*. 6. *Helalitæ*, aliis *Alilæi*, diverſi a Jerachitis, qui una cum Saaditis & Hodailitis apud Meccham

habitarunt. 7. *Abſitæ*, quos Abulpheda teſtatur genus ducere ab Abſo filio Nachidi, filii Raiſi filii Arphani filii Saadi filii Caiſi: ab Arphano autem Saadi filio originem trahere *Aſcigitas*, & *Dobianitas*: inter Abſiras *Antharam* ſcu *Sceдadum* claruiſſe, inter Dobianitas vero *Hoſainum* ex genere *Coraritarum* liberalitate inſignem, & *Nabegam* poeram: celebre demum Abſitas inter, & Dobianitas bellum exarſiſſe. 8. *Solimitæ*, quos bello adortus dicirur Mahumerus: *Solimitas* Marraccius cap. 19. vocat. 9. *Tachiphitæ*, quotum parer *Tachiphus* alias *Amrus*, qui Abadenotum Thamudenorumque reliquias apud Tajepham urbem collegir: *Tekiphenſes* Marraccio cap. 12. vocantur: eoſdemque Abulpheda a Bacro Havazeni filio deſcendere affirmat. 10. *Advanitæ*, qui ante Tachiphitas in Tajephæ fines advenerant: Dulesbeus Poeta ex iis genus ducit. Abulpheda vero Advanitas ait ab Amro Caiſi filio deſcendere, adeoque Tachiphitarum Advanitarumque eumdem parentem fuiſſe; additque tres alias Caiſitarum tribus, nempe *Giritas*, *Bahelitas*, & *Mazenitas*.

Eliæ nati ſunt duo filii, *Madraca*, & *Tangia*, ex matre *Candace*, unde ipſorum poſteri dicti ſunt *Candacitæ*: fuit autem *Candace*, alias *Laila*, filia Holvani, filii Amtani, filii Arethæ, filii *Cadaæ*. Tangiæ vero filii fuere *Tamimus*, *Rebahus*, *Dobba*, & *Adus*, unde Taminitæ, Rebabitæ, Dobbitæ, & Aditæ, quorum Sedes in cognomine oppido Tangia. Adus denique filium genuir Amrum ex Mozaina conjuge, filia Calbi, filii Vebræ, a qua vocati ſunt Mozainitæ. Ecchellenſis pro Tamimo, Rebabo, & Mozaina, legit Tamum, Rabihum, & Mazianam.

Madraca binos filios habuir, *Hozaimam*, & *Hodailum*. Ab hoc *Hodailitæ*. qui Mecchenſem regionem cum Helalitis & Saaditis incoluere, ut ſupra dictum eſt. Inter Hodailitas vero claruere *Abdalla* Maſudi filius, unus ex ſociis Mahumeti pſeudoprophetæ, & *Abu-Dovaibus* poeta.

Hozaimæ nati ſunt tres filii, *Canana*, *Haunus*, & *Aſadus*. Ab hoc *Aſaditæ*, inter quos *Cahelitæ* & *Dodanai*. Ex Hauno originem petunt *Adalitæ* & *Daiſcitæ*, qui communi vocabulo *Caræ* audiunt.

Cananæ filii ſex, *Nadarus*, *Malcanus*, *Amrus*, *Amerus*, *Abdomanata*, & *Malechus*. A Malechi filio Pharaſcio, *Pharaſcitæ*. Ab Amro *Amritę*, Marraccio cap. 19. *Ombenſes*. Ab Amero *Ameritæ*. A Malcano *Malcanitæ*. Abdomanatæ poſteri ſeprem, nimirum, *Apharitæ*: *Bacritæ*: *Damaritæ* quos *Dhamaraos* Marraccius cap. 15. vocar: *Laithitæ*; *Arethai*: *Dailitæ*: & *Medlegitæ*, Marraccio cap. 21. *Madlegitæ*, quos una cum Dailiris ad ſuam Sectam amplexandam invitaſſe Mahumetus perhibetur: habitabant enim in finibus Mecchæ, ut ex Geographo Nubienſi ſupra dixi. Ex Canana quoque ortum ducunt *Arabes Abeſitæ*, ſeu *Abiſſini*, alii ab Æthiopiæ Africanæ incolis quos Auxumitas vocamus. Arabum Abeſirarum oppidum *Abiſſa*, cujus ſupra memini.

Nadari filius unicus *Malechus*, quem Mahometani prophetis ſuis accenſent, ut notatur in Atlante Hiſtorico Tom. 5. pag. 46.

Malecho natus eſt *Phaherus*, cognomento *Coraiſus*. Sunt autem, qui hanc Coraiſi appellationem Nadaro, non Phahero tribuunt, quemadmodum obſervat Ecchellenſis pag. 159. ubi ex Arabicis Scriptoribus etymologiam hujus nominis exponit. A Coraiſo tribus *Doraiſitarum*, qui Marraccio cap. 6. 9. & ſeqq. *Coraſini* & *Coraiſitæ*, Herbelorio pag. 272. *Coraiſchitæ*, Ecchellenſi *Coraiſcitæ* dicuntur. Abulpheda auctor eſt, id nomen neque Nadaro, neque Phahero fuiſſe, ſed Phaheri poſteris impoſitum.

Phaheri filii tres: *Galebus*, *Moharebus*, & *Arethas*. A Moharebo *Moharebitæ*, ſeu *Mocharbi*, unde fortaſſe *Carbi* apud Plinium, cujus etymon

Arabicum *Bellatores* ſignificat. Ab Aretha orti *Chalegitæ*, e quorum tribu fuit *Abu-Obaida* Gerachi filius, unus ex decem Mahumeti ſociis.

Galebo nati ſunt duo, *Lova*, & *Taimus* cognomento *Adramus*, a quo *Taimitæ* & *Adramitæ*, alii a Dtimatis ſeu Adoramitis Jamanæ incolis, quos ſupra memoravi.

Lovæ filii ſex, *Caabus*, *Saadus*, *Hozaima*, *Amerus*, *Aſama*, & *Arethas*. Hic nullam reliquit prolem; Saadus vero, Hozaima, Amerus, & Aſama, *Aſamitis*, *Ameritis*, *Saaditis*, & *Hozaimitis* nomen dedere. Ameri filius *Amrus* fuit, Abdudo patre genitus, equitum Arabum fortiſſimus, quem Ali Abutalebi filius occidit, quod hic Mahumeti pſeudoprophetæ, ille Coraſinorum partes ſuſcepiſſet.

Caabi filii tres, *Morra*, *Addidus*, & *Adius*. Ex Adido orti *Gemichitæ*, unde genus ducunt *Omaja*, & *Abius* filii Chalaphi, qui Mahumeto ſeſe oppoſuiſſe perhibentur: & *Sahemitæ*, Marraccio cap. 10. *Sahemienſes*, a quibus genus trahit *Amrus* Alaſi filius, Othmani Chaliphæ copiarum Dux. Ex Adio orti *Aditæ*, e quibus *Omorus* Alchettabi filius, tertius a Mahumeto Chalipha, & *Saidus* Zaidi filius, unus ex decem Mahumeti Sociis. Aditarum genealogia in Atlante Hiſtorico Tom. 5. pag. 46. ad Omarum Chalipham ſic texitur: *Caab*, *Adi*, *Ravvah*, *Kart*, *Riha*, *Abdolziz*, *Nokal*, *Alchitab*, *Omar*, *Abdolla*: Alchitabi autem filius alter *Zeid*. Abulpheda proximos Omari parentes ita recenſet: *Omarus*, *Alchettabus*, *Nophailus*, *Abdolozza*. Auctor Chronici Turcici: *Omarus*, *Alchettabus*, *Nephaidus*, *Abdolozza*, *Karlus*, *Rejachus*, *Abdalla*, *Zarachus*, *Adius*, *Caabus*, *Lova*: Ex quo patet nec ſeriem in Atlante ſervari, nec nomina Arabica Latine fideliter efferri.

Morræ tres filii nati ſunt, *Chelabus*, *Taimus*, & *Jakda*. A Taimo orti *Taimitæ*, ex quibus *Abubecrus* cognomento *Seddik*, ideſt, Juſtus, Mahumeti Socer ac in imperio ſucceſſor, & *Talaha* Marraccio cap. 9. laudatus, unus ex decem ejuſdem Mahumeti Sociis, quem *Tabha* Ecchellenſis pag. 159. perperam vocat. A Jakda *Machzumitæ*, nimirum filii Machzumi filii Jakdæ, unde genus trahunt *Chaledus* Validi filius, & *Amrus* Abugehel Hiſciami. In Atlante Hiſtorico genus Abubecri non ex Taimo Morræ filio ducitur, ſed ex Caabo Morræ patre, hunc in modum: *Caab*, *Omar*, *Amri*, *Othman Abicahafa*, *Abdolla*, *Abubeker* juſtus, cujus filii *Mohammad*, *Abdorrahman*, & *Aſma*; filii autem Amri *Zacharias*, & *Aſma* Abubecri mater.

Chelabo nati filii duo, *Koſa* (Ecchellen. *Caſius*) & *Zahara*. Ab hoc *Zaharitæ*, e quibus *Saadus* filius Abi-Vaccaſi, unus e decem Sociis Mahumeti; & *Amena*, aliis Amina ſeu Emina, mater ejuſdem Mahumeti, filia Vahebi, filiio Zaharæ: & *Abdarrach-manus* filius Auphi, de quibus Marraccius cap. 1. & 19. In Atlante hiſtorico *Anima* Mahumeti mater non ex Zahara Chelabi filio orta dicitur, ſed filia *Vahebi*, filii *Abdomenaphi*, filii *Koſæ*, fratris *Zaharæ*. Verum hallucinatio eſt in nomine Abdomonaphi, quem auctor illius genealogiæ eumdem exiſtimavit cum Abdomenapho Koſæ filio, quum diverſus ab eo fuerit, ut Iſmael Abulpheda affirmat, & recte Marraccius cap. 1. conjicit.

Koſa, al. Caſius, Coraiſitarum decus apud Mahometanos audit, quod delubri Meccani claves & præfecturam Chazaitis abſtulerit. Koſæ autem tres filii memorantur, *Abdomonaphus*, *Abdaddarus*, & *Abdalozza*. Ex Abdaddaro originem ducunt *Sciabitæ*, e quibus *Naſrus Harethæ* filius, Mahumeti hoſtis acerrimus, quem ille interfeciſſe perhibetur. Ex Abdalozza orti *Zobairus* Avami filius, unus e decem Mahumeti Sociis; & *Chadige Chovailedi* filia, hera & uxor Mahumeti, & *Varka* filius Nau-

Digitized by Google

pheli filii Aſadi , de quibus Marraccius capit. 3. & 6. In Atlante hiſtorico Abdalozza vocatur *Abdolaſi* , ejuſque filii ſic recenſentur : *Aſad* , *Harmala* , *Alvvam* , *Zubeir* , *Abdolla* , & *Obidalla* ; Harmalæ autem filia *Aiſcha* , quæ fuit Mahumeti uxor . Verum hæc Abubecro , non Harmala patre nata eſt , ut Mahometani omnes tradunt . *Aiſam* vocat Marraccius cap. 23. & 24.

Abdomonaphi quatuor ſunt filii , *Haſcemus* , *Abdoſciamſus* , *Motalebus* , & *Nauphelus* . A Nauphelo *Nauphelitæ* . A Motalebo *Motalebitæ* , e quibus Antiſtes *Sciapheenſis* , apud Mahometanos celeberrimus juriſperitus , Scholæque cognominis fundator . Ex Abdoſciamſo natus eſt *Omaja* , a quo *Omaitæ* , Herbelotio Bibl. orient. pag. 691. *Ommiadæ* ab Ommia , qui diu poſt Mahumetum Arabico imperio potiti ſunt . Ex his *Othmanus* filius Apphani filii Abilaſi, quartus a Mahumeto Chalipha ; & *Moavias* filius Abiſophiani filii Harbi filii Omajæ , Chalipha & ipſe , & quatuordecim Calipharum parens : & *Saidus* filius Alaſi filii Omajæ : & *Akaba* filius Abi-Moairi : & *Ataba* filius Rabiæ filii Abdoſciamſi : & *Henda* Atabæ filia, mater Moaviæ : & *Cherirus* Rabiæ filius : & *Arva* Cheriri filia , mater Othmani filii Apphani : de quibus Marraccius cap. 11. & 15. In Atlante hiſtorico pro Harbo legitur *Haleb* , & pro Ataba *Atha* .

Haſcemus nomen dedit *Haſcemitis* , qui Marraccio cap. 5. 11. & ſeqq. *Haſemitæ* . Ejus filius unicus *Abdolmotalebus* , a quo *Abdolmotalebitæ* apud eumdem Marraccium cap. 11. In Atlante hiſtorico Haſcemo filius alter tribuitur, nimirum *Aſed* , & Aſedo *Gajat* .

Abdolmotalebo nati ſunt filii decem , & filiæ ſex . Nomina filiorum hæc ſunt . 1. *Abdalla* pater *Mohammadi* ſeu Mahumeti , cui ſectam ſuam imperiumque Arabes debent . 2. *Hamza* pater Abbaſi , qui cognomen Aſadallæ , hoc eſt , *leonis Dei* , habuit . 3. *Abbaſas* , cujus filii *Phadlus* , *Abdalla*, *Obidalla* , & *Kathamus*. 4. *Abdomonaphus* , qui & *Abutalebus* , cujus filii *Talebus* , *Ocailus* , *Ali* gener Mahumeti , *Giaapharus* , & *Henda* cognomento *Om-Hani* . Hic vero Abutalebus Mahumetum patre Abdalla orbatum educavit . 5. *Abdalozza* , qui & *Abulaheb* , Marraccio cap. 11. memoratus, cujus filii *Ataba* , & *Maatabus* . 6. *Hagelus* , qui *Gaidak* appellatus eſt , quod Coraiſitas omnes liberalitate ſuperaret . 7. *Arethus* , Abdolmotalebi primogenitus, cujus filii *Sophianus* , *Nauphelus* , & *Abdoſciamſus* . 8. *Abdocaaba* , qui & Mocavamus . 9. *Dararus* , Abbaſi uterinus frater. 10. *Zobairus* , cujus filiæ *Saa* , & *Om-Hocma* . Alii addunt *Cathamum* , eumque ajunt adhuc infantem periiſſe ; Abdolmotalebo autem patri hos tantum filios ſupervixiſſe ; *Aretham* , *Abutalebum* , *Abulahebum* , & *Abbaſum*. Nomina filiarum Abdolmotalebi , 1. *Saphia* mater Zobaini filii Avami . 2. *Ateca* uxor Abi Omajæ filii Mogairæ filii Abdallæ filii Machzumi ; fuit autem mater *Abdallæ* , *Zohairæ* , & *Corainæ* . 3. *Arva* uxor Omaiti filii Vahebi filii Abdaddani filii Koſæ , ex quo ſuſcepit Tolaibum . 4. *Amima* uxor Giahaſi filii Rebabi , ex quo ſuſcepit *Abdallam* , *Abdam* cognomento *Abu-Achmed* poetam , *Habibam* , *Hamiam* , & *Zainabam* ſeu Zenobium uxorem Mahumeti ; Giahaſus vero Amimæ vir fertur in Æthiopiam migraſſe , ibique Chriſtianam religionem coluiſſe . 5. *Berra* uxor Abdalaſadi filii Helali filii Abdallæ , filii Amri , filii Machzumi , ex quo ſuſcepit *Abdallam* patrem Salamæ , cujus uxorem Mahumetus duxiſſe fertur . 6. *Baida* , quæ & *Om-Hachim* , uxor Cheriti filii Rabiæ filii Abdoſciamſi filii Abdomonaphi , ex quo ſuſcepit *Arvam* matrem Othmani filii Apphani.

Mahumetus , Arabibus *Mohammad* , Abdolmutalebi filius uxores habuit,

unam ſupra viginti, & quatuor concubinas. Nomina uxorum ejus. 1 *Chadige* filia Chovailedi filii Aſadi filii Abdalozzæ filii Koſæ, quæ antea nupſerat Atiko filio Abedi filii Obidallæ filii Amri filii Machzumi, eique Atetham genuerat; Deinde mortuo Atiko illam in uxorem duxerat Nabaſus Abu-Hale filius Zararæ ex tribu Tamimitarum, cui filium filiamque genuerat: demum Nabaſo defuncto Mahumetus illam duxit, ex eaque ſuſcepit filios quatuor, nimirum *Kaſemum*, *Tajebum*, *Taherum*, & *Abdallam*; totidemque filias, videlicet, *Zainabam*, *Phatemam*, *Rakiam*, & *Om-Calthumam*: ex quibus Zainaba nupſit Abûlaſo filio Rabii filii Abdalozzæ filii Abdoſciamſi, ex qua is procreavit filium Ali, & Emamam filiam. Phatemam duxit Ali filius Abitalebi, ex eaque ſuſcepit filios Haſanum, Hoſainum, & Mohaſanum, filiaſque Rakiam, Zainabam, & Omcalthumam. Rakia vero & Omcalthuma binæ aliæ Mahumeti filiæ nupſere Othmano Apphani filio poſtquam Ataba Abilachebi filius illas viduas reliquiſſet. 2. *Sauda* filia Zamaæ filii Caiſi filii Abdoſciamſi filii Abdudi, filii Nadari, filii Malechi, filii Hanbali, filii Ameri, filii Lovæ, filii Galebi. Illam prius duxerat Secranus filius Amri. 3. *Aiſa* filia Abubecri filii Abi Cahaphæ Othmani, filii Ameri, filii Amri, filii Caabi, filii Saadi, filii Taimi, filii Morræ, filii Caabi, filii Lovæ, filii Calebi. Hanc ſolam virginem, eamque ſeptennem duxit Mahumetus. 4. *Haphſa* filia Omari filii Alchettabi, filii Nophaili, filii Abdalozzæ, filii Rejachi, filii Abdallæ, filii Zerachi, filii Adi, filii Caabi, filii Lovæ, filii Galebi: Hanc olim duxerat Hobaiſus Chadaphæ filius Sahemita. 5. *Ramla*, quæ & Om-Habiba, filia Abiſophiani, filii Sachari, filii Harbi, filii Omajæ, filii Abdoſciamſi, filii Abdomonaphi. Hæc uxor fuerat Abdallæ filii Giahaſi; marito autem Chriſtianam religionem amplexo, Mahumetum ſequuta eſt. 6. *Om-Salama*, filia Abi Omajæ filii Mogairæ filii Abdallæ filii Amri filii Machzumi filii Jachdæ filii Morræ filii Caabi filii Lovæ filii Galebi. Uxor fuerat Abdallæ patris Salamæ, ex quo genuerat Amrum, & Zainabam: Amrus autem a Mahumeto rerum potito præfectus fuit regioni Baharainæ. 7. *Zainaba* filia Giahaſi filii Rebabi filii Jamori, filii Sabaræ, filii Morræ, filii Chatini, filii Ganemi, filii Dodani, filii Aſadi, filii Chazimæ, filii Madrachæ, filii Eliæ, filii Madari. Hæc fuerat uxor Zaidi filii Arethæ, qui quum Mahumeti libertus eſſet, ab hero libertatem ea conditione conſequutus fuit, ut ei uxorem invitus cederet. 8. *Gevairia* filia Arethæ, filii Abidarari, filii Arethæ, filii Abedi, filii Malechi, filii Moſtalechi, ex tribu Chazaitarum: hanc bello captam, Thabeto Caiſi filio, cui obtigerat, Mahumetus eripuit. 9. *Saphia* filia Hai filii Hatabi filii Jahiæ filii Caabi filii Chazragi, ex tribu Nadaritarum. Uxor fuerat Cananæ filii Abiakiki, quo in prælio Chaibarenſi cæſo, a Mahumeto ducta eſt. 10. *Maimona* filia Arethæ filii Harbi filii Bahairi filii Hermi, filii Rovairæ filii Abdomonaphi filii Helali filii Ameri filii Saſaæ; matertera Chaledi filii Validi, & Abdallæ filii Abbaſi: hæc antea fuerat uxor Abiſabræ Ameritæ. 11. *Zainaba* filia Chozaimæ filii Arethæ filii Abdallæ filii Animi filii Abdomonaphi filii Helali: Uxor fuerat Abdallæ filii Giahaſi, vel, ut alii perhibent, Phadli filii Arethæ. 12. *Phatema* filia Dechachi. 13. *Andapha* ſoror Rahabæ Calebitæ. 14. *Chorvila* filia Hodaili. 15. *Aſma* filia Caabi. 16. *Amra* filia Zaidi Chelabitæ. 17. 18. anonyma *Apphanita*, & altera *Tamimita*. 19. *Atecha* filia Dobiani. 20. Filia Salti. 21. *Melicha* Laithenſis. Ex his fuere novem, quæ Mahumeto ſupervixere, videlicet, *Aiſa* filia Abubecri, *Haphſa* filia Omari, *Sauda* filia Zamaæ, *Zainaba* filia Giahaſi, *Maimona*, *Saphia*, *Gevairia*,

*Ramla*, & *Omſalama*. Concubinæ vero, 1. *Maria* Coptica ſive Ægyptia, quæ ei genuit filium Abrahamum. 2. *Richana*. 3. Ancilla quædam, quam ei dedit Zainaba Giahaſi filia. 4. Aucilla altera, bello capta: Porro *Kaſemus*, *Tajebus*, *Taherus*, *Abdalla*, & *Abrahamus*, Mahumeti filii, ante patris obitum omnes ſublati ſunt. *Rakia* item, *Omcalthuma*, & *Zainaba* ejuſdem filiæ, vel nullos habuere liberos, vel ſi quos genuere, ſine prole extincti perhibentur. *Phatema* ſola mater fuit Haſani & Hoſaini, quorum poſteri hodieque apud Mahumetanos, tamquam Mahumeto affines, in ſumma veneratione habentur,

## §. XIII.

*De ſeptem Arabum Poetis, qui ante Mahumeti tempora floruerunt.*

Hæc Atabum Scriptores de gentis ſuæ originibus. Cæterum ex ſupra deſcripta Iſmaelitarum genealogia manifeſtum fit, Mahometanos Scriptores, niſi quum recentiorum temporum generationes texunt, fide dignos non eſſe. Neque enim ulla poſſunt proferre litterarum monumentis conſignata bularia ante Mahometi ætatem, præter ſeptem Poetarum Arabum carmina, quæ ipſi *Moallacat*, ideſt, appenſa, & *Modahebat*, hoc eſt, auro ornata vocant, quod ſcilicet in papyro Ægyptiaca, ſeu, ut alii volunt, in longis tabulis auro deſcripta, ad Caabam, ſeu delubrum Meccanum appenſa eſſent, de quibus lege Herbelotium Bibl. Orient. pag. 111. 117. 430. 512. 513. 586. 653. 948. & 1025. Et hæc quidem carmina etſi magni fiant apud Atabes, nihil tamen continent, quod ejus gentis hiſtoriam vel genealogiam illuſtrare queat. Exſtant in Bibliotheca Vaticana inter MSS. Codices Arabicos Petri a Valle num. 12. vide Tom. 1. Bibl. noſtræ Orient. pag. 587. & ſeq.

Sunt autem illi Poetæ, 1. *Amr-al-Cais* filius Hagiar filii Amri, Candæus, Atabum Candæorum rex. 2. *Lebid*, aliis *Labid*, filius Rabiæ, pater Okail, Amrita. 3. *Zohair*, Herbelotio *Dhohair*, filius Abi Salmæ Mozenita. 4. *Tarapha*, qui et *Amrus*, filius Abdi Bacrita. 5. *Amrus* filius Calthumi, Thaalabenſis. 6. *Antara* filius Scedadi, Abſita. 7. *Arethas* filius Halyæ, Aſaarita, ſeu Jaſcarenſis, qui et *Amrus* filius Arethæ. Nonnulli pro Aretha & Antara inter ſeptem Poetas ſubſtituunt *Aſchi*, & *Nabegah*. Alii *Nabegat* volunt cognomentum eſſe *Amri* filii Maaviæ Daibanitæ, (imo Dobianitæ) quem Arethæ loco habent. Commentaria in eos ſcripſere *Achmedes* filius Abdallæ, cognomento *Anſarius*, Andalutius; *Abugiapharus Nahas*, & *Noſainus* pater Abdallæ, filii Achmedis, Zuzenita. ex his Amralcaiſus & Lebidus Mahometi ætatem attigere: nam prior adverſus ipſum Satyras, alter pro eodem apologiam exaraſſe fertur: reliquorum ætas incerta. Hoc unum tamen certum, nihil in eorum carminibus inveniri, quod Arabicis antiquitatibus lucem afferre poſſit.

## §. XIV.

*De antiquorum Arabum religione ante Chriſtum natum.*

Principio verum Deum Arabes coluiſſe, vix ambigi poteſt: parentes enim nacti fuere Jectanem, Chus, Lot, Abraham, & Iſaac, a quibus veri numinis cognitionem cum lacte proculdubio hauſere. Poſtea (quod & cæteris gentibus contigit,) pro Creatore creaturas, pro Deo idola adorarunt: cujuſmodi homines ab ipſis vocantur *Arabes Giahelitæ*, hoc

eſt, *Ignorantes*, utqui verum Deum ignorarent, ejuſque cultum ad res ſcreatas traducerent. Eodem ſenſu totum illud tempus, quo ab Atabibus, vero Deo neglecto, idola colebantur, *Giahelia*, hoc eſt, *Ignorantiæ Seculum* appellatur: cujus vocis frequentiſſima apud Mahometanos Scriptores mentio, ut recte obſervant Marraccius in Prodromo in vitam Mahumeti cap. 8. & Herbelorius Bibl. Orient. pag. 120.

Ad tria autem velut theologiæ capita, tota illorum ſuperſtitio reducitur: quorum primum, Sol, Luna, & reliqua cæleſtis machina: alterum, Heroes, & primi aliquot parentes: tertium, dæmones pro diis habiti. Ex tribus hiſce ortum eſt quicquid nugax poſteritas pro Divino habuit, iiſque veri numinis cultum, titulos, nomina, quæ a majoribus tradita acceperat, impie attribuit, ut *Allah* Deus, *Cabir* magnus, *Baal* Dominus, *Moloch* ſeu *Malech* Rex &c.

## §. XV.

*Præcipuum Arabum numen Sol, qui Madianitis & Moabitis Chamos & Beelphegor, Ammonitis Moloch, reliquis Urotal.*

De cæleſtium corporum cultu hæc Jobus & ipſe Arabs cap. 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo: quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Quod enim Jobus a Sole Lunaque adorandis ſe abſtinebat, id contra Arabes plerique faciebant, quorum ſuperſtitionem ne Hebræi imitentur, Moſes admonet Deuteronom. 4. *Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus.* Ubi quod Latinus Interpres habet, *omnia aſtra cæli*, in Hebraico fonte legitur, *univerſum exercitum cælorum*, quemadmodum & de Joſia rege 4. Reg. 23. dicitur, *Delevit eos, qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cæli;* omnibus ſcilicet Planetis & Aſtris: quem impium cultum Hebræi a Chaldæis, Phœnicibus, Ægyptiis, & Arabibus didicerant: adeoque videtur inter veri Dei nomina in Scripturis *Deus Sabaoth*, hoc eſt, *exercituum*, hoc ſenſu recenſeri, quaſi Deus militiæ ſeu exercituum cœlorum, nempe Planetarum Aſtrorumque, quæ a ſacrilega gentilitate pro Diis colebantur, quemadmodum dicitur *Deus deorum*, nimirum eorum verus Deus, qui falſo pro diis habentur.

*Solis* cultus apud Arabes, maxime Sabæos, patet ex Theophraſto, qui ejus templum in Sabatha memorat Hiſtor. Plant. lib. 9. cap. 4. his verbis: *Congeruntur undequaque myrrha & thus* εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τοῦ ἡλίου *in templum Solis.* Eſt in Arabia & Βαισαμψα urbs ad mare Rubrum ſita, quæ vox a *Beth-ſemes*, corrupta, ὅ ἐστιν οἶκος ἡλίου, hoc eſt, *domus Solis*, ut recte Stephanus de Urbibus. Id ſibi vult nomen illud apud Ethnicos Arabes frequens *Abd Sciames*, hoc eſt, ſervus Solis, quod eodem plane ſenſu tunc imponebatur, quo nunc iſta *Abdalla* Servus Dei, *Abdalmeſſia* ſervus Chriſti, *Abdalaziz* ſervus Potentis, *Abdalrachman* ſervus miſericordis.

Moabitis & Madianitis idolum fuit *Chamos*, quod *Beel-Phegor* dicebatur: Ammonitis *Moloch* ſeu *Melchom*, ut liquet ex Scripturis numer. 25. & 31. Levitic. 18. & 20. Joſue 22. III. Reg. 11. & 23. Jeremiæ 48. & oſtendit Joannes Seldenus de diis Syris Syntagm. 1. cap. 5. & 6. Chaldæi vero, Syri, & Phœnices ſupremum numen ſuum, quod Arabibus, ut dixi, Sol erat, *Baal* ſeu *Bel*, & *Baalſamin*, hoc eſt, Dominum Cœlorum appellabant, ut idem Seldenus de diis Syris Syntagm. 2. cap. 1. Pro cœlo-

rum

rum Domino *Deum Ignis* Arabes dixere: id enim ſibi vult nomen *Urotal*, quo Herodotus lib. 3. Bacchum ab iis deſignari putat. Radicem hujus vocis petit Bochartius lib. 2. cap. 19. a Syriaca *Artel*, nudus, vel ab Arabica *Artal*, obeſus, & *Arta-vil* juvenis decorus, quæ Bacchis epitheta ex Latinis Poetis Horario & Ovidio eruit; ſed a vero quam longiſſime, ut mihi videtur. Res plana eſt, nec opus tot ambagibus. Sicut Hebræis Ignis eſt *Ur*, ita Arabibus *Err*, *Erat*, & *Eri*, ut ex Lexico Mohammad Jacobi, Camus appellato, Golius pag. 62. & 82. exponit. Hinc *Urotal* non aliud erit, quam vox corrupta ex Arabico *Erat-Allah*, Ignis Deus, ſeu Hebraico *Ur-el*, aut *Orot-el*, Luminarium Deus, nempe Sol. Herodotus Arabicum idolum Urotal pro Baccho accipiens, non minus deceptus eſt, quam qui Sabam cum Samis, hoc eſt, Bacchum cum Sole confundunt. Hæc vero falſorum numinum confuſio apud ipſos idololatras viguit, quibus Juno, Venus, Minerva, & cætera hujuſmodi, nunc pro diverſis, nunc pro iiſdem uſurpantur, ut fuſe probat Joannes Seldenus in laudato Syntagmate de diis Syris. Chaledum filium Sanani Abſitam cultui Ignis per magos Perſarum in Arabiam invecto fortiter ſe oppoſuiſſe, ex Mahometanorum monumentis obſervat Ecchellenſis in hiſtor. Arabum cap. 6.

## §. XVI.

*Alterum numen Arabum Luna ſeu Venus, quæ Allat, Ozza, & Zohara.*

Alterum numen, quod Chaldæis, Syris, atque Phœnicibus Luna erat aut Venus, ipſis dicebatur *Baalat* Domina, *Balati* ſeu *Belati* Domina mea; & *Baalat-Samin* Domina Cœlorum, ut recte Seldenus Syntagm. 2. cap. 2. Et hæc quidem *Venus* erat, *Juno*, & *Urania* Græcorum Latinorumque; *Aſtarte* Phœnicum, *Atergatis* Syrorum; *Allat* vero, *Ozza*, & *Zohara* Arabum: quo nomine Venerem aſtrum potiſſimum intelligebant, etſi Lunam Luciferumque ei quandoque conjungerent. Herodotus Veneris ab Arabibus cultæ meminit, eamque ab illis *Alittam* vocari affirmat. *Perſæ*, inquit lib. 1. *addidicerunt Uraniæ ſacrificare, ab Aſſyriis Arabibuſque edocti. Vocant autem Aſſyrii Venerem Militta, Arabes eamdem Alitta appellant, Perſæ vero Mitram*. Eamdem infra lib. 3. *Alilat* appellari teſtatur: *Arabes colunt Bacchum & Venerem: appellant vero Bacchum quidem Urotal, Uraniam Alilat*. Id nomen Scaliger petit ab *Helal*, quæ vox Arabice Lunam naſcentem ſeu novilunium ſignificat: Seldenus de diis Syris Syntagm. 2. cap. 2. a voce *Allailat*, ideſt, nox: *quæ*, inquit, *non alia eſt a Luna ſive Diana, Lilith etiam dicta Judæis; quod ab eodem, quo Halilath* (imo Helal) *Arabum manat fonte, a Lailah nempe, quod nox eſt, unde Lilith*. Addit vir doctus aliam conjecturam pag. 164. *Certe Alitta ab eodem, quo Mylitta themate peti poſſet, quod gignere ſignificat, ideſt*, Jalad: *hoc autem in Arabiſmo devenit* Valad: *unde ni fallor formari queivit, nec ſine analogia, Validtha, quod Græcis elementis exaratum*, Οὐαλιδθα *eſt, nec ut Græcorum pronunciatione in* Αλιττα *tranſiret, ita difficile erat. Alitta hoc modo id ipſum cum Mylitta etiam ſignificet*. Arabes tamen alia prorſus elementa in illius idoli appellatione habent, quæ neque cum *Helal*, neque cum *Allailat*, neque cum *Valedat* ſeu *Validtha* conveniunt: Vocant enim *Allat*, ut ex Iſmaele Abulpheda infra videbimus; quæ vox ab *Allah* petita, Deam ſignificat. Ex Allat vero corruptum Herodoti *Alitta*, & *Alilat*. Quæ igitur Græcis *Aphroditæ*; Latinis *Venus*; Aſſyriis *Mylitta*, hoc eſt, *Mauladtha* & *Mauldath*, genitrix, & Perſis *Mitra*, hoc eſt, *Mader*, ſeu mater, dicitur; ea-

dem Arabibus eſt abſolute *Allat*, hoc eſt, Dea. Solem enim & Lunam tamquam Deum Deamque, priſca illorum ſuperſtitio agnovit. Quod itaque conjicit Bochartius lib. 2. cap. 19. *Ab Alila Deæ cultu Alilæos populos appellatos*, mihi nequaquam probatur: Alilæi enim populi ex eodem Bochartio ſunt Jerachæi, ſeu *Benu-Helal*, Alila vero *Allat*: quæ duæ voces in Arabicis elementis non conveniunt. Hoc unum Bochartio permitterem, Alilæos Alatæ urbis incolas fuiſſe; Alatam vero ab Allatæ ſeu Alilæ Deæ cultu appellatam, ſicut a Duſare numine locum Duſarem in Arabia dictum, & a Baccho Baccham ſive Meccham Civitatem. Sic Græcis urbes Dioſpolis, Aphrodiſias, Hermopolis, dictæ a Jove, Aphrodite, Hermete.

## §. XVII.

*Tertium Arabum numen Saba Chuſi filius, qui & Bacchus. & Duſares.*

Ex heroibus primiſque Arabum parentibus unum divinis honoribus ornatum legimus *Sabam Chuſi filium*, de quo clara eſt Plinii lib. 12. cap. 14. auctoritas in deſcriptione Saboræ Urbis ajentis: *Thus collectum Sabotam camelis convehitur . . . . Ibi decimas Deo quem vocant Sabin, menſura non pondere Sacerdotes capiunt*. Etſi enim Bochartius lib. 2. cap. 16. ex Theophraſto hoc Plinii teſtimonium de Sole exponit, quaſi in ejus textum Σάβις obrepſerit pro Σάμις, ideſt, Saba pro Sole; præter Solem tamen & Lunam ſeu Venerem, certum eſt ab Arabibus Sabam ſub Bacchi nomine adoratum fuiſſe: *Arabes*, inquit Herodotus lib. 3. *colunt Bacchum & Uraniam*. Bacchus autem, ut recte obſervat idem Bochartius lib. 1. cap. 2. non alius eſt, quam *Bar-Chus*, ſeu, *Aen-Chus*, ideſt, Chuſi filius: qui Herodoto lib. 3. *Urotal*; Tertulliano Apolog. cap. 24. *Dyſares*; Euſebio, Stephano Byzantio, & Heſychio *Duſare*, Svidæ Θευσάρης *Theuſares* dicitur.

Et Urotalis quidem etymologiam ſupra tradidi. *Duſares* vero, vox compoſita a *Du*, & *Al-Sorath*, *quaſi Dominus Sorata*, ſeu *Ædis*: *Sorath* enim Ædem Arcemve ſignificat, ut recte Herbelotius Bibl. Orient. pag. 221. & 827. notat in voce *Caaba*, & *Sorah*. Ædes autem illa apud Arabes celeberrima, in Mecca urbe olim extructa fuit, hodieque manet; Baccho certe primum dicata, cujus de nomine urbs ipſa adhuc *Beccha* ſeu *Aaccha* in Alcorano Sura 3. verſ. 96. appellatur, ab idolo nempe Baccho ibi culto, quemadmodum Giggejus in Lexico in voce *Meccha*, Bochartius lib. 4. cap. 2. Herbelotius Bibl. Orient. pag. 169. & 220. & Geographi Arabes docent. Aliam *Duſaris* etymologiam tradit idem Bochartius lib. 2. cap. 19. A radice nempe *Straa*, vel *Sara*, quæ apud Syros & Hebræos eſt *ſolvere*, *diſſolvere*, *exprimere*, *liberum reddere*, & *convivari*: adeoque *Duſſara* dictum Bacchum exiſtimat, tamquam *Dominum ſolutionis*, ideſt, Λυαῖον, Λυσιμέριμνον, *& Dominum libertatis*, *ideſt*, Λυαῖον; *& convivii dominum*, *ideſt*, Θιασώτην, κωμάστην, Πολύυμνον, ἐγρεσίκωμον, quibus illum epithetis Poetæ paſſim inſigniunt. Ingenioſe quidem hæc dicta ſunt; ſed quæ cum Arabica voce *Du-ſorat*, qua *Dominus ædis*, ſeu arcis, vel turris, ſignificatur, nequaquam conveniunt. Inter idolorum nomina, quæ Arabes olim colebant, Iſmael Abulpheda recenſet *Sorat*, idque ab Auſitis & Chazragiris honorari teſtatur, ut infra dicam. Euthymius in Moamethicis cap. 8. τὸ βακχὰ Ισμαχὲχ καλούμενον εἴδωλον. *Idolum Baccha Iſmakech dictum*, *quod ipſe numen obſervationis appellat*, *miſeros barbaros adorare docuit*. De Mahomero loquitur, qui Meccani Delubri cultum a ſuis Sectariis retineri juſſit: Baccha enim & Maccha, ſeu Beccha & Meccha, duo urbis idolique nomina, Euthymius corrupte vocat *Baccha Is-Makech*. Itaque Du-

*ſare* idem qui & Bacchus, hoc eſt, Saba Chuſi filius. Ab ejus cultu dictus locus *Duſare* in Arabia, de quo hæc Stephanus Byzantius: *Duſare locus editus in Arabia, ſic a Duſare nuncupatus: is autem ut Deus colitur ab Arabibus & Dacharenis*, ideſt, Nabatæis, ut ipſe alibi inteepeerarur. Porro a Duſare loco appellati Arabes *Doſareni* vel *Duſareni*, quos Caſlaniris ad Orientem peoximos memorat Ptolemæus; in Græco enim Textu Δου-σαρηνοὶ vocantur, etſi in Tabulis & Latina verſione *Doreni* legitue. Hinc, ut notat Bochartius lib. 2. cap. 19. *Myrrha Duſaritis* apud Plinium lib. 12. cap. 16.

Cum Duſare *Obdum* ſeu *Obodum* antiqui ſcriptores conjungunt. Euſebius otat. de laudibus Conſtantini: *Arabes*, ait, *Duſarim & Obdum pro Deo colebant*. Calmetus in Dictionario Biblico in voce *Oboth*, primum obſervat, *Obodam* ſeu *Ebodam* urbem in Arabia Petræa, quæ eadem eſt ac Oborh, memorari apud Plinium & Srephanum Geographum: deinde ſubdit: *Hae ipſa Oboth colebat Idolum Obodon, cujus meminie una cum Duſaris alterius earum regionum Regis, Tertullianus ad Nationes lib. 2. cap.* 8. Obodæ quidem, ſeu Obeidæ Regis Arabum Nabatæorum meminit Strabo lib 16. Alterum Obodam, Arabum item Regem in Galaadite ac Moabite, laudat Joſephus de Bello Judaico lib. 1. cap. 13. At Obodam cum Duſare Tertullianus nuſquam memorat, ſed Apologet. cap. 24. hæc tantum habet: *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Dyſares*. Quid igitur *Obdus* ſeu *Obodus*, Aeabum idolum cum Duſaee conjunctum? Si conjectari licer, non aliud eſt quam Duſares, hoc eſt, Saba, ſive Bacchus, quem, ut ſupra dixi, Aeabes *Abd-Seiamſum*, ideſt, Servum ſolis, appellatum fuiſſe teadunt. Ex Abd-Sciamſo contractum nomen Abdi, quod in alias linguas teanslatum, Obdus & Obodus dicirur. Sic Obodas ſeu Obeidas, nomen eſt diminutum ab Abdalla, quod Arabes proferunt *Obaidalla*, ſeu *Obaid*. Joannes Ludovicus della Cerda Nor. in Tertulliani Apologeticum, ab hoc pluealiter Duſares Arabum Deos dictos exiſtimat, eoque nomine Duſarim & Obodum intelligi: *Hujus regionis*, inquit, *ideſt Arabiæ, Diſares, ſive malis Dyſares, Dii appellati ſunt, dicente Euſebio apud Pamelium, Arabes Duſarim & Obdum pro Deo colebant. Itaque ſub nomine Dyſarum continentur Duſaris & Obdus*. Hæc ille. An vero mentem Tertulliani aſſequutus ſit, judicent alii. Ego certe apud priſcos auctores Duſarim ſingularitee legi, numquam pluealiter Duſares. Quid, ſi dicatur Obdus idem eſſe cum idolo Habol ſeu Obol, quod Iſmael Abulpheda teſtatur in ſummo Caabæ vertice collocatum, ut infra ejus verba producam? Nam paucis literis mutatis ex *Habol* ſeu *Obol* a Græcis fieri potuit *Obod* & *Obdus*. Utroque autem nomine, Dyſaris ſcilicer & Obdi ſen Obol, vel ſi mavis, Haboli, unus idemque Bacchus deſignatur: pleraque enim idolorum Arabicorum nomina, quæ inferius explicabo, epitheta ſuut, quibus Bacchus & Venus ſignificantur.

## §. XVIII.

*Delubri Meccani idola Bacchus*
*Et Allataa:*
*Hæc Caaba & Lapis niger;*
*Sorata Bacchus.*

Non Bacchus tantum in Delubro Meccano cultus; ſed etiam Urania ſeu Venus, quæ, ut ſupra dixi, Arabum eſt *Ozza*, *Allat*, & *Zohara*. Hujus idoli ſtatua nihil erat, quam *Lapis niger quadratus*, cæter:

plane informis, niſi quod accuratius inſpectanti, figuram capitis ſcalpro expreſſam referre videbatur. Is porro lapis Arabibus vocatur *Caaba*, ſeu *Caabata*, hoc eſt, Quadratus: & *Hagiar-Aſuad*, lapis niger: & *Borca*, ſeu *Borcata*, lapis diſcolor: de quo Clemens Alexandrinus in Protreptico. *Olim itaque Scythæ acinacem, Arabes lapidem, Perſæ fluvium adorabant*: Maximus Tyrius ſerm. 38. *Arabes quidem Deum colunt, qualem tamen minime novi: Statua autem, quam vidi*, λίθος ἦν τετράγωνος *erat quadratus lapis*. Svidas in voce Θευσάρης *Theuſares*: τὸ δὲ ἄγαλμα λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δʹ εὖρος δύο, ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου: *Statua autem eſt Lapis niger, quadratus, informis, altus pedes quatuor, latus duos: innititur autem aureæ baſi*. Euthymius Zigabenus in Panoplia; *At prædictus ille Lapis eſt caput Veneris, quam Iſmaelitæ jam olim adorabant. Quippe lapis ille accuratius ſpectanti præfert formam capitis*. Sic enim ante Statuariam artem exculptam, lapides informes, & impolitæ ſtatuæ Deos gentium referebant, quæ proinde ἀνδριάντες στηλῶν *Statuæ ſtelarum* ab antiquis dicuntur, Sane Jacob Patriarcha lapidem, quem Gen. 28. 18. pro cervicali ſuppoſuerat capiti, ἔστησεν αὐτὸν στήλην *erexit in ſtatuam, & effudit oleum in ſummitatem ejus, & vocavit nomen loci Bethel*, hoc eſt, Domus Dei. Ab eo lapide *Betylorum* apud gentiles nomen, de quibus Sanchoniaton & Damaſcius apud Euſebium de Præpar. Evangel. lib. 1. & Photium in Biblioth. pag. 1047. & 1062. quorum verba refert Bochartius in Chanaan lib. 2. cap. 2. qui tamen fallitur, dum in Phaleg lib. 2. cap. 19. exiſtimat binos fuiſſe lapides nigros quadratos in Mecchæ templo poſitos, quorum alter informis & ἀτύπωτος, ideſt, ſine figura, Baccum referret; alter figuram capitis Veneris repræſentaret. Unus tam antiquorum, quam recentiorum teſtimonio fuit lapis ille, idemque plane informis, etſi ab Euthymio *figuram capitis ſcalpro expreſſam, ſi quis inſpectet accuratius*, præferre dicatur: & Veneri quidem, non Baccho ſacer. Bacchus enim in Turri, Venus in Lapide nigro quadrato Mecchæ adorabatur, ut ſupra dixi. In Lexico univerſali Hofmani V. *Arabes*, Caaba cum Sorah, Lapis niger quadratus cum Turri confunditur, his verbis: *Arabes idololatræ priſcis temporibus, Solem Lunamque aliqui, aliqui arbores quaſdam & ſerpentes, univerſi Turrim Alcara ſeu Aquebila, quam ab Iſmaele ſtructam dixere, venerati ſunt*. Ubi Caaba ſeu Al-Caaba perperam vocatur *Alcara* & *Aquebila*, eademque pro Turri Sorach accipitur: quæ & Mahometanorum hallucinatio eſt, pro eodem Caabam & Sorach uſurpantium apud Herbelotium Bibl. Orient. pag. 221. & 827.

## §. XIX.

### *FABULÆ MAHOMETANORUM*
### *De Fano Mecchæ.*

Hæc Caabæ, hæc Soratæ origo, quæ in Delubro Meccano ab antiquis Arabibus tamquam duo numina colebantur.

Sed Mahometani antiquitatum Arabicarum ignari aniles fabulas de majorum ſuorum idolo comminiſcuntur. Ajunt enim Lapidem nigrum, quem *Hagiar-Aſuad* vocant, eum fuiſſe, *in quo ſtetit Abraham*, tum ſcilicet, *quum ædificaretur Domus Meccana; ibique veſtigia pedum ejus adhuc extare poſt tam longum tempus & aſſiduam manuum contrectationem* fabulantur. Vide Alcoranum Sura 3. verſ. 97. & Gelalem apud Marraccium Tom. 2. pag. 131.

Græci vero Scriptores ex eorumdem Arabum mente affirmant eum fuiſ-

le, ſuper quo Abraham Patriarcha cum Hagare coiverit, aut ei Camelum alligaverit, quum immolaturus eſſet filium, cujus nomen quum in Alcorano Sura 37. non exprimatur, plerique Mahometanorum non Iſaacum eum fuiſſe volunt, ut diſerte in Libro Geneſis docemur, ſed Iſmaelem Arabum patrem, de quo lege Marraccium in Prodromo Par. 4. cap. 27. Editionis Paravinæ Tom. 1. pag. 116. Hoc prætextu Lapidem illum ab ipſis coli teſtatur Nicetas in Saracenicis ὡς ἐπάνωθεν αὐτοῦ τῇ Ἄγαρ ὁμιλήσαντος τοῦ Ἀβραάμ, ἢ ὡς αὐτῷ τὴν κάμηλον προσδήσαντος, ὅτε τὸν Ἰσαὰκ ἔμελλε θύειν, *quaſi ſuper eo cum Agare congreſſus fuerit Abraham, aut ei Camelum alligaverit, quum Iſaacum ſacrificaturus erat*. Id ipſum Joanni Damaſceno reſpondent ad hanc illius quæſtionem in libro de hæreſibus: *Quomodo igitur vos Lapidi affricamini* κατὰ τὸν Καβαθὰν ὑμῶν, qui eſt in Cabata veſtra, *ideſt*, *in* Caaba ſeu Caabata? Et in anathematiſmis, qui recitantur convertenti ſe Saraceno ad fidem Chriſtianam, lapis ille dicitur eſſe in Domo *Make*, hoc eſt, Mecchæ, atque Veneris effigiem in ſe habere, ſicut & de Abrahami ſuper hoc lapide congreſſu, & de camelo ad eum alligato ibidem prædicta referuntur. Caabam vero a Lapide nigro diſtinguentes, pro templo ipſo Meccano accipiunt: nil enim aliud eſſe Cabama contendunt, quam domum quadratam, hoc eſt, fanum Mecchæ, in quo Lapis niger conſervatur, quodque ipſis *Beit-allah*, ſeu domus Dei, impie appellatur.

Fabulas fabulis addunt, tam de Caaba, quam de Lapide nigro mira ſomniantes, quæ ex Alcorano Sura 2. verſ. 128. & Sura 3. verſ. 96. & ex Zamchaſcerio, Gelale, atque Thaalabienſi refert Marraccius in Prodromo Par. 4. cap. 27. & in Refutatione Alcorani Sura 2. & 3. Editionis Paravinæ Tom. 1. pag. 82. & Tom. 2. pag. 52. & 130. Eadem figmenta fuſe narrantur ab Herbelotio in Bibl. Orient. pag. 219. 420. & 569. verb. *Caaba*, *Hagiar-al-Aſſuad*, & *Meccah*, Summa eſt. Fanum Meccanum a Deo, vel Angelis ædificatum, ab iiſdem Angelis & Adamo viſitari ſolitum. Diluvii tempore in cælos receptum: aliud poſtea priori ſimile ab Abrahamo & Iſmaele extructum, quod adhuc Mecchæ maneat, in quo Lapis niger repoſitus. Lapidem autem illum olim candidum fuiſſe; ſed quod a menſtruata muliere tactus fuiſſet, nigrum evaſiſſe.

Nugæ meræque ineptiæ. Ex iis, qui Mahometanæ ſuperſtitionis exortum anteceſſere vel ſubſequuti ſunt, Scriptoribus palam fit, addictos idololatriæ Arabas fanum illud Baccho & Veneri olim conſecraſſe. Meccanæ urbis regioniſque incolæ, Chriſtianis Judæiſque exceptis, uſque ad Mahometi tempora non modo idola paſſim colebant, ſed in ipſo etiam Meccano templo repoſita habebant, ut ingenue fatetur Iſmael Abulpheda Mahometanus auctor, cujus verba mox proferam. In Alcorano Sura 4. verſ. 116. & Sura 53. verſ. 19. & 29. Meccanorum numina *Allata*, *Ozza*, *& Manata* diſerte nominantur, iiſque Angelos in fæminarum ſpecie ſignificari & coli affirmatur. Quidquid itaque de fano illo nugentur, ab idololatriæ labe vix ac ne vix quidem excuſari poſſunt qui Caabam Lapidemve nigrum adhuc venerantur.

Hoc Amrus Arethæ filius ex antiqua Gethamitarum tribu ortus quum perſpectum haberet, nigrum Lapidem, Veneris ſimulacrum, e fano Meccano detractum, in puteum quem Zemzem vocant, projecit, ut fanum ſcilicet expurgaret, Chondemirio teſte, quem Herbelotius pag. 219. & 420. laudat. Adolmotalebus Mahometi avus, idololatriæ tenaciſſimus, illum in priſtinum locum reſtituit. Carmathi poſtea, quæ Arabum ſecta anno Hegiræ 278. Chriſti 891. innoteſcere cœpit, (ut idem Herbelotius pag. 257. & 420. ſcribit) Mecca anno Hegiræ 317. expugnata, omnem ſuperſtitionis oc-

caſionem ex Arabia amoliri conantes, inde amotum, in urbe Cupha repoſuere, nequid in eo delubro, quod ſanctiſſimum habebatur, veſtigium idolorum ſupereſſet. Sed iidem anno Hegiræ 339. Chriſti 950. ut Mothio-Bagdadenſi Chaliphæ Abbaſidarum vigeſimo tertio, Arabumque ſtudiis facerent ſatis, Cupha Meccam reportatum, ad oſtium templi collocatunt, teſte Herbelotio pag. 258. ubi hodieque viſitur, ut refert Gab. Bremond in deſcriptione Ægypti lib. 1. cap. 29.

## §. XX.

*Peregrinatio Mahometanorum ad Fanum Meccanum.*

Ritum peregrinationis ad idem Templum Meccanum ſuſcipiendæ, quæ in Alcorano Sura 3. verſ. 97. Mahometanis præcipitur, Marraccius ex Codice Arabico fuſe deſcribit in Prodromo ad Refutationem Alcorani Par. 4. cap. 3. Titulo, *Liber de Peregrinatione*. Et quod aſſeclis ſuis faciendum juſſit, hoc Mahometus ipſe antequam e vivis decederet, præſtitiſſe legitur apud eumdem Marraccium in vita Mahom. cap. 27. in hæc verba: *Ingreſſus Meccam cum peregrinis, primus circuivit ſepties Caabam, ter velociter currens, quater autem pedetentim incedens. Deinde inviſit montes Sapham & Mervam, & Vallem Minam, & montem Araphat, ubi concionem ad populum habuit, aliaque ſacra loca viſitavit. Deinde regrediens in Vallem Minam, ſeptem lapillos de more poſt tergum ſuum projecit, quibus diabolum lapidaret: & mox oves, quas adduxerat, immolavit, nempe tres ac ſexaginta manu ſua, triginta autem & ſeptem per manum Aly. Deinde ad Caabam reverſus, ſepties iterum eam circumivit. Bibit etiam aquam hauſtam ex puteo Zamzam. Poſtea rediens in Minam, moratus eſt ibi tribus diebus, projecitque quotidie contra diabolum tres lapillos ſepties deambulando.* Quid aliud Meccani idololatræ olim faciebant, quum idolis ſuis cultum exhiberent, quam quod Mahometus in peregrinatione Meccana & fecit, & ſectarios ſuos facere præcepit?

## §. XXI.

*Cætera idolorum Arabicorum nomina.*

Caabæ, Saphæ, Meruæ, Minæ, & montis Araphat viſitatio, curſus nunc velox, nunc tardus, lapillorum jactatio, antiquam Arabum ſuperſtitionem ad vivum exprimunt, qui in Caaba, Sapha, Merua, Mina, & Araphat, idola ſua eodem plane ritu venerabantur, ut auctor eſt Iſmael Abulpheda de Arabibus ante Mahometiſmum: *Peregrinabantur*, inquit, *ad domum Meccanam, eam viſitabant, & circumibant: currebant, & conſiſtebant in locis omnibus, ubi id fieri ſolet: lapides quoque jaciebant*. Et paulo ſuperius de idolis uniuſcujuſque familiæ diſſerens: *Unaquæque eorum tribus propriis idolis addicta erat. Et Vad quidem colebatur a Calbitis in Duma Gendalitarum: Suag ab Hodailitis: Jaguth a Madhagitis: Naſr a Calaitis in Homeritide: Jaguk ab Hamdanitis: Allat a Tachiphitis in Taiepha: Ozza a Coraiſitis & Cananitis: Sorat ab Auſitis & Chazragitis: Habol autem idolorum maximum erat, idemque in ſummo Caabæ vertice collocatum. Aſaph vero, & Najela ſupra Sapham & Maruam exſtabant*. Additur in Lexico Arabico Golii pag. 2473. *Nohom*, Mezinitarum Arabum idolum: Et in Alcorano Sura 53. verſ. 20. cum *Allata* & *Ozza* conjungitur *Manata*, Minæ certe Vallis idolum his verbis. *Quid vobis videtur de Allata, & Al-Oz-*

*za*, *& Manata tertia alia*? Erant quippe tria Meccanorum idola, Venerem ſeu Lunam ſignificantia; etſi Mahometus Angelos iis vocibus deſignari exiſtimavit, inquiens Sura 53. verſ. 29. *Porro qui non credunt in noviſſimum ſeculum, certe nominant Angelos nominatione feminæ*, hoc eſt, Angelos Dearum loco habent. Originem horum nominum exponit Gelales apud Marraecium Tom. 2. pag. 290. in ea Alcorani verba Sura 7. verſ. 181. *Et Deo ſunt nomina pulcherrima: Invocate igitur cum ipſis, & relinquite eos, qui deviant in nominibus ejus*. Obſervat enim, femininas voces eſſe a maſculinis derivatas: *Allat* ſcilicet Dea, ab *Allah* Deus: *Al-Ozza* potens & robuſta, ab *Al-Aziz* robuſtus: *Manat* Benefica, ab *Al-Mannan* Beneficus. In Hebraico Textu Iſaiæ 65. 11. quod Latinus Interpres vertit, *Vos qui dereliquiſtis Dominum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam*, ſic legitur: *Qui ponitis Gad menſam, & libatis Meni*: hinc fortaſſe *Mina* ſeu *Manata*, hoc eſt, Benefica Venus: *Gad* enim nomen Arabes Sideri Jovis rebuſque omnibus bonis & beneficis indidiſſe tradunt, ut Calmetus in Dictionario Biblico verbo *Gad* ſcite obſervat; *Menis autem eſt Deus, quem in Armenia & Phrygia* (addam ego, & in Arabia) *cultum diſcimus ex Strabone & Jamblicho in vita Pythagoræ*, quemadmodum laudatum Eſaiæ locum docte exponit Grotius in Synopſi Criticorum, quod alii de numero Stellarum, vel planeta Mercurio intelligi volunt.

Idem Gelales in illud Alcorani Sura 53. verſ. 49. *Ipſe eſt certe Dominus Al-Scioaræ*, ideſt, *Caniculæ*, hoc aſtrum affirmat ab Arabibus olim cultum: *Al-Scioara*, inquit, *ſeu Canicula, Stella eſt a tergo Giauzæ*, hoc eſt, *Geminorum, quæ adorabatur tempore Ignorantiæ, ſive idololatriæ*. Nimirum Stellas & Planetas olim colebant Arabes, ut ſupra dictum eſt. Abraham Ecchellenſis hiſtor. Arab. pag. 172. *Solem* Homeritis numen fuiſſe ſcribit, *Lunam* Cananitis, *Jovem* Lachemitis & Gedamitis, *Mercurium* Aſeditis, *Aldobran* ſive *oculum Tauri* Maiſamitis. Quæ vero ex Iſmaele Abulpheda modo recenſui Arabum idola, idem corruptis nominibus ſic enumerat. *Calabitarum cognatio idolum nomine Vadum maximis proſequebatur honoribus. Hodailitæ Sagum adorabant. Madhagitæ Jagatum. Pharaſum Tamimitæ, Naſarum Calahitæ. Hamdanitæ Jahukum. Allataum Takaiſitæ. Hazinm Coraiſcitæ. Saratam Auzitæ, Horum omnium in omnibus Arabiæ provinciis celebratiſſimum habebatur idolum Habel, quod in ſumma templi Mecchenſis vertice collocatum erat. Huic tamquam minores dii, & ejus mandata exequi parati aſſiſtebant hinc inde Aſaph, & Najela. Hos duos ex Syria in Arabiam advectos fuiſſe antiquiſſimi Arabum perhibent. At qui ſub Mahometiſmo ſcripſerunt, ut qui Meccanico templo ſatis tribuunt honoris, tradunt hos duos ejuſdem nominis fuiſſe virum & feminam in lapideas converſos ſtatuas ob commiſſam in ipſo templo veneream turpitudinem, qui primum ibi collocati, ut aliis eſſent exemplo, deinde a mortalium cæcitate in deos adſciti ſunt*. Hactenus Ecchellenſis. Eadem de Aſaph & Najela ex quorumdam teſtimonio refert Golius in Lexico pag. 101. *Alii*, inquit, *tradunt utriuſque nominis Virum & Feminam fuiſſe e tribu Giurhem, illum filium Amri, hanc filiam Mehli, qui ob commiſſum in Caba adulterium in petras converſi fuerunt: quas poſtea ſacro cultu & religione coluerunt Coreixitæ*. Sed apage Mahometanas nugas. Aſaphi & Najelæ idola non in Caaba ſeu delubro Meccano fuere, ſed in Sapha & Marua, qui montes ſunt haud procul ab urbe Mecca, de quibus hæc idem Golius. *Aſaph ſuper monte Marua urbi Meccanæ proximo collocaverat Amrus Ibn Lahis: ſimileque idolum nomine Naila impoſuerat alteri vicino monti Sapha: atque ad illa duo idola mactabat quæ in Caba, templo Meccano, offerre vellet*.

*Naila* videtur eſſe eadem quæ *Allat*: nimirum *Nair* ſeu *Nahit* Perſa-

rum Dea, quæ aliis *Anaitis*. Vide Seldenum Syntagm. 2. cap. 7. & 12. & Tom. 1. Biblioth. noſtræ Orient. pag. 188. Sicut autem ex Allat idolo urbs *Alata*, ita ex Naila urbs *Neela*, cujus Epiſcopus Gautus ſubſcriptus legitur Concilio Chalcedonenſi Act. 6. *Habol* ſeu *Habel*, ab Arabico *Heball*, quod procerum & magnum ſignificat: auguſtiſſimum enim erat idolum, idemque cum *Sorah*, quod aliis *Sanach* appellatum legitur, hoc eſt, celſum & eminens. *Vad*, ideſt, Amor ſeu Venus: quo ſenſu & *Nohom* a cupidine & gula deducitur: rectius *Homon* pro Nohom, hoc eſt, Sol *Omanus* ſeu *Amanus* Perſarum Deus. *Suag*, prima noctis vigilia, fortaſſe Lucifer. *Jaguth*, confugium ſeu aſylus. *Naſr*, aquila, ſidus cœleſte, ſeu Aſteria, de qua ex Sanchoniatone in Chanaan lib. 2. cap. 2. Bochartius. *Jaguk*, quaſi *Gajuk*, ſtella lucida Aurigæ. *Pharras*, Leo, utique cœleſtis. Vide Golium in Lexico.

## §. XXII.

### *Mahometanorum Proteſtatio ſuperſtitioſa.*

Hæc tota Arabum idololatrarum theologia. Quo ſpectant nomina progenitoribus eorum impoſita, *Abdo-Sciams*, ſervus ſolis: *Abdal-Ozza*, ſervus Ozzæ: *Abdol-Caaba*, ſervus Caabæ: *Abdod-Dar*, ſervus Ædis: *Abdo-Manata*, ſervus Manatæ, & ſimilia, quæ ad Solem, Lunam, Venerem, & Meccanum delubrum referuntur?

Hiſce idolis duo vulgata nomina, *Allah*, Deus; & *Cobra* ſeu *Acbar*, maxima; quæ & *Allat*, ut ante dixi: quorum primo Sol, altero Luna ſeu Venus ſignificatur. Euthymius Zygabenus in Panoplia Venerem Καβὰρ *Chabar*; Cedrenus in Chronico eamdem Κυβὰρ *Kubar*, hoc eſt, Magnam, Arabum lingua dictam volunt. Addit Cedrenus de vulgata Mahometanorum precatione: Ἀλλᾶ, ἀλλᾶ, ὐὰ, Κυβὰρ, ἀλλᾶ, καὶ τὸ μὲν ἀλλᾶ, ἀλλᾶ, ἑρμηνεύεται ὁ Θεὸς, ὁ Θεός. τὸ δὲ ὐὰ, μεῖζον. τὸ δὲ κυβὰρ μεγάλη, ἤτοι σελήνη καὶ ἀφροδίτη. ὅπερ ἐστὶν οὕτως, ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς μεῖζον, καὶ ἡ μεγάλη ἐστ' ἡ Ἀφροδίτη Θεός. *Alla, Alla, Va, Kubar, Alla. Et quidem Alla Alla interpretatur Deus Deus. Va autem, major. Kubar vero, Magna, ſeu Luna & Venus. Ita ergo habet, Deus Deus major, & magna, nimirum Venus Deus.* Sed fallitur: nam primo Mahometanorum precatio ſic habet, *Allah, V' Acbar, Deus & maxima.* Deinde particula *Va* ineptiſſime exponitur *Major*: eſt enim particula conjunctionis apud Arabes, ut & apud Hebræos, Chaldæos, Syros.

*Acbar*, & *Cobra*, olim Venerem ſeu Lunam ſignificaſſe certum eſt: id enim fuit Arabum idolum, ut præter auctores ſupra laudatos teſtantur Theodoretus & Evagrius. Hic de Naamane Saracenorum Phylarcho, temporibus Mauricii Imperatoris ad Chriſti fidem converſo lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. *Naamanes*, inquit, *ad Sacrum Baptiſmum acceſſit, & vere auream Venerem, quippe quę nihil aliud eſſet, quam auri maſſa, igne liquefactam pauperibus diſtribuit*. Theodoretus in Philotheo in Vita S. Simeonis Stylitæ: *Iſmaelitæ turmatim venientes ducenti ſimul & trecenti, ac interdum mille, patrium errorem magna voce abnegant, ſimulacra quæ coluerunt, coram magno illo lumine* (Symeone Stylita) *conterentes, Venerisque orgia ejurantes: hujus quippe dæmonis cultum amplexi jam olim fuerant.* Eodem themate *Cabiri* vocabantur gentilium dii, quorum meminit ex Sanchoniatone, Heſychio, & Apollonii Scholiaſte Bochartius in Chanaan lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 2. & 13.

Hinc avitæ ſuperſtitionis merito redarguuntur Mahometani, qui Meccanum templum, Lapidem nigrum, montes Sapham & Maruam, loca nimirum idolis olim conſecrata, adhuc in honore habent, & formulam preca-

tionis

tionis uſurpant, qua Arabes idololatræ *Allah V' Acbar*, Deum & Maximam, ſolem ſcilicet & Lunam ſeu Venerem, invocabant: oves denique in meccana peregrinatione immolant, majorum morem ſervantes, qui idolis ſuis victimas offerebant, ea tantum progenitorum impietate rejecta, de qua Euſebius de laudibus Conſtantini Imperatoris: *Arabes etiam in ſingulos annos puerum exſacrificabant, quem ſubter aram ſepelivere.*

Scio recentiores Arabes ab idololatria quam longiſſime diſtare, locaque illa prorſus ab antiquis mente colere, & formulam precandi ad ſolum Deum maximum referre: *Acbar* enim juxta Grammaticam Arabicam æque *Maximum*, ac *Maximam* ſonat. atque adeo vel particulam conjunctionis ab iis verbis auferunt, ſic proferentes, *Allah Acbar*, Deus Maximus, quemadmodum illorum mentem interpretatur Ecchellenſis Par. 1. cap. 11. vel eam expoſitionis ergo appoſitam contendunt, adeoque *Allah V' Acbar, Deus & Maximus*, eodem ſenſu ab illis dictum volunt, quo in ſcripturis 1. Cor. 15. 24. Et Coloſſ. 3. 13. *Deus & Pater* ab Apoſtolo dicitur. Sed quum certum ſit priſcos Arabas falſorum numinum cultui addictos fuiſſe, ut ante dixi, id quoque ex iis, quæ apud recentiores reliqua videmus, idololatriæ veſtigiis efficitur, Mahometum novæ Saracenorum ſectæ conditorem vel non potuiſſe infixam animis illorum populorum ſuperſtitionem omnino convellere; vel ut illos ſibi conciliaret, quod unaquæque Arabum familia mordicus retinebat, ſive Chriſtianam, ſive Judaicam religionem, ſive etiam Ethnicorum ſuperſtitionem ſaperet, hoc gerendum, colendum, credendumque permiſiſſe.

## §. XXIII.

### *Reliquæ priſcorum Arabum Sectæ.*

Præter eos, qui idola, ut dixi, colebant, erant etiam inter Arabes qui Atheiſmum profiterentur: nonnulli Angelos: alii Genios ſeu Dæmones colebant. Iſmael Abulpheda ex Sciahareſtanio: *Arabes Giahelitæ*, (id eſt, ſeculi Ignorantiæ) *in plures ſectas diviſi erant: alii enim Creatorem Reſurrectionemque negabant: alii Creatorem quidem aſſerebant, non item Reſurrectionem: nonnulli idola colebant, & alii quidem Angelos adorabant, alii Genios.*

Quid Geniorum nomine Judæi Arabeſque intelligant, conſule Buxtorfium in Lexico Chaldaico in radice שעיר, *Sciud*, Marraecium in Prodromo ad Alcoranum Par. 2. cap. 4. & Herbelotium in Biblioth. Orient. pag. 735. Eorum nomine inſcribitur Sura ſeptuageſima ſecunda Alcorani, ubi tam Impoſtor ille, quam Mahometani expoſitores ex Thalmudiſtarum quiſquiliis multa de iis nugantur, quæ hic piget referre.

## §. XXIV.

### *Arabum inſtituta ante Mahometiſmum.*

De priorum Arabum ſcientiis, ſtudiis, moribus & inſtitutis, fuſe diſſerit Ecchellenſis in ſupplemento hiſtoriæ Orientalis Par. 1. Paucis omnia complectitur Iſmael Abulpheda in hæc verba: *Scientiæ eorum erant Genealogia, Aſtrologia, Chronologia, & ſomniorum interpretatio. Quædam præterea inſtituta habebant Giahelitæ, quæ Lex Mahometana probavit: matrimonia enim cum matribus & filiabus nequaquam contrahebant, omniumque turpiſſimum ducebant duabus ſororibus copulari: probro quoque habebant, ſi quis uxorem patris ſui duxiſſet, eum-*

*que Cotrob, hoceſt, Catellum ſeu dæmonium, vocabant. Abluebant ſe ab immunditia: uſurpabant gargarizationem, ſeu oris ac palati collutionem: Narium, aqua immiſſa, purgationem: capillorum capitis diſcriminationem: dentium confricationem: mundationem ab excrementis corporis: unguium præſectionem: pilorum auxillarum evulſionem: pubis raſuram: & circumciſionem*. Hactenus Abulpheda. Quæ omnia Mahometani hodieque in more habent. Vide Marraccium in Prodomo Par. 4. cap. 3. & 4.

Et quidem omni ſcientiarum genere priſcos Arabes, maxime Sabæos, ac Themanæos, inſtructos fuiſſe, planum fit ex Scripturis. Dialogus enim Jobi cum Eliphaz Themanita, cum Baldad Suhita, cum Sophar Naamathita, cumque Eliu Buzita, profundam ejus genris ſapientiam demonſtrat. Quumque litteræ apud Hebræos, Chaldæos, Ægyptios una cum imperio florerent, eaſdem in Arabia viguiſſe colligitur tum ex libro Regum, ubi Regina Saba dicitur Salomonem adiiſſe eumque in ænigmatibus tentaſſe; tum ex libro Baruch, in quo hæc de Themanæis & Hagarenis. *Non eſt audita* ( vera Dei Sapientia ) *in terra Chanaan, neque viſa eſt in Theman. Filii quoque Hagar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores Merrhæ & Theman, & fabulatores & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ: Viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas ejus*. Nimirum qui doctrinas hujus ſeculi, inſtar Græcorum Philoſophorum, callebant, ii quæ ad veram Dei ſapientiam pertinent ignorabant.

Eoſdem augurandi facultate præſtitiſſe, teſtes locupletes Cicero & Euſebius docent. Cicero de Divinatione lib. 1. *Phryges autem, & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio, avium ſignificationibus plurimum obtemperant*. Et infra. *Arabes autem, & Phryges, & Silices, quod paſtu pecudum maxime utuntur, campos & montes hyeme & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus avium & volatus notaverunt*. Euſebius in Hieroclem; *Ex cycnis Arabes avibuſque cæteris divinationem, ut ex oraculis, colligunt, brutorumque callere ſenſa exiſtimantur, hepar draconum, ſive ut alii putant, cor ipſum depaſti*. Divinandi apud ipſos genera & nomina deſcribit Ecchellenſis cap. 21.

De ablutionibus Arabum hæc Herodotus lib. 1. *Sub diluculum etiam abluuntur ambo* ( Vir ſcilicet & Uxor: ) *nullum quippe vas prius quam ſe abluerint, tangent. Eadem hæc & Arabes faciunt*, quæ nimirum & Babylonii.

Idem Herodotus lib. 3, de more fœderis apud eos ineundi, deque capitis tonſura, deorumque cultu; *Servant autem fidem Arabes inter homines ut qui maxime, quam hunc in modum paciſcuntur. Quoties fœdus inire volunt, alius vir medius inter utroſque ſtant, acuto lapide ſecat volam juxta majores digitos eorum qui fœdus ineunt. Deinde ſumpto floco ex utriuſque veſtimento, inungit eo ſanguine ſeptem lapides in medio poſitos, inter inungendum invocans Bacchum & Uraniam. Hoc per iſtum acto, is qui facit fœdus, amicis vadatur hoſpitem, aut etiam civem, ſi cum cive res agitur. Amici vero & ipſi fidem colere juſtum cenſent. Bacchum unum Deum & Uraniam eſſe arbitrantur. Et capillorum tonſuram tonderi dicunt, quemadmodum Bacchum ipſum tonſum fuiſſe: tondentur autem in rotundum tempora ſubradentes. Appellant vero Bacchum quidem Urotalt, Uraniam, Alilat*.

Ab Iſmaele illorum parente, & Abrahamo Patriarcha hujus patre circumciſionem edocti videntur, de qua Joſephus Antiquit. lib. 1. cap. 13. *Arabes vero poſt decimum tertium annum id faciunt*, nimirum circumciduntur.

Suilla Arabes ex Mahumeti præcepto ad Judæorum imitationem abſtinere vulgo perhibentur. Sed illos hunc morem ante Mahumetum habuiſſe conſtat. Solinus cap. 36. *Sunitæ in Caſſio monte tentoriis ſuccedunt cilicinis, Suilla abſtinentes*. Alexander lib. 2. cap. 21. *Sus autem ibi* ( hoc eſt, in Arabia ) *ne degere quidem poteſt*.

*De honeſtate Arabicarum mulierum, quod hodieque Mahumetanæ ſervant, hæc Tertullianus de velandis virginibus. Mulieres faciem totam ita tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint, dimidia luce frui malentes, quam totum faciem proſtituere.*

Strabo lib. 16. mores Arabum fuſe perſequitur; *Artes*, inquit, *ac ſtudia ab alio in alium non transferuntur, ſed quique in patriis permanent inſtitutis. Fratres honore filios antecedunt, quod natu grandiores ſunt. Qui ex eadem gente ſunt, regnant, et cæteros magiſtratus obeunt. Quæ poſſederunt, omnibus conſanguineis ſunt communia, ſed natu grandior dominus eſt. Una omnibus uxor eſt. Qui prior ingreditur, poſito ante januam baculo cum ea congreditur: nam in more habent, ut quiſque baculum geſtet: Ea tamen cum grandiore pernoctat: quapropter omnes omnium ſunt fratres. Coeunt etiam cum matribus. Adulterio ſupplicium eſt mors: is autem adulter cenſetur, qui ex alio genere eſt.* Eadem fere de adulterio Euſebius de Præpar. Evangel. lib. 6. *Apud Arabes adulteræ omnes interimuntur, et ſuſpectæ ſolummodo puniuntur.* Hoc autem quod Strabo de communi uxorum uſu, deque coitu cum matribus affirmat, recte ab Ecchellenſi confutatur Par. 1. cap. 5. Suſpicor eum, qui Magorum Perſarumque quorumdam mos fuit, a Strabone ad Arabes oſcitanter traductum. Pergit Strabo: *Nabatæi quidem continentes ſunt, et rei parandæ atque conſervandæ intenti: quare qui opes ſuas imminuit, publice mulctatur: qui auget, honore afficitur. Quia pauci apud eos ſerviunt, frequentius conſanguinei miniſtrant, vel alter alteri, vel quiſque ſibi, ut etiam ad Reges hic mos perveniat. Conviviis adhibent tredecim homines: cuique convivio bini adſunt, qui muſicam exercent. Rex apparatu maximo multa continue convivia celebrat. Nemo ſupra undecim pocula exhaurit: alio atque alio aureo poculo id fit. Adeo Rex popularis eſt, ut ad id, quod ipſe ſibi miniſtrat, etiam alios miniſtret: Sæpe etiam apud populum cauſam dicit: nonnumquam in ejus vitam inquiritur.* Et paucis interjectis. *Mortua corpora haud majoris quam ſtercus putant, quapropter Reges etiam in ſterquiliniis defodiuntur. Solem colunt, ara ſuper domum excitata, & quotidie in ea libant ac thus adolent.* Idem ſupra de quatuor præfecturis, ſeu regnis Arabiæ felicis, ( Minæorum, ſcilicet, Sabæorum, Catabanorum, & Chatramotitarum, ) hæc ſcribit: *Succedit apud eos in regno non filius patri, ſed qui primus e nobili genere poſt conſtitutum regem naſcitur. Nam ſimul atque rex creatus eſt, omnes nobilium virorum uxores prægnantes conſcribuntur, & cuſtodes apponuntur, qui obſervent quæ prima peperit. Ejus filius legis juſſu aſſumitur, & ad regni ſucceſſionem regaliter educatur.*

Negotiationi Arabes in primis addictos fuiſſe liquet tum ex Sacris, tum ex profanis auctoribus. Iſmaelitæ & Madianitæ negotiatores venditum a fratribus Joſephum in Ægyptum adduxere *cum Camelis portantibus aromata & reſinam & ſtacten*, Geneſ. 37. *Claſſis Salomonis per mare Arabicum cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias & pavos*, III. Reg. 10. & II. Paralip. 9. nimirum ex portu Aſiongaber, vel Elanis tum Arabicæ, tum Indicæ Æthiopicæque merces in Palæſtinam afferebantur: quod negotiationis genus reliqui Judæorum reges poſt Salomonem coluere, portu illo nunc Syris Regibus, nunc Idumæis erepto, quemadmodum de Joſaphat rege legimus III. Reg. 22. *Rex vero Joſaphat fecerat Claſſes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: et ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſiongaber. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Joſaphat: Vadant ſervi mei cum ſervis tuis in navibus. Et noluit Joſaphat.* Adeo Claſſem in mari Arabico Reges Juda curabant, ut neque Iſraelitas, neque Syros alioſve Reges negotiationis participes habere vellent. Ozias Amaſiæ filius ſtatim atque ad regnum Hieroſolymæ evectus eſt, *ædificavit*

*Ailath*, *& reſtituit eam ditioni Juda*, IV. Reg. 14. & II. Paralip. 26. Nam Idumæi poſt Joſaphati obitum Judæos fortaſſe inde ejecerant, quemadmodum Syri Damaſcenorum Reges id poſtea præſtitere, ut legitur IV. Reg. 16. *In tempore illo*, quo Aehaz Judæis imperabat, *reſtituit Raſin rex Syriæ*, *Ailam Syriæ*, *& ejecit Judeos de Aila*, *& Idumæi venerunt in Ailam*, *& habitaverunt ibi uſque ad diem hanc*. Atque hæc de Sinu Arabico. Nec minor Arabum negotiatio in Sinu Perſico, & in Oceano Indico, de qua Ezechiel cap. 27. de Tyro Regum Phœniciæ ſede loquens: *Filii Dedan negotiatores tui: inſulæ multæ negotiatio manus tuę: dentes eburneos*, *& hebenninos commutaverunt in pretio tuo*. Et infra: *Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum. Arabia et univerſi principes Cedar*, *ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis & arietibus*, *& hædis venerunt ad te negotiatores tui*. *Venditores Saba*, *& Reema*, *ipſi negotiatores tui: cum univerſis primis aromatibus*, *& lapide pretioſo*, *et auro quod propoſuerunt in mercatu tuo*. *Haran*, *et Chene*, *& Eden negotiatores tui*. *Saba*, *Aſſur*, *et Chelmad venditores tui*. Quum enim Arabes utroque mari ad mercatutam aptiſſimo uterentur, per Arabicum quidem ad Phœnices, Palæſtinos atque Ægyptios merces deferebant; per Sinum autem Perſicum ad Aſſyrios & Babylonios. Utriuſque maris emporia, ex Ptolemæo, Plinio ac Strabone ſupra deſcripſi. Et Strabo quidem de maritima Arabum negotiatione hæc ſcribit. *Catabania thus gignit & myrrham: hanc etiam Chatramotitica: & tum hæc*, *tum alia aromata mercatoribus permutatione dantur*, *qui ad eos ex Ælanis Minæam veniunt in diebus ſeptuaginta*. Et infra. *Ex Albo pago in Petram*, *ex Petra Rhinocolura*, *quæ in ipſa Phœnicia eſt apud Ægyptum*, *merces ſolebant portari*, *atque hinc in alia loca*. *Nunc pars maxima per Nilum Alexandriam vehitur*. *Arabicæ & Indicæ merces in Muris portum*, *poſtea Camelis Coptum Thebaicam transferuntur: inde Alexandriam per Nili foſſam*. De terreſtri vero: *Gerræi negotiatione fere terreſtri tractant Arabum merces & aromata*. Et infra: *Plebis Sabæorum pars agros colit*, *pars aromata mercatur & indigena & Æthiopica*. *Hi atque Gerræi ditiſſimi ſunt ex mercatura*. De Minæis Plinius. *Hi primi commercium thuris fecere*, *maximeque exercent*, *a quibus & Minæum dictum*. *Evehi non poteſt*, *niſi per Gebanitas: & horum regi penditur vectigal*. Quas denique Homeritæ, Iſmaelitæ, aliique Arabum populi, vel paulo ante Mahumeti ætatem exercuere, vel uſque in præſentem diem exercent cum Ægyptiis, cum Syris, cum Babyloniis, cum Perſis, cumque Indis atque Æthiopibus negotiationes, ex recentiorum auctorum commentariis repeti poſſunt.

## §. XXV.

### *De priſcis Arabum regibus.*

### *Sub Imperio Aſſyriorum*, *Medorum*, *Perſarum*, *& Græcorum*.

Ecchellenſis in Supplemento hiſtoriæ orientalis Par. 2. ex Mahometanorum Scriptorum fide *de Regibus Arabiæ felicis*, *de Hira ſive Arabiæ maritimæ Regibus*, *de Regibus Gaſſan*, *& de Regibus Al-Hagiazi ſive Giarham* nonnulla adnotavit. Certiora nobis documenta de Regno Arabum ſuppetunt tum ex Scripturis Sacris, tum ex Græcis auctoribus.

Quum Chaldæorum imperium initio a Nemrod ducto per annos 225. floruiſſet, Africano, Euſebio ac Georgio Syncello teſtibus, Arabicum ſucceſſit, quod per annos 215. ſex reges tenuere; primus nimirum *Mardocentes*, anonymus alter, tertius *Siſimardachus*, quartus *Nabius*, quintus *Paranmis*, ſextus *Nabonabus*. Eodem fere tempore Hyſci (quod lingua Ægypriaca Reges Paſtores ſonat) ex vicina Arabia irrumpentes, Memphim ceperunt, totaque Ægypto inferiori potiti ſunt, donec Thetmoſis ſive Amoſis, rex

Ægypri ſuperioris, illos inde ejectos, in Phœniciam migrare compulit, ubi ſedem ſibi elegerunt.

Arabas exceperunt in imperio Aſſyrii Reges, quorum primus Belus fuit, ſecundus Ninus, tertia Semiramis, & ultimus Thonus, dictus Concolerus, Græce Sardanapalus. Eorum remporibus Arabia ſui juris fuit, etſi partium ſtudio ducti Reges nunc Aſſyriis, nunc Ægyptiis faverunt. Et Ægypriis quidem ſub Seſoſtri tertio Dynaſtiæ duodecimæ rege: hic enim, ut ex Manethone refert Syncellus, *novem annorum ſpatio totam Aſiam ſubjugavit, cunctaſque Thraciam uſque regiones*: atque adeo Arabiam ipſam, quemadmodum ſcribit Strabo lib. 16. *Is primus videtur Æthiopiam Troglodyticamque ſubegiſſe, poſtea in Arabiam tranſgreſſus, inde Aſiam omnem peragraſſe: quapropter multis in locis Seſoſtris vallum appellatur, & Ægyptiorum deorum templa inveniuntur ab eo conſtructa*. Aſſyriorum vero regum amicus fuit Ariæus, Arabum rex, qui, Diodoro teſte lib. 3. cap. 1. victoriarum Nini pars magna fuit, ejus in omnibus bellis ſocius & director. Arioch etiam, qui in Hebræo fonte Gen. 14. Rex *Ellaſar* dicitur, in Syriaca verſione Rex *Aalaſar*, juxta Paraphraſtem Jonatham Rex *Thalaſar*, Latine rex *Ponti*, Arabice rex *Sarian*, fœdus iniit cum Codorlahomor rege Elamitarum, cum Amraphel rege Sennaar, hoc eſt Babyloniorum, cumque Thadal rege Gentium, contra reges Sodomæ, Gomorræ, Adamæ, Seboim, & Balæ: & is quidem Arabs fuit, Eliſarorum in Arabia populorum, qui Ptolemæo memorantur, rex, quidquid in contrarium Calmetus aliique Interpretes ſentiant, quibus *Thalaſſar ſive Ellaſar* regio eſt trans Euphratem haud procul ab Armenia: nam Iſaiæ verba cap. 37. verſ. 12. de filiis Eden, qui regionem Thalaſſar incolebant, adeo non evincunt Ariochum juxta Armeniam regnaſſe, ut potius illum Arabem fuiſſe demonſtrant, Eden quippe Arabiæ urbs fuit, ut ſupra oſtenſum eſt. Quid? quod populi, regioneſque, in quas Ariochus cum ſociis regibus invaſit, ad Arabiam Petræam ſpectant, Horræi, ſcilicet, Riphæi, Emi, & Zuzi, qui habitabant in Carna, & Cariatha, necnon in montibus Seir uſque ad Pharan, & in Engaddi, quæ alias Haſaſon-Thamar. Ex quo planum fit, Ariochum Arabiæ regem Babylonios Elamitaſque ſive Perſas ſocios & amicos ad debellandam Arabiæ Petrææ regionem, finitimaſque Palæſtinæ urbes, deduxiſſe. Itaque Babyloniorum Perſarumque rebus ſtuduit magis quam ſubfuit: externis enim armis invicta ſemper fuit Arabia, quemadmodum ex ſequentibus patebit.

Dum Aſſyriacum ſtaret imperium, Arabici regni, præter ea quæ modo de Ariocho notata ſunt, frequens in Scripturis Sacris fit mentio. Iſmael Arabum advenatum pater, duodecim filios habuit, eoſdemque duces, ſeu Phylarchos, hoc eſt, *principes tribuum ſuarum*, quemadmodum Geneſ. 25. 16. vocantur. Eſau ſive Edom, alter Arabum pater, cum Iſmaelitis & Horræis fœdere inito, eos Duces genuit, qui Gen. 36. recenſentur: Videlicet, duces filii Eliphaz primogeniti Eſau, *Dux Theman*, *Dux Omar*, *Dux Sepho*, *Dux Cenez*, *Dux Core*, *Dux Gaatham*, *Dux Amalec*, qui imperarunt in terra Edom. Item duces filii Raguel filii Eſau qui ibidem imperarunt, *dux Nahat*, *dux Zarach*, *dux Samma*, *dux Meza*. Demum duces filii Oolibamæ uxoris Eſau, *dux Jehus*, *dux Jahalam*, *dux Core*. Univerſim Phylarchi quatuordecim Idumæorum, qui totidem tribubus præfuere. Sui quoque Phylarchi filiis Seir Horræi fuerant, qui in terra Seir ſeu Edom imperarunt, videlicet, *dux Lotan*, *dux Sobal*, *dux Sebeon*, *dux Ana*, *dux Diſon*, *dux Eſer*, *dux Diſan*. Idumæorum ducibus Reges ſucceſſerunt, iidemque Regibus Hebræorum antiquiores, quorum nomina, urbeſque, ubi regnarunt, Geneſ. 36. & I. Paralip. 1. memorantur: videlicet *Bale filius Beor in Be-*

*naba: Jobab filius Zarach in Boſra: Huſam in terra Themanorum: Hadad filius Badad in Avith, qui Madianitas in agro Moab percuſſit: Samla in Maſreca: Saul in Rechoboth quæ juxta amnem eſt: Baal-Hanan filius Achobor: & Hadad in Phau.* Hadado autem mortuo, *Duces pro Regibus in Edom eſſe cœperunt*, ut 1. Paral. 1. verſ. 51. dicitur: *Dux* ſcilicet *Thamna*, *Dux Alva*, *Dux Jetheth*, *Dux Oolibama*, *Dux Ela*, *Dux Phinon*, *Dux Cenez*, *Dux Theman*, *Dux Mabſar*, *Dux Magdiel*, *Dux Hiram*.

Poſtquam autem Hebræi ex Ægypto Moſe duce profecti, & in Palæſtinam a Joſue introducti, ſuos Judices vel Reges habere cœpiſſent, cum finitimis Arabiæ Deſertæ vel Petrææ populis multa prælia fortuna alternante commiſerunt. Præ reliquis Idumæi, Moabitæ, Madianitæ, Ammonitæ, & Amalecitæ frequenter in Scripturis nominantur. Rex Idumæorum a Moſe rogatus, ut Iſraelitis per terras ſuas tranſitum permitteret, noluit acquieſcere, ſed infinitam multitudinem illis oppoſuit, qui per fines Amorrhæorum & Ammonitarum tranſire coacti ſunt, *Num.* 20. & 21. Mitius cum illis agere decreverunt Moabitæ & Madianitæ; ſed quod eos ad fornicationem induxiſſent, Dei juſſu omnes, puellis exceptis, cæſi fuere, quorum Reges dicuntur, Balac Moabitarum; & Evi, Recem, Sur, Hur, & Rebe, Madianitarum: *Numer.* 21. & 31. Eglon rex Moab cum filiis Ammon & Amalec ſubjecerunt Iſraelitas annis duodeviginti, donec Dux Aod eos in libertatem aſſeruit, *Judic.* 3. Oreb, Zeb, Zebee, & Salmana Madianitarum reges cum Amalecitis aliiſque Orientalibus, necnon Ammonitæ cum Philiſtæis, Hebræos in ſervitutem redegerunt, a quâ ducibus Gedeone & Jephte liberati ſunt, *Judic.* 6. & 10. Saul primus Hebræorum rex, Naaſum Ammonitarum, & Agagum Amalecitarum reges vicit. David Saulis ſucceſſor Moabitas, Ammonitas, Amalecitas, & Idumæos toto regni ſui tempore ſubegit, 1. *Reg.* 11. & 15. 2. *Reg.* 8. Naaſo patri filius Hanon in regno Ammonitarum ſucceſſit, 2. *Reg.* 10. Adadus Idumæus, qui Davidis tempore necem evaſerat, poſt Salomonis obitum, ex Ægypto, quo profugerat, in patriam regreſſus, Syriæ ſimul & Idumææ regnum obtinuit, 3. *Reg.* 11. Meſa rex Moab Joramo Iſraelitarum regi tributum agnorum centum millium, totidemque arietum cum velleribus ſolvebat: Arabes quoque, nimirum Idumæi, Joſaphato Hieroſolymæ regi adducebant pecora, arietum ſeptem millia ſeptingenta, & hircorum totidem, 4. *Reg.* 3. & 2. *Paralip.* 17. ſed quum fœdus rupiſſent, & in Joſaphatum conjuncta cum Ammonitis opera inſurrexiſſent, Deo vindice mutuis cladibus attriti ſunt. 2. *Paralip.* 20. mortuo tamen Joſaphato Idumæi viribus reſumptis, regem ſibi conſtituerunt, nec amplius Judæis regibus ſubfuere, 4. *Reg.* 8. & 2. *Paralip.* 21. nec Idumæi tantum, ſed etiam Ammonitæ & Moabitæ: Arabes quoque, qui confines ſunt Æthiopibus, hoc eſt, Chuſæis ad mare Arabicum inter Idumæos & Ægyptios habitantibus: quin & Chuſæi iſti, quorum reges Zara adverſus Aſam, & Tharacha adverſus Ezechiam innumerabiles copias eduxere, 4. *Reg.* 19. & 2. *Paralip.* 14. & 21. Hinc continuum inter Judæos, illoſque populos bellum. Amaſias, Ozias, & Joathamus Ammonitas Idumæoſque ſubegerunt; contra Idumæi ſub Achaz in Judæam irrumpentes, prædam magnam ceperunt, & a Raſin rege Syriæ adjuti, ejectis de Aila Judæis, nobile illud maris Arabici emporium occuparunt 4. *Reg.* 14. & 16. *II. Paralip.* 26. 27. & 28.

Everſo per Arbacem Medum & Beleſum Babylonium Aſſyriorum imperio, ille Medorum, hic Babyloniorum ſeu Chaldæorum regnum inſtituit. Medis poſt Arbacem imperarunt Dejoces, Phraortes, Cyaxares, Aſtyages, alias Aſſuerus, & Darius Medus, alias Cyaxares, quo mortuo Cyrus nepos tria regna

Perſarum, Medorum, & Chaldæorum in unum conflavit. Babyloniis, & Aſſyriis poſt Beleſum, qui & Baladan ſive Nabonaſſar dicitur, reges præfuere Teglarphalaſſar qui & Ninus junior, Salmanaſſar, Sennacheribus, Aſſaradon, Saosduchin, Chinaladan ſeu Sarac, Nabopalaſſar, Nabuchodonoſor, Evilmerodach, Balthaſſar qui & Nerigliſſor, Laboroſardoch, & Nabonides ſeu Nabannidoch. Hunc Cyrus capta Babylonia dejecit, ac tria imperia Aſsyriæ, Chaldææ & Mediæ cum Perſico conjunxit. *Megaſthenes apud Euſeb. de Præparat. Evangel. lib. 9. cap. 41. & Beroſus apud Joſephum lib. 1. contra Appionem*. Babyloniis vero Aſſyriiſque Arabes ſubditos fuiſſe argumento eſt Sennacheribus Arabum regis titulo decoratus. Quum Joakim rex Juda a Nabuchodonoſore, cui per triennium ſervierat, defeciſſet, ejus juſſu invaſere in Judæam turmæ Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Amonitarum, 4. *Reg.* 24. Nabuchodonoſor enim ſive amicos ſive tributarios habuit quotquot Arabiam deſertam atque Petræam habitabant. Nabonides Aſſyriorum rex, in quem Cyaxares Medus & Cyrus Perſa expeditionem ſuſcepere, ( quemadmodum Xenophon in Cyro lib. 1. cap. 5. ſcribit, ) *quum Syros univerſos, non exiguam ſane nationem, ſubegiſſet, Arabum regem imperio ſuo ſubjeciſſet, Hyrcanios ſubditos haberet, Bactrios oppugnaret ; futurum exiſtimabat, ut ſi Medorum vires debilitaſſet, facile finitimis omnibus imperaret*. Et illius quidem partes contra Medos Perſaſque ſequuti ſunt reges ſocii Lydorum, Arabum, & Ægyptiorum, præter innumeram multitudinem Thracum, Cypriorum, Cilicum, Phrygum utrorumque, Lycaonum, Paphlagonum, Cappadocum, Phœnicum, Jonum, Æolenſium, propeque Græcorum omnium Aſiam incolentium, eodem Xenophonte teſte lib. 6. cap. 2. Sed quum victis Aſſyriis fugam cepiſſent, *Cappadocum Regem, & Arabum, qui prope adhuc erant, & abſque loricis reſiſtebant, Hyrcanii trucidarunt : itidem qui interfecti ſunt maxima ex parte Aſſyrii & Arabes fuere*, ut idem Xenophon lib. 4. cap. 2. narrat. Erat vero Arabum rex Maragdus, qui ad pugnam eduxerat equites ad decies mille, currus centum, funditorum ingentem quamdam copiam, Xenoph. lib. 2. cap. 1.

Cyrus, qui Perſicum imperium, ut ſupra dixi, inſtituit, *exigua cum Perſarum manu domo profectus, Medis quidem Hyrcaniiſque non invitis imperavit : Syros vero, Aſſirios, Arabes, Cappadoces, Phrygas utroſque, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios ſubegit : atque etiam Bactrios, Indos, Cilices, Saces item, Paphlagonas, Megadinos, gentes alias complures, quarum ne nomina quidem referre quis poſſit, in ditione habuit : idem Græcos incolentes Aſiam, & Cyprios, & Ægyptios, ad mare quum deſcendiſſet, ſuam in poteſtatem redegit*, ut Xenophon lib. 1. cap. 1. teſtatur, qui lib. 8. cap. 8. fines imperii ejus deſcribit in hæc verba : *Terminis incluſum fuit, ad orientem, mari Rubro : ad Septentriones, Ponto Euxino : ad occaſum, Cypro & Ægypto : ad meridiem, Æthiopia*. adeoque Arabia in poteſtate Cyri fuit.

Cambyſes, qui Cyro ſucceſſit, Ægyptum regno Perſico adjecit : *in eam autem regionem invaſurus, miſſis ad regem Arabum nunciis tutum iter precatus obtinuit, data acceptaque fide*, ut Herodotus refert lib. 3. pag. 8.

Darius Hyſtaſpis filius qui & Aſſuerus poſt Magos Cambyſis ſucceſſores declaratus eſt Perſarum rex : *eique omnes Aſiani audientes dicto fuerunt, præter Arabas, a Cyro & poſtea rurſus a Cambyſe ſubacti : Arabes vero a Perſis numquam in ſervitutem redacti ſunt, ſed hoſpites exſtiterunt, tranſmittentes Cambyſem in Ægyptum : quippe quibus invitis haudquaquam invaſiſſent Perſæ Ægyptum*, Herodotus lib. 3. pag. 88. Etſi autem Arabes tributorum eſſent immunes, a Cyri tamen uſque temporibus afferebant mille quotannis talenta thuris Regi Perſarum, *Idem Herodotus lib. 3. pag. 97.* quod & Plinius

natur. hiſtor. lib. 17. notat his verbis : *mille talenta thuris Arabes penſitabant regibus Perſarum.*

In Xerxis exercitu, qui Darium excepit, Arabum Æthiopumque qui ſuper Ægyptum incolunt, dux erat Arſames Darii filius & Artyſtonæ Cyri filiæ; Arabes vero ſuccincti erant Ziras, arcuſque recurvos, habiles & longos geſtabant, eo quo pedites ornari cultu; ſed cuncti agitabant camelos nihilo inferiores equis pernicitate, Herodot. lib. 7. pag. 69. & 86.

Xerſe vita functo, Artaxerſes regnavit. Ejus temporibus Goſſem Arabs cum Sanaballat, Tobia, Ammanitis & Azotiis, ne Hebræi ſanctam civitatem reædificarent, totis viribus conatus eſt impedire, 2. *Eſdra* 4.

Dario Condomano per Alexandrum magnum devicto, Græcorum imperium Perſico ſucceſſit. Et quidem unum ex iis, quæ Alexander moliebatur Strabone teſte lib. 16. erat, Arabiam occupare, eamque regiam efficere, poſtquam ex India rediiſſet, vel ſua ſponte recipientibus Arabibus, vel bello coactis. Itaque, ſive quod illi ante Tyrum triginta ex operariis trucidaſſent, ſive quod legatos ſoli ex omnibus ad ſe non miſiſſent, ſive quod victa, quæ hactenus victorem non viderat, Arabia, divinos ſibi honores promitteret, animum & militem ad eam ſubigendam adjecerat: ſed omnia ejus conſilia mors ſubito accidens irrita fecit. Poſt ejus tamen mortem Ptolemæus Ægypti Rex Arabiam ſibi adjunxit, quemadmodum conſtat ex Adulitano Lapide apud Coſmam Indicopleuſten lib. 2. pag. 141. ubi quum gentes regioneſque quas debellaverat, enumeraſſet, Ciliciam nempe, Pamphyliam, Joniam, Helleſpontum, Thraciam, Syriam, Meſopotamiam, Babyloniam, Suſianam, Perſidem, Mediam, Bactrianam, Æthiopiam, & Barbariam, de Arabia hæc ſubjungit: *Sed etiam miſſo exercitu nautico & pedeſtri trans mare Rubrum, Arabitas & Cinædocolpitas ſubegi, eorumque Reges tributa pendere, pacata itinera, & maria ſervare juſſi: Gentes item a Vico Albo uſque ad Sabæorum regionem debellavi:* quæ nimitum in partibus Blemmyum & Homeritarum habitabant, ut exponit idem Coſmas, hoc eſt, totam Arabiam Felicem vectigalem Ptolemæus reddidit.

## §. XXVI.

### *De Regibus Arabum Palmyrenis atque Edeſſenis.*

Quum Syria per Antiochos, & Ægyptus per Ptolemæos reges mutuis bellis implicitæ eſſent, animus Arabibus accrevit, quorum rex Hierotimus diviſis exercitibus nunc Ægyptum, nunc Syriam infeſtabat, magnumque Arabum nomen, gentis antea imbellis effecit, *ex Juſtino lib. 29. in fine:* etenim ne terra quidem valde bellicoſi erant Arabes (caupones potius ac mercatores) nedum mari, ut inquit Strabo lib. 16. pag. 601.

Sæpe tamen in Syriam, in Judæam, in Meſopotamiam, in Palmyrenen excurrerunt Nabatæi, Idumæi, uno verbo Arabes Petræ atque Deſertæ. Et quidem Judæam Syriamque quod ſpectat, antequam Romani eis potirentur, Arabum rex claruit *Arethas* in Petræa, qui quum Antiochum Seleucidarum ultimum bello viciſſet, Cœleſyriam & Damaſcum occupavit, multaque Pompeii temporibus præclare geſſit, Ariſtobulo, Hircano, & Herode de regno Judææ altercantibus. Præterea *Malichus*, aliis Jamblichus; *Obeidas* rex Nabatæorum; *Sabus* rex Aratenæ; & *Ilaſarus* rex Rhamanitarum: quorum temporibus Ælium Gallum Auguſtus Cæſar in Arabiam miſit, ut eas gentes & loca pertentaret, eo utique conſilio, ut vel

eos populos ſibi volentes conciliaret, vel ſubigeret adverſantes. Parapotamiæ quoque & Chalcidicæ reguli Arabes, de quibus Srrabo lib. 16. pag. 872. *Apamienſium regioni ad auroram finitima eſt Regulorum ditio Arabum, quæ Parapotamia dicitur et Chalcidica, a Marſia deſcendens .·. nam quo Syris magis magiſque appropinquant, eo mitiores ſunt, et minus Arabes et Scenitæ, ac melius conſtitutas habent dominationes, ut eſt Sampſiceramí Arethuſa, et quæ Gambari ( Amri ) eſt, et Themella, et aliæ hujuſmodi.*

Quod vero ad Palmyrenen, Meſopotamiamque ſpectar, non minus celebres fuere Palmyræ, quam Edeſsæ reges, quibus Arabes quoque paruerunt. Odenatns ejuſque uxor Zenobia non Palmyram tantum, ſed & Meſopotamiam aliaſque circum regiones tenuere, Perſicum ipſum Romanumque imperium invadentes. Edeſſeni Toparchæ ( quorum regnum centum ac viginti novem annis antequam Chriſtus naſceretur inchoatum eſt, deſiitque poſt natum Chriſtum anno ducenteſimo decimoſeptimo, ) Regibus Syriæ ſubdiri fuerunt, donec Regnum illud ſub Seleucidis ſterit: quo deleto & in Provinciæ formam per Romanos redacto, modo Romanis, modo Parthis, ſive Perſis qui Parthicum Imperium occuparunt, fœderati erant: Eorum ſeries hæc eſt. *Oſrhoes* qui urbi nomen dedit. *Abdo* Mazuri f. *Paradeſtes* Gabatæi. *Bacrus* Paradeſtæ. *Bacrus* Bacri. *Maanus*, ſub quo Regnum Seleucidarum defecit. *Abgarus* magnus, cognomenro *Mutus Abgarus Abgari*, de quo Dio lib. 40. *Abgarus hic Romanis ante fœdere junctus ſub Pompeio, Parthorum partes tum potiores habuit*, quum ſcilicet Craſſi cædes accidit anno Urbis conditæ 701. ante Chriſtum 53. *Maanus*, cognomento *Divus*. *Pacorus* regis Parthorum filius, qui Syriam & Judæam invadens, Hyrcanum atque Phaſaelum Herodis fratrem captivos duxit; a Ventidio autem anno ante Chriſtum 38. occiſus eſt. *Abgarus* Pacori ſucceſſor. *Abgarus*, cognomento *Sumaka*, ideſt, Rufus. *Abgarus*, cognomenro *Saphelolus*. *Maanus* Maani. *Abgarus Vehama*, ideſt, Niger, qui ad Chriſtum Dominum epiſtolam ſcripſit Euſebio lib. 1. cap. 13. relatam; eum vero Tacitus lib. 12. ſub Claudio Arabibus regnaſſe teſtatur, accuſatque, quod Meherdatem Parthorum regem multos per dies apud Edeſſam lauto convivio attriverit, mox cum hoſtibus congreſſurum turpiter deſeruerit. *Maanus* Abgari filius chriſtianam religionem non ſecus atque pater, coluit. *Maanus* Abgari filius, Maani, frater. *Abgarus* Maani filius, quem Cedrenus Tom. 1. pag. 177. affirmat abjecta pietate, ad ſimulacrorum cultum deſciviſſe. *Abgarus* Ajazetæ filius, qui anno Chriſti 89. mauſolæum ædificavit. *Parnataſpates*, aliis Parramaſpates, poſt duos interregni annos, bini hujus nominis reges, Parthis ſimul & Edeſſenis imperarunt Trajani temporibus. *Maanus* Ajazetæ filius, qui & Abgarus Dioni lib. 68. Trajano Antiochiæ degenti. munera & legatos cum mandatis ab amicitia non alienis miſit: is enim Trajanum pariter & Parthos metuens, utrique parti ſtudebat; ſed quum poſtea a Romanis ad Parthos defeciſſet, ejus urbem Trajanus per Lucium diripi juſſit circa annum Chriſti 112. *Maanus* Maani filius qui & Abgarus, ab Antonino Pio anno Chriſti 138. Romam evocatus, teſte Julio Capitolino. *Vales* Sahari filius. *Maanus*, qui ſupra, poſtquam biennio Romæ verſatus fuiſſet, regnum recuperavit. *Abgarus* Maani filius, ſub quo Bardeſanes claruit, teſte S. Epiphanio hæres. 56. *Abgarus*, cognomento Severus. *Maanus* Abgari filius. *Abgarus* Maani filius Edeſſenorum regum poſtremus, ſub quo contigit ſubmerſio Edeſſæ anno Chriſti 202. Hic ad Severum Imperatorem transfugit, Herodiano teſte, traditiſque obſidio liberis, fidem ſuam auctoravit, ſagittariorumque vim maximam miſit auxilio: ab eodem Severo Romam maxima pompa perductus eſt anno Chriſti 203.

A Caracalla demum anno Chriſti 217. comprehenſus & in vincula conjectus eſt, ut tradit Dion. lib. 77. & 79. Fuere & alii poſt hunc Edeſſenorum reges; ſed qui vix regium nomen meruerint: Romanis enim ſubjecti erant. Qui vero, ut ſupra dixi, Edeſſæ regnarunt, non Edeſſenorum modo reges dicti fuere, ſed etiam Arabum: Edeſſenus enim tractus, nobiliorque Meſopotamiæ pars, ac ea præſerrim, quæ ad auſtrum vergit, ab antiquis Scriptoribus, Plinio ſcilicet lib. 5. cap. 25. & lib. 6. cap. 26. Strabone lib. 16. pag. 514. ac Tacito lib. 12. cap. 12. *Arabia* appellabatur, ejuſdemque regionis incolæ *Arabes Scenitæ*, *Salmani*, *& Maſei*. Dio denique lib. 18. Maanum, qui ſub Trajano regnavit, *Arabiæ finitimæ Phylarchum ſeu Regem vocat*.

## §. XXVII.

*De Regibus Arabum Gaſſanitis et Lachemitis.*

Præter Edeſſenos reges, alii quoque Arabum Phylarchi claruere, partim Romanis, partim Perſis ſubjecti. Qui Romanis fœderati erant, ii *Gaſſanitæ* audiunt, hoc eſt, Arabes Petrææ ac Syriæ, de quibus Ecchellenſis hiſtor. Orient. Part. 2. cap. 3. & Herbelotius Bibl. Orient. pag. 360. Horum origo ex tribu Azaditarum ducitur, qui Cahalano patre nati, ex Jamana, ut ſupra dixi, in eum Syriæ locum venerunt, cui *Gaſſan* nomen erat, unde & ipſi *Gaſſanitæ* dicti. Fuere autem numero ſeptem ac triginta, regnaruntque ſexcentis circiter annis, quorum unus ſupra triginta ſunt qui ſequuntur. Primus omnium *Giaphna* filius Amri filii Thaalabæ, filii Amri, filii Maziehiæ, unde & ejus poſteri *Thaalabenſes* dicti. 2. *Amrus* Giaphnæ filius, qui plura juxta Damaſcum oppida ædificavit. 3. *Thaalaba* Amri filius. 4. *Arethas* filius Thaalabæ: cujus de nomine reliquis Gaſſanitis regibus titulus *Arethæ* adhæſit, quemadmodum Hirtenſes Phylarchi *Monderi* appellati ſunt, ut infra dicam. 5. *Gabala* Arethæ filius qui Arabice dicitur *Giabala*. 6. *Arethas* filius Gabalæ, qui in Balka ſedem fixit. 7. *Monderus* major, Arethæ filius. 8. *Naamanes* frater Monderi. 9. *Gabala* filius Arethæ. 10. *Ajahemus* frater Gabalæ. 11. *Amrus* frater Ajahemi. 12. *Giaphna* minor, filius Monderi majoris, qui Hirtam incendit. 13. *Naamanes* minor, filius Monderi. 14. *Naamanes* filius Amri. 15. *Gabala* filius Naamanis, qui bellum cum Mondero filio Amrilcaiſi & Maaſſamæ Hirtæ rege commiſit a temporibus Cavadis Perſarum regis. 16. *Naamanes* filius Ajahemi. 17. *Arethas* frater Naamanis. 18. *Naamanes* filius Arethæ, qui Roſaphæ Ciſternas a regibus Lachemitis deſtructas inſtauravit. 19. *Monderus* filius Naamanis. 20. *Amrus* Monderi frater. 21. *Hagiarus* item Monderi frater. 22. *Arethas* filius Hagiari. 23. *Gabala* filius Arethæ. 24. *Arethas*, filius Gabalæ; cujus meminit Procopius lib. 1. de Bello Perſico cap. 17. ubi eum narrat quamplurimis Arabum tribubus a Juſtiniano Auguſto præfectum fuiſſe, regiaque dignitate auctum, novo inter Romanos exemplo: & cap. 21. laudat *Kaiſum* hujus Arethæ nepotem, ad quem Nonnoſus ejuſdem Juſtiniani Imperatoris juſſu legationem ſuſcepit, cujus Summarium exhibet Photius in Bibliotheca Codice 3. Ejuſdem Arethæ fit mentio in hiſtoria Jacobitarum, Tom. 2. Bibl. noſtræ Orientalis pag. 64. & 325. ut qui Jacobi Baradæi fautor fuerit. 25. *Naamanes* filius Arethæ, cognomento *Abucarbus*. 26. *Ajahemus* filius Gabalæ, qui Thadomoram, hoc eſt, Palmyram tenuit. 27. *Monderus* frater Ajahemi, filius Gabalæ, qui in hiſtoria Jacobitarum, tom. 2. Bibl. Orient. pag. 331. *filius Arethæ* dicitur.

28. *Sciarachel* frater Mondeti. 29. *Amrus* ejuſdem frater. 30. *Gabala* filius Arethæ filii Gabalæ. 31. *Gabala* filius Ajahemi filii Gabalæ, poſtremus Gaſſanitarum rex, qui Omaro Chalipha Mahometicam ſuperſtitionem amplexus eſt, deinde mutata ſententia, ad Romanos confugit, Chriſtianam religionem profeſſus. Ex horum regum numero fuit *Arethas* ille Damaſci Dominus quo tempore Sanctus Paulus Apoſtolus Evangelium ibi annunciavit. Item *Mavia* Saracenorum regina, quæ Valente imperante circa annum Chriſti 373. inducias Romanos inter ac Saracenos ruptas non ante renovare voluit, quam gentis ſuæ Epiſcopus ordinaretur Moſes: *Zocomus* denique ejuſdem populi Phylarchus, qui una cum Subditis baptiſmum ſuſcepit, quemadmodum Theodoretus lib. 6. cap. 23. & Sozomenus lib. 6. cap. 38. narrant.

Atque hæc de Saracenis deque Scenitis qui juxta Arabicum Sinum & Palæſtinam Syriamque morabantur. Qui vero Meſopotamiam, Chaldæam & Perſicum mare attingebant, ii Perſis ut plurimum parebant, atque in urbe Hirta, quam Arabes Hirah vocant, Sedem habebant. Hirtæ regum ſeriem habes ex Ecchellenſi hiſtor. Arab. Part. 2. cap. 2. a pag. 284. Eos memorat & Herbelotius in Bibl. Orient. pag. 451. quos Regibus Perſarum ſubjectos fuiſſe obſervat. Hoc & Iſmael Abulpheda affirmat, a quo *Lachemitæ*, & *Monderæi* dicuntur, quod ſcilicet eorum ſinguli prænomen Monderi ſeu Alamundari ferrent, & a Lachemo filio Amri filii Sabæ originem ducerent. Ii porro in Azaditarum locum, qui antea in ea Babyloniæ & Arabiæ parte regnaverant, ſucceſſere. Nam primus ex tribu Azaditarum ibi regnum ſuſcepiſſe fertur *Malechus* filius Phahemi, filii Ganemi, filii Duſi, filii Adnani, filii Abdallæ, filii Vaherani, filii Caabi, filii Arethæ, filii Caabi, filii Malechi, filii Naſri, filii Azadi, filii Cahalani, filii Sabæ. *Amrus* frater Malecho ſucceſſit: Amro *Giodaimas* filius Malechi, cognomento *Abras*, ideſt, Leproſus: quo defuncto, *Amrus* filius Roccaſæ, quæ Giodaimæ ſoror erat, ad Lachemitas regnum tranſtulit. Horum Catalogum ex eodem Abulpheda accipe.

Primus Lachemitarum regum *Amrus*, cujus modo memini, ex Abadenorum ſeu Aparæorum tribu, filius Adii, filii Nadari, filii Rabiæ, ex gente Lachemi, filii Amri, filii Sabæ. 2. *Amrilcaiſus* primus, filius Amri. 3. *Amrus* filius Amrilcaiſi. Hic regnabat temporibus Saporis, cognomento Dulactaphi Perſarum regis, hoc eſt, poſt annum Chriſti 300. Nam Sapores ille, Hormiſdæ filius, regnum Perſicum iniit anno Chriſti 300. quo natus eſt, obiitque anno 372. totidem enim annis regnavit quos vixit: quumque adhuc puer eſſet, *Thairus* Arabum rex in Perſidem invaſiſſe fertur, de quo Herbelotius pag. 763. 4. *Auſus* Calami filius, Amalecita, qui regnum Lachemitis abſtulit. 5. Anonymus Amalecita, quo cæſo, ad Lachemitas regnum rediit. 6. *Amrilcaiſus* ſecundus, filius Amri. 7. *Naamanes* Amrilcaiſi & Sciakikæ filius, qui Palatium Hirtæ exſtruxiſſe perhibetur, quo Beheramum, alias Vataranem, Jezdegerdis filium, Saporis nepotem, exciperet. Jezdegerdes autem Saporis filius regnum Perſicum tenuit ab anno Chriſti 399. ad annum 420. eique Beheramus filius ſucceſſit ab anno 420. ad annum 440. Hunc porro Naamanem auctor Vitæ S. Simeonis Stylitæ refert edicto præcepiſſe, ne quis Arabum ſuæ ditionis ad S. Simeonem accederet, aut Chriſtianus fieret; ſed a Sancto in ſomnis admonitum, mutata ſententia permiſiſſe, ut quilibet Simeonem adiret, & Chriſtianam religionem amplecteretur: quod & ipſe Naamanes feciſſet, niſi Perſarum regem, cui ſuberat, timuiſſet. 8. *Monderus* Naamanis filius, qui obiit temporibus Pherozis filii Jezdegerdis: Pherzes autem ab anno Chriſti 462. ad ann. 488.

regnavit. 9. *Naamanes*, cognomento *Aſuadus*, ideſt Niger, Monderi filius, qui bellum cum Gaſſanitis geſſit anno Chriſti 503. Cavadis Perſarum regis temporibus: in eo bello Naamanes periit, ejuſque in locum Hadides rex a Cavade ſubrogatus ad Romanos transfugit, ut ex Joſue Stylita Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 247. 266. & 279. narravi. 10. *Monderus* Aſuadi frater & Monderi filius. 11. *Alcamas* Domailita, ex alia nimirum Lachemirarum tribu, quæ Domailica dicitur. 12. *Amrilcaiſus* filius Naamanis, filii Monderi. 13. *Monderus* filius Amrilcaiſi & Maviæ quæ alias Maaſſama, ideſt, Urania, vocatur. Hunc Cavades Perſarum rex regno dejecit, quod Magorum ſectam quam ipſe ſuſceperat, improbaret; ejuſque loco *Aretham* eadem ſecum ſentientem ſubſtituit: ſed Choſroes Anuſcervanus Cavadis filius ac ſucceſſor eumdem Monderum, exturbato Aretha, regno Hirtæ reſtituit: Cavades autem regnavit ab anno Chriſti 491. ad annum 531. quo obiit; Choſroes vero regnum tenuit ab anno 531. ad annum 579. Atque hæc ex Abulpheda. Theodorus autem Lector, qui lib. 2. pag. 564. eum *Alamundarum Saracenorum Phylarchum* appellat, aliam fuiſſe cauſam inſinuat, ob quam Monderus iram Cavadis meruerit: quod nimirum chriſtianam fidem circa annum 512. Anaſtaſio Imperatore ſuſceperit. Ejuſdem Alamundari meminere Evagrius lib. 4. cap. 12. & 13. & Procopius de Bello Perſico, ubi ſcribit Juſtinum Imperatorem per legatos illum hortatum fuiſſe, ut fœdera pacis iniret cum Saracenis Romanorum vectigalibus. 14. *Amrus* Monderi & Hendæ filius: cujus regni anno octavo Mahumetum Arabum pſeudoprophetam natum fuiſſe perhibet Abulpheda. 15. *Cabus* frater Amri. 16. *Monderus* filius Monderi. Hunc etiam Evagrius lib. 6. cap. 2. Alamundarum vocat. 17. Naamanes Monderi filius & Salmæ filiæ Vajeli. Hic, ut idem Evagrius lib. 6. cap. 22. teſtatur, ſub Mauricio Imperatore fidem Chriſti ſuſcepit. Addunt Scriptores Neſtoriani & Jacobitæ a nobis Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 415. laudati, una cum Naamane rege ad Sacra Chriſtiana tranſiiſſe filios ejus *Monderum* & *Haſanum*, filiamque *Hendam*. Narrat Abulpheda, eumdem Naamanem vigeſimo ſecundo regni anno a Choſroe Barvizo Perſarum rege cæſum fuiſſe; tum vero bellum Perſas inter Arabaſque Hirtenſes exarſiſſe, regiumque Lachemirarum ſtemma defeciſſe. Regnavit Choſroes Barvizus ab anno Chriſti 590. ad annum 628. quo a filio interfectus eſt, Heraclio Imperatore. 18. *Ajaſus* Caphiſæ filius, ex tribu Tajorum, a Perſis in regnum Hirtæ irruſus. Sexto hujus regni menſe Mahumetus Legem ſuam promulgare cœpit. 19. *Zaduaus* Mabaſani filius, Hamdanita, eo Hirtenſibus tempore præerat, quo Chaledus Validis filius Hirtam deditione cepit, anno nimirum Hegiræ duodecimo, qui inchoatus eſt die 18. Martii anni Chriſti 633.

Sub eiſdem Lachemitis & Gaſſanitis, quos ſupra recenſui, Regibus, nonnulli Arabum Phylarchi apud Scriptores ejus gentis occurrunt. Et ii quidem, qui Gaſſanitis ſuberant, Hegiazæ reguli vocantur, quorum primus *Gerhamus* dicitur ex Jamana in eam Arabiæ Petrææ partem adveniſſe. Ejus poſteri ab Iſmaele Abulpheda laudantur *Abdaalilus*, *Abdalmadanus*, *Nophaila*, *Abdalmeſſias*, *Maſnadus*, *Amrus*, *Arethas*, *Amrus* alter, *Baſciarus*, & *Maſuadus* alter. His recentiores ſunt, *Colaibus*, alias *Vajelus*, ejuſque filius ac ſucceſſor *Mahalhalus*, Taalabenſium Phylarchi, qui bellum adverſus Bacritas ſuſcepere: item *Zohairus*, ejuſque filii *Caiſus* & *Malechus*, Abſitarum & Havazenitarum duces, qui cum Ameritis, Badritis, & Dobianitis pugnarunt. *Chaledus* Ameritarum Phylarchus, qui Zohairum interfecerat, ad Naamanem Amrilcaiſi filium Lachemitarum ſub Jezdegerde ac Behe-ramo Perſarum Regibus principem, confugit. Arabum memoria antiquiſſi-

Digitized by Google

mus Hegiazæ dux fuit *Amrus* filius Lahis, qui e Syria in Meccanam urbem idola *Hobol*, *Aſaph*, & *Najelam* advexit; recentiſſimus vero *Zohairus* Calbita, qui ab Homeritarum Rege Abrahamo paulo ante quam Mahumetus naſceretur, Hegiazæ regioni præfectus, expeditionem adverſus Arphanitas ſuſcepit, quod fanum meccano ſimile ædificaſſent.

Qui vero Lachemitis ſubjecti erant, ii *Candæi* ſive *Agræi* appellantur, qui in Agra urbe ſedem habuere, & a Canda, alias Tauro, nomen ſortiri ſunt, qui ex Zaido Cahalani filio, & Sabæ nepote genus ducit. Horum primus regulus *Hagiarus* fuit, cui *Amrus* filius ſucceſſit, & Amro *Arethas*. Hic vero Arethas a Cavade Perſarum rege in locum Monderi, filii Amrilcaiſi & Maviæ, Hirtenſium regis ſubrogatus, reſtituto per Choſroem Anuſcervanum, ut ſupra dixi, in regnum ſuum Mondero, in Calbitarum qui Hegiazam tenebant, ditionem transfugit, ibique diem clauſit. *Hagiarus* Arethæ filius Bacritis & Vajelitis præfuit, ab Aſadiris in bello interfectus. *Amrilcaiſus*, celeberrimus Poeta, Hagiari filius, quum Bacritarum Thaalabenſiumque opem adverſus Aſaditas nequidquam popoſciſſet, ne in Mondeti Hirtenſium regis manus incideret, primo quidem ad *Sciammulum* Adiæ filium confugit; deinde in Romanorum ditionem ſe recepit, ubi in vivis eſſe deſiit.

## §. XXVIII.

### *De regibus Arabum Homeritis.*

Reliquum eſt, ut de Sabæis ſive Homeritis regibus aliquid dicam. In Arabia, quam Felicem vocamus, celebriores populi, Strabone, Ptolemæo, ac Plinio teſtibus, fuere, *Minæi*, *Sabæi*, *Gebanitæ*, *Catabani* ſive Sabatani, & *Chatramotitæ* ſive Arramitæ. Horum ſingulis rex quondam imperabat. Strabo lib. 16. pag. 887. *Urbes ſingulæ uni ſuo principi parent*. Regibus Sabæorum & Gebanitarum, thuris ac myrrhæ vectigal pendebatur, ex Plinio lib. 12. cap. 14. *Saba*, *Tabaa*, *Adus*, & *Homairus*, antiquiſſimi ejus gentis reges perhibentur. Regina quoque Sabæorum, quam Arabes *Balkiſam* appellant, Salomonis temporibus in Scriptura laudatur. Qui vero apud Ecchellenſem Par. 2. cap. 1. ex Abulpheda antiqui Homeritarum reges memorantur, fere omnes fabuloſi ſunt. Iis igitur prætermiſſis, ad recentiora tempora accedo. Philoſtorgius lib. 2. & 3. narrat, a Conſtantio Imperatore ad Sabæos ſeu Homeritas Arabiæ felicis incolas miſſum fuiſſe Theophilum Indum Monachum & Epiſcopum, Ariana tamen hæreſi infectum, eo conſilio, ut & fœdus inter Principem Homeritarum Romanoſque ſtatueret, & Romanis eodem navigantibus, regionisque incolis, qui ad Chriſti fidem converti vellent, Eccleſias ædificare liceret. Quæ omnia Theophilus impetravit, Rege ipſo ad Chriſti fidem adducto: patuitque Romanis Mercatoribus regio Homeritarum uſque ad tempora Juſtini Imperatoris, ideſt, ab anno circiter Chriſti 354. ad annum 520. Juſtino vero imperante quum *Damianus*, quem alii Dimionem & Damnum vocant, Homeritarum rex Judaicæ ſectæ addictus eſſet, mercatores hujuſmodi per Homeritidis montes iter agentes, direptis eorum facultatibus omnibus occidit, ut fuſe ex Theophane & Dionyſii Chronico Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 359. narravi. *Aidogus* ſeu Adadus, qui & *Elesbaan*, Axumitarum rex, cædem Romanorum vindicaturus, in Judæum Homeritam copias eduxit, captumque interfecit, & in ejus locum *Abrahamum* Chriſtianum regem ſubſtituit: quo defuncto, Judæus alter, *Dunaan* nomine, regnum Homeritarum occupavit, & Aretham deſigna-

tum ab Elesbaano regem cum ſociis Nagranenſibus occidit, quorum martyrium ex Simeone Berharſamenſi a pag. 364. deſcripſi. Quum hæc accepiſſet Elesbaanus, conſerro prælio, Dunaanum Judæum morte multavit, & *Abrahamum* alterum Chriſtianum regem Homeriris impoſuit. At illi, Elesbaano vitam monaſticam profeſſo, Abrahamum e Solio dejecere, aliumque, cujus nomen ignoratur, regem ſalutarunt. Sed eum Helleſtæus Elesbaani ſucceſſor interfecit, & *Eſimiphæum* ſubſtituit. Eſimiphæo vero in caſtellum incluſo, regnum ab Homeritis *Abrahamo* viro Chriſtiano delatum eſt. Quod ubi Helleſtæus accepit, confeſtim eo deſtinavit exercitum, quem Abrahamus profligavit: Defuncto demum Helleſtæo, tributum pactus eſt idem Abrahamus ejus ſucceſſori, atque ita ſibi regnum aſſeruit. Hæc Procopius lib. 1. de Bello Perſico cap. 20. ex quibus planum fit, Homeritas ſub Juſtino & Juſtiniano Imperatoribus regi Æthiopum vectigales fuiſſe. Verum ſub Anaſtaſio & Zenone, ut Theodorus Lector lib. 2. pag. 567. ſcribit, regi Perſarum parebant.

Abulpheda ſeriem eorum, qui ſub Æthiopibus poſt Judæum Dunaanum in Homeritide regnarunt, aliter ac Procopius texit. Ait enim, occiſo Dunaano, quem ipſe *Zaram Dunuas* olim appellatum regnoque occupato *Joſephum* dictum teſtatur, *Dugedanum* Homeritam ejuſdem cum Dunaano perſuaſionis regnaſſe; Sed hoc per Æthiopum regem amoto, *Arbatem* ex eadem gente Æthiopica regno impoſitum: quo ab Homeritis cæſo, *Abrahamum* regnaſſe, qui iram Æthiopum regis miſſis donis placavit: Abrahamo defuncto *Jaxumum* ſucceſſiſſe, huic *Maſrukum* Abrahami filium: Maſruko extincto, *Saiphum* Diazeni filium excuſſo Æthiopum jugo, ad Romanum Imperatorem primo confugiſſe, deinde ad Choſroem Perſarum regem: ab hoc quum copias impetraſſet, illum profligato Æthiopum exercitu, regnum occupaſſe: Saipho denique occiſo, Choſroem Barvizum in Homeritarum terras procuratorem ſuum miſiſſe, idque regnum ſub procuratoribus Perſarum manſiſſe uſque ad Mahumeti tempora quum *Badanus* ultimus Homeritarum procurator a Perſis ad Saracenos defecit.

Atque hæc de Arabum antiquitatibus dicta ſunt ſatis.

*F I N I S.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google